LXX.
DISPVTATIONES THEOLOGICÆ;

adversus

PONTIFICIOS:

Quibus omnes inter Evangelicos & Pontificios Controversiæ continentur, & excutiuntur: In gratiam SS. Theologiæ Studiosorum in Academiâ LEYDENSI privatim instituta, in

Collegio Anti-Bellarminiano,

PRÆSIDE

FESTO HOMMIO,

Eccl. Lugdun. Pastore.

Editio secunda; adjectionibus in margine locupletior.



OXONIÆ,

Impensis GVILIELMI TVRNER *Celeberrimæ Academiæ Typographi.*

Anno CIↃ. IↃC. XXX.



Illustrissimis & Invictissimis
PRINCIPIBVS
D. MAVRITIO,
PRINCIPI ARAVSICANO,
COMITI NASSOVIO,
MEVRSENI, ETC.
&
D. GVILHELMO
LVDOVICO COMITI
NASSOVIO, ETC.
Fœderatæ & Reformatæ
BELGICÆ
GVBERNATORIBVS,
Religionis Reformatæ & Libertatis
Belgicæ Assertoribus strenuissimis.

ILLVSTRISSIMI ET INVICTISSIMI PRINCIPES



ANTA sunt, ac tam ingentia inclytæ Domus Nassovicæ, & imprimis vestra in Belgicam nostram merita, vt numerum

rum, aut magnitudinem eorum, nec animo concipere, nec verbis exprimere quis possit. Cum enim superiori sæculo Belgica impio Antichristi jugo, & immani crudelitate Hispanicâ, indignum et miserandum in modũ oppressa jaceret, DEVS patriæ nostræ, & quæ in illa colligebatur, Ecclesiæ suæ, clementer misertus, Augustam hanc domum restituendis gravissime afflictis rebus, et restitutis conservandis divinitus excitavit. Quod avitâ Libertate fruimur, quod DEVM sincere secundum verbum ejus colimus, & securè sub ficu nostra adoramus, quod bona nostra in pace possidemus, quod extra patriã extorres nõ aberramus, quod bonis et dignitatibus injuste non spoliamur, imò quod aquis, laqueis, gladijs, & ignibus crudelissimè nobis vita quotidie non eripitur, beneficia sunt, quæ secundum DEVM for-

fortissimis Domus Nassovicæ Heroibus accepta imprimis sunt referenda. Nã, vt silentio prætereã quamplurimos Patruorum, Fratrum, & Patrueliũ vestrorum,
Egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, *vnus ille illustrissimæ memoriæ* PRINCEPS GVILHELMVS, *Pater & Patruus vester, cui facta heroica omnem fidem superantia, & virtutes incomparabiles omni imitatione majores, meritissimè* MAGNI *cognomẽ pepererunt, & quem Belgæ omnes haud degeneres* Patrem Patriæ *gratis animis agnoscunt, tanto Belgicam nostrã Beneficiorũ cumulo oneravit, vt ijs etiã recensendis impares simus. Verè enim fuit ille Moses noster, per quem* Deus *nos ex servitute Hispanicâ, quavis Ægyptiacâ longe duriore, quâ non tantum corpora contra omne jus humanum, sed etiam animæ con-*

tra omne fas divinum, crudelissimè et gravissimè opprimebantur, potenti dextera in hanc, qua nunc fruimur, Libertatem omni vita pretiosiorem, asseruit & vindicavit, universis mundi populis magnitudinem rei stupentibus, et Hispano Pharaone ringente, ac nequicquam totis viribus obnitente. Atque hæc beneficia nobilissimo sanguine suo tandem quasi obsignavit, nefario ac sceleratissimo parricidio ab hostibus patriæ domi suæ trucidatus. Amplitudinem horum beneficiorum Vos, Illustrissimi Principes, præclarissimis & nunquam satis deprædicandis meritis vestris eum in modum adauxistis, vt Belgis omnibus ingratis sit moriendum, cum tāta sint vt nullis gratitudinis officijs vnquam rependi queant. In sustinenda gravissimi et diurni belli mole invictam animi fortitudinem, labores indefessos, &

peritiam

peritiam nullis antehac sæculis visam, in gubernandis hisce Provinciis fidelitatem summam & prudentiam incredibilem, in gloriæ divinæ, regni Christi, et veræ Religionis propagatione zelum ardentem, & studium indefessum, universus orbis Christianus in Vobis miratur & deprædicat. In nos autem cum harum virtutum vestrarum uberrimi redundent fructus, etsi gratias referre dignas nequeamus, convenit tamen nobis, ut saltem propensi ad gratitudinem animi, pro facultatum & vocationum ratione, significationem singuli edamus. Hæc me causa impulit, cum è re tenui mea, præter ardentissimas pro incolumitate vestra preces, nihil aliud quam chartaceum hoc manusculum proferre possem, ut illud ipsum summa cum animi devotione eum in finem Illustriss. Exc.^{tia} & Cels. V. offerre audeam, ut ali-

*quod ſaltem exſtaret, ſi non magnum, certum tamen & ſincerum animi mei addictiſſimi & gratiſſimi monimentum. Studium hoc meum vt Illuſtriſſ. Exc.*tia *& Celſ. V. non ſit ingratum, obnixè & ſubmiſſè peto, & ſimul* Deum Opt. Max. *ardentibus votis comprecor, Exc.*tiam *& Celſ. Veſtram,* Illuſtriſſimi & invictiſſimi Principes, *ab omnibus hoſtium inſidijs, Eccleſiæ ſuæ & Patriæ afflictæ, quam diutiſſimè incolumem & florentem protegat ac conſervet.* LVGDVNI BATAVORVM, XXIV. *Auguſti, Anno* cIↃ.IↃcXIV.

Illuſtriſsimæ Excellentiæ
& Celſitudini veſtræ
addictiſsimus

FESTVS HOMMIVS Friſius.



Lectori Benevolo S.

CVm in Academiâ hac nostrâ superioribus annis, tùm per obitum, tùm per abitum Professorum SS. Theologiæ, ejusdem studiosi omnibus & publicè & privatim exercitiis aliquamdiu destituerentur, flagitabant non pauci, qui me studiis ipsorum aliquâ ratione prodesse posse existimabant, uti defectum hunc exercitiorum operâ meâ privatim supplerem, ne omninò sine fructu tempus transmitterent. Quamvis nostra nobis vocatio occupationes satis graves & frequentes suppeditet, nolui tamen opellam meam, quæ omnibus parata semper esse solet, studiosæ juventuti, quæ in Ecclesiarum nostrarum spem educatur, unicè hoc postulanti denegare. In eorum itaque gratiam domi meâ privata institui exercitia, & explicatâ prius ac disputationibus privatis examinatâ doctrinâ Catecheticâ, cùm in Ecclesiæ doctore requiratur, non tantùm ut veritatem norit & doceat, sed etiam uti δυνατὸς sit τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, putavi operæ-pretium me facturum, si adversus multiplices hostium veritatis strophas incautam juventutem instruerem ac præmunirem. Inter quos cum Iesuitæ, cæterique Pontificii imprimis sint censendi, totum Doctrinæ Pontificiæ corpus, atque omnia ejusdem firmamenta, quæ à Bellarmino doctrinæ hujus ἀρχιτέκτονι operosè quatuor Disputationum tomis proponuntur, privatis Disputationibus examinanda proposui, paucis thesibus doctrinam orthodoxam Pontificiæ oppositam complexus. Disputationibus hisce absolutis cum SS. Theologiæ Studiosi illas sibi haud

parum

parum utiles fuisse profiterentur, & apud me instarent, ut easdem sibi sub præsidio meo repetere liceret, nolui subterfugere laborem, quem juventuti profuturum intelligebam. Ut autem illos à molestiâ Theses hasce describendi sublevarem, passus sui in eorum gratiam illas typis describi, tùm ut privatis hisce exercitijs servire possint, tùm etiam ut reliqui SS. Theologiæ Studiosi Epitomen habeant omnium, quæ inter Ecclesias Reformatas & Pontificias hodie agitantur, Controversiarum. Dedi enim sedulò operam, ne ulla controversia, quæquidem alicujus sit momenti, prætermissa sit aut omissa, quod ut appareret, capita Quæstionum Controversarum passim in margine annotavi. Disputationes autem, ne pro exercitij privati ratione nimis excrescerent, singulas singulis Thesium hexadibus absolvi: & universum Controversiarum corpus in tot disputationes redegi, ut quando bina singulis septimanis habeantur, demptis ferijs ordinarijs, omnes unius anni spatio commodè absolvi possint. Ordinem secutus sui Bellarmini, ita tamen ut eidem superstitiosè me non alligaverim. Institutum & studium hoc nostrum si tibi, Benevole Lector, placuerit & profuerit, erit quod nobis gratulemur, & stimulus addetur majora conandi ad Ecclesiæ Dei ædificationem, cui nos nostraque studia omnia consecravimus.

IN

IN THESES
Reverendi viri, D. FESTI HOMMII, de Controversiis Religionis inter *Reformatos & Pontificios.*

FElices proavos & sæcula prima parentum,
Cum simplex pietas & sine labe fuit.
Ambitio nondum Romanum invaserat orbem,
Et nondum precium relligionis erat.
At nunc infelix pietas conducitur auro,
Et male speratus plurima dictat honos.
Ipsa fides prostat. Sic scribitur. Aspice sæclum,
Quod credas alter vendit, & alter emit.
Mos nocet exemplo, quantumque accedit ad annos
Crescit, & autorem se gravis error habet.
Venimus ad summum, scribendo involvere verum
Cœpimus, & moles & sibi turba nocet.
Viderat hoc FESTVS, *miræ brevitatis amator,*
Nec minùs sacræ simplicitatis amans.
Omniaque evolvens magnorum scripta virorum,
Hæc nobis, inquit, sola relicta fuit.
Nec mora: contractis infert nova lumina rebus,
Et non scribendo plurima, plura docet.

DANIEL HEINSIVS.

Ad Reverendum & Doctiss. Virum,

D. FESTVM HOMMIVM,

Ecclesiæ LEYDENSIS Pastorem vigilacissimum, suas pro Reformatâ *Religione adversus Pontificios* Disputationes edentem.

DVm sic Tarpeius nostram turbare Tyrannus
Dissidijs patriam tentat & insidijs.
Dumque ovibus parat incautis immittere pestem,
Instillans teneris dira venena animis.
Dum miscet populis Latia ex Babylone Meretrix
Plena sui potus poclà soporiferi.
FESTE *ovibus cautè invigilas, monstrasq; venena :*
Et præsens patriæ porrigis antidotum.

CORN. PYNAKERVS IC.

INDEX DISPVTATIONVM.



DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM

adversus

PONTIFICIOS PRIMA.

De S. Scripturæ Libris.

THESIS I.



RELIGIO CHRISTIANA, quæ consistit in veri DEI rectâ agnitione, & legitimo ejusdem cultu, ex principijs naturâ notis salutaritèr percipi non potest. Quare DEVS tum veram sui cognitionem, tum legitimam cultus sui rationem, hominibus per verbum suum *a* προφορικῷ, quo animi sensa exprimuntur, revelavit. Hoc verbum vnicum est Religionis veræ principium, *b* αὐτόπιστον, καὶ ἀνεξέταστον.

Quod sit principium Christianæ Religionis?

a *prolatum.*
b *ex se credendum & non explorandũ.*

II.

Quot modis revelatum?

Multifariam autem & c multis vicibus revelatio hæc facta fuit: Extraordinariè per oracula, tum per ipsum Deum, ac Filium ejus Dominum nostrum Iesum Christum, tum per Angelos Dei jussu pronunciata, per visiones, per somnia, & per Vrim & Tummim. Ordinariè, in principio ad tempora vsque Mosis per vivam doctrinæ à majoribus acceptæ traditionem: deinceps cum decrescente hominum ætate, oblivio, socordia, atque etiam malitia hominum accrescerent, ne per Satanam ejusque instrumenta doctrina divinitùs revelata corrumperetur, voluit ac jussit Deus eandem ad Ecclesiæ d ἀσφάλειαν scripto, quo verba exprimi solent, comprehendi, ac quasi publicis tabulis consignari. Scriptum hoc Sacram Scripturam, Sacras Literas, & Verbum Dei Scriptum appellamus.

c *Heb.* 1. 1.

d *incolumitatem.*

III.

Quid sit S. Scriptura?

SACRA SCRIPTVRA est sacrum & divinum instrumentum publicum, quo doctrina salutaris de Deo, & vero ejus cultu, per Sanctos, & à Deo ad hoc delectos viros, dictante Spiritu Sancto, literis consignata est, continens perfectè & perspicuè veritatem divinam, quæ in hac vita scitu necessaria est ad Dei gloriam, & hominum salutem.

IV.

An sacra Scriptura sit necessaria?

Salutarem doctrinam quamvis Deus prioribus seculis sine Scriptura in Ecclesia conservaverit ac propagaverit, tamen ex quo tempore eandem scriptis jussit comprehendi, non quidem absolutè; sed ex hypothesi ordinationis divinæ, necessaria semper fuit, est, atque erit hæc Scriptu-

ra, non tantùm ad bene esse, sed etiam ad esse Ecclesiæ, quæ nulli fundamento alij debet inædificari, quàm quod scriptis Prophetarum & Apostolorum continetur. Estque hæc Scriptura nunc fidei & doctrinæ Christianæ canon & regula non partialis tantùm, sed etiam totalis, plenaria, atque vnica. *An sit regula fidei totalis?*

V.

Libri, quibus Sacræ Literæ continentur, secundum diversa Ecclesiæ tempora, quibus dati & scripti sunt, dividuntur in libros Veteris & Novi Testamenti. Libri V. T. dividuntur in Legem, Prophetas, & Hagiographa. Lex complectitur quinque libros Mosis, qui ex librorum materia vocantur *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*. Prophetæ alij sunt priores, quorum libri præcipuè sunt historici, *Iosua*, *Iudicum*, cui additur *Ruth*, duo *Samuelis*, & duo *Regum*: alij posteriores, quorum alij sunt Majores, *Esaias*, *Ieremias*, *Ezechiel*, & *Daniel*; alij Minores non autoritate, sed brevitate librorum, *Oseas*, *Ioel*, *Amos*, *Abdias*, *Ionas*, *Micheas*, *Nahum*, *Habacuc*, *Sophonias*, *Haggaus*, *Zacharias*, *Malachias*. Hagiographa scripta varias res miscellaneè tractant, suntque duo libri *παραλειπομένων*, seu *Chronicorum*, liber *Iob*, *Psalmi*, *Proverbia Salomonis*, *Ecclesiastes Salomonis*, *Threni*, seu *Lamentationes Ieremiæ*, *Canticum Canticorum*, *Hesther*, *Ezras*, & *Nehemias*. Libri N. T. alii sunt Historici, qui complectuntur historiam tum Christi, conscriptam à quatuor Evangelistis, *Matthæo*, *Marco*, *Luca*; & *Iohanne*, tum *Actorum Apostolorum* à Luca conscriptam. Alii sunt Exegetici, seu Dogmatici, qui sunt *Epistolæ* Apo- *Qui sint libri Canonici?*

ſtolorum, XIV. *Pauli*, I. ad *Romanos*, II. ad *Corinthios*, I. ad *Galatas*, I. ad *Ephesios*, I. ad *Philippenſes*, I. ad *Coloſſenſes*, II. ad *Theſſalonicenſes*, II. ad *Timotheum*, I. ad *Titum*, I. ad *Philemonem*, I. ad *Hebræos*. *Iacobi* vna, *Petri* II. *Ioannis* III. *Iudæ* fratris Iacobi vna. Propheticus vnus eſt, *Apocalypſis Ioannis* Apoſtoli. Hi libri *e* omnes & ſoli *f* θεόπνευστοι ſunt, & rectè vocantur *Canonici*, quia fidei & vitæ canon, ſeu norma & regula ſunt, & in ſacrorum librorum canone, ſeu catalogo, ſemper in Eccleſia comprehenſi fuerunt.

e 2 *Tim.* 3.16
f *diviniti̇̀s inſpirati.*

VI.

Qui ſint libri Apocryphi?

Hiſce divinis libris adjungi ſolent alii, qui de rebus quidem divinis tractant, & ad formandos mores haud inutiliter legi in Eccleſia poſſunt, ſed tamen non ſunt divinitùs inſpirati, aut Canonici, vt fidei & vitæ norma eſſe poſſint, & vocantur vulgò *Apocryphi*. Suntque aut integri libri, *Tobias, Iudith, Sapientia, Eccleſiaſticus Ieſu Syracida*, III. & IV. *Eſdræ*, libri *Machabæorum*. Aut appendices libris Canonicis additæ: Ieremiæ *Baruch*, Paraleipomenis *Oratio Manaſſæ*, Danieli *Hymnus trium puerorum, hiſtoria Suſannæ, Belis & Draconis, Oratio Azariæ*, Eſtheræ *ſeptem capita, quæ apud Hebræos non habentur*. Hi omnes neque à Prophetis, aut Hebraicè ſunt ſcripti, neque in canone Hebræorum, quibus *g* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ ἐπιστεύθησαν, vnquam extiterunt, neque à Chriſto aut Apoſtolis ſunt approbati. Quinetiam plærique multa falſa & abſurda continent, & à libris Canonicis, atque etiam inter ſe plurimum diſſentiunt.

g *Rom.* 3.2.

DISPVTATIO II.

De S. Scripturæ Autoritate.

THESIS I.

VT in omni legitimo instrumento vel scripto publico præcipuè requiritur, vt sit authenticum seu indubitatæ fidei, & vt perfectè ac perspicuè contrahentium, vel *a τῶ διαθέμενου* voluntatem, aut rei veritatem exprimat; ita etiam in divino hoc S. Scripturæ instrumento tria hæc necessariò requiruntur, atq; etiam revera insunt, Αὐθεντία, Perfectio & Perspicuitas.

a testatoris.

II.

Αὐθεντία, seu Autoritas alicujus scripti nihil aliud est quam dignitas quædam, secundum & propter quam scriptum illud fidem meretur, & pro vero ac veraci habetur. Hac dignitate S. Scriptura ita præcellit, vt autoritatem habeat non vulgarem aut humanam, quæ vel in dubitationem vocari possit, vel confirmatione aliqua opus habeat, sed planè divinam & non tantùm *b ἀξιόπιστον*, sed etiam *c αὐτόπιστον*, ita vt ei propter sui ipsius asseverationem sit credendum, ac certi simus & verissimum esse quidquid S. Scripturâ continetur, & propterea etiam aliquid veritati divinæ esse consentaneum, quia in sacro hoc instrumento docetur.

Quæ sit autoritas S. Scripturæ?

b *fide dignam.*
c *ex se (vel propter se) credendam.*

III.

Vnde sacra Scriptura autoritatem divinam habeat?

Consideratur autem hæc S. Scripturæ autoritas, vel *in se*, vel *respectu nostri*. Cum *in se* consideratur, quæritur; Vnde Sacra Scriptura hanc divinam autoritatem habeat? Respondemus autoritatem hanc ei competere non ab Ecclesiâ, quæ nullo jure potestatem habet libro aut scripto alicui divinam autoritatem conciliandi, & cujus testimonio, vtpote humano, veritas divina confirmari neque potest, neque indiget. Sed divinam habet autoritatem, quia *d* θεόπνευστος est, & Deum habet autorem, qui solus verax atque ipsa Veritas est. Tanta enim est scripti alicujus autoritas, quanta est autoris. Et licet Deus in consignandis his sacris literis vsus sit operâ hominum, tanquam notariorum, aut amanuensium, inde nihil decedit de earum autoritate. Nam *e* sancti illi Dei homines locuti sunt acti à Spiritu Sancto, qui spiritus est veritatis ac veracitatis infallibilis.

d *divinitùs inspirata.*

e 2.*Pet.* 1. 21.

IV.

Vnde nobis constet S. Scripturæ Libros esse autoritatis divinæ?

Respectu nostri cum autoritas hęc consideratur quæstio est; vnde nobis constet de hâc S. Scripturæ autoritate, seu hos Libros esse divinos & veritatis infallibilis? Quæstio hæc quamvis supervacanea sit, nec controverti debeat inter Christianos, qui Sacras Scripturas divinas esse credunt potiùs quam sciunt, dari tamen possunt argumenta, quibus S. Scripturæ divina autoritas nobis abundè probari & confirmari possit. Horum quædam tantùm suadent, quædam etiam planè persuadent, vt credamns libros Sacræ Scripturæ diuinæ esse autoritatis.

V.

V.

Argumenta, quæ tantum inserviunt suasioni faciendæ cum nobis tum alijs, sunt multa, ac multiplicia. Alia ex ipsa S. Scripturâ, alia aliunde desumuntur. Ipsa S. Scriptura, sicut quodlibet opus, satis testatur de excellentia sui artificis, seu autoris. Doctrinam enim complectitur planè divinam, sapientissimam, & sanctissimam, in quâ nihil falsi ostendi potest, sed vbique divina veritas elucet, tum in prædictionum certâ impletione, tum in singularum partium consensu & *f* συμφωνίᾳ, conscriptam quidem stylo simplici & humili, sed puro, inaffectato, & divinæ Majestati convenienti. Præterea sacrarum literarum divina autoritas ex eo manifestè apparet, quod doctrinam contineant antiquissimam, ac proinde verissimam, ac talem, quæ licet carni ingrata ac stulta sit, & nō *g* per principes hujus seculi autoritate & sapientia præcellentes, neque persuasorijs humanæ sapientiæ verbis proponatur, mirificè tamen afficit mentes hominum, & divino quodam modo efficax est, ad fidem & conversionem, ad Deum in animis hominum ingenerandum. Deus etiam horum Librorum autoritatem divinam asseruit, cum per varia & stupenda miracula in Veteri & Novo Testamento, tum per mirabilem horum librorum adversus furores Diaboli & mundi, qui doctrinam ijs contentam summè oderunt, defensionem. Huc accedit Ecclesiæ Orthodoxæ testimonium, & vnanimis piorum omnium testificatio, à nonnullis inter eos etiam sanguine suo obsignata, quæ non est temerè rejicienda, sed reverenter amplectenda, animosque nostros tametsi de certitudine planè cōvincere non possit, ad

f vniversali concentu.

g 1 Cor 2. 1. 4. 5.

An & quatenus ex testimonio Ecclesiæ?

consensum tamen efficaciter excitare atque permovere potest ac debet.

VI.

Argumentum, quo animi nostri de Librorum S. Scripturæ divinâ autoritate certâ [h] πληροφορίᾳ ac plenâ [i] πεποιθήσει convincuntur, est vnicum, Testimonium scilicet Spiritus Sancti internum, quod illi soli notum est, cui obtingit. Idem enim Spiritus, qui S. Scripturæ autor est, certitudinem ejusdem nobis obsignat, & quemadmodum scimus principia scientiarum naturalium vera esse, quia Lux naturæ in vnicujusque mente dictat ea vera esse, ita etiam scimus hæc supernaturalis ac cœlestis Sapientiæ principia vera esse & fidei indubitatæ, quia eorum veritatem autor eorum Spiritus Sanctus in cordibus nostris obsignat. Nam quâ ratione principia nobis innotescunt, eâdem etiam veritas & certitudo eorundem nobis comprobatur.

An ex testimonio Spiritus Sancti?

h *plenâ certioratione.*

i *fiduciâ.*

DISPVTATIO III.

De S. Scripturæ Perfectione.

THESIS I.

SEcunda conditio, quæ in legitimo instrumento publico requiritur, est; vt omnia ea, quorum causâ tale instrumentum est conscriptum, perfectè & sufficienter contineat atque exprimat. Hanc conditionem asserimus etiam inesse huic instrumento divino sacrarum literarum, [a] quæ hominem possunt sapientem redde-

a 2. *Tim* 3. 15.

An sacra Scriptura perfectè contineat omnia ad salutem scitu necessaria?

re

re ad ſalutem per fidem in Chriſto Ieſu, ac proinde perfectè & ſufficienter continent omnia illa, quæ ad fidem & vitam Chriſtianam ſunt neceſſaria.

II.

Qualis perfectio S. Scripturæ tribuatur?

Perfectionem cum S. Scripturæ tribuimus, non agimus de illâ perfectione cognitionis, quæ poſt hanc vitam erit, cum cernemus à facie ad faciem, & quando *b* τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται, ſed dicimus omnia illa, quæ in hâc vitâ Deo ad ſui gloriam & noſtri ſalutem revelare placuit, & quæ ipſe nos hîc ſcire voluit, nobiſque ad ſalutem ſcitu, creditu, ſperatu, atque obſervatu neceſſaria judicavit, perfectè & ſufficienter ſecundùm omnes partes eſſentiales atque integrales in S. Scripturâ contineri. Dogmata autem ad ſalutem neceſſaria in ſacris literis continentur aut expreſſè & totidem verbis, aut analogicè & æquipollenter; vt ex contentis in S. Scripturâ per bonam & firmam conſequentiam elici poſſint: Ita vt quidquid ex S. Scriptura vel expreſſo teſtimonio, vel per bonam conſequentiam probari non poſſit, eo ipſo conſtet aut eſſe rejiciendum hominum *c* ἐντάλματα, *d* quo Deus fruſtrà colitur, aut doctrinam eſſe ad ſalutem non neceſſariam.

b 1 *Cor.* 13.10.

Quomodo omnia ad ſalutem neceſſaria in ſacra Scriptura contineantur?

c *mandatum.*

d *Matt.* 15.9.

III.

An Apoſtolis & Prophetis omnia ſint revelata?

Omnia homini in hâc vitâ ad ſalutem ſcitu neceſſaria Prophetis & Apoſtolis plenè ſunt revelata per Deum Patrem, & Filium ejus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum *e*, qui omnia quæ à Patre ſuo audivit, ijs nota fecit, & per Spiritum S. *f* qui ipſis dux viæ fuit in omnem

e *Ioh.* 8.26

f *Io.* 16.13.

An omnia docuerint?

veritatem. Apostoli etiam ex mandato Christi *g* omne Dei consilium, atque omnia, quæ ad salutem conducerent, fideliter annunciarunt, *h* docentes omnem hominem *i* ἐν πάσῃ σοφίᾳ, vt omnem hominem sistant *k* τέλειον in Christo Iesu; & tamen nihil docuerunt, quod in scriptis Prophetarum ac Veteris Testamenti non continetur. Tandem etiam ipsi eadem omnia vt fidi Ecclesiæ Doctores, ad ejusdem *l* ἀσφάλειαν literis consignârunt.

g *Act.* 20. 27.
h *Colos.* 1. 28.
i *in omni sapientiâ.*
k *perfectum.*
l *incolumitatem.*

An omnia scripserint?

IV.

An ex solâ S. Scripturâ omnia dogmata possint probari, atque omnes hæreses refutari?

Ex solâ ergo S. Scripturâ Veteris & N. Testamenti veritas doctrinæ ad salutem necessariæ depromi ac comprobari debet, atque etiam sufficienter potest, omnesque errores atque hæreses, quæ contra hanc veritatem vel directè vel indirectè veniunt, luculentissimè refutari. Quare ex hâc solâ populus docendus, dogmata confirmanda, & controversiæ Ecclesiasticæ sunt decidendæ.

V.

Quid & quotuplex sit traditio?

Traditio, Græcè παράδοσις, latiore significatione accipitur pro doctrinâ traditâ quocunque modo, sive per vivam vocem, sive per scriptum: vtque doctrina alia est de dogmatis, alia de ritibus, sic alia est Traditio Dogmatica, alia Ritualis seu Ceremonialis. Strictiore significatione, cùm opponitur verbo Dei scripto, accipitur pro doctrinâ traditâ quidem vivâ voce, sed scripto non consignatâ. De his traditionibus quæritur primò; An hodie extent aliquæ divinæ & Apostolicæ Traditiones dogmaticæ de fide & de bonis operibus, quæ non sunt scriptæ in libris Propheticis & Apostolicis? Respondemus, Ante

An extent Divinæ & Apostolicæ Traditiones Dogmaticæ?

Mosen quidem fuisse Traditiones divinas non scriptas, & initio prædicationis Evangelicæ extitisse Traditiones Evangelicas non scriptas, sed hoc tempore postquam in Veteri Testamento tota doctrina Prophetica, & in Novo Testamento tota doctrina Apostolica certis libris fuit comprehensa, (quos vocamus *Canonicos*,) in ijs libris omnia dogmata de fide & moribus ad salutem necessaria sufficientissimè ac perfectissimè contineri: neque vllis idoneis argumentis aut testibus probari posse, extare hodie vllam Traditionem divinam & Apostolicam de aliquo dogmate, quod necessariò sit credendum, quæ in ijs libris nusquam scripta reperiatur. Quare verbum Dei hodie non potest rectè dividi in verbum ἔγγραφον, seu scriptum, & ἄγραφον, non scriptum.

VI.

Quæritur secundò: An hodie extent aliquæ Traditiones Apostolicæ in S. Scripturâ non conscriptæ, de aliquibus ritibus necessariò in Ecclesia vsurpandis? Respondemus ipsum omnium rituum essentiale fundamentnm, quod est, vt omnia fiant m *εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν, καὶ πρὸς τὴν οἰκοδομήν*, atque etiam omnes Sacramentorum ritus essentiales, verbo Dei scripto disertè contineri. Accidentales autem rituum determinationes singulas non esse conscriptas libenter fatemur, quia; nec sunt ab Apostolis præcisè præscriptæ, sed relictæ in libertate Ecclesiæ, vt res adiaphoræ, quæ pro circumstantiarum ratione variari possunt, atque etiam debent, quoties ædificatio requirit, & semper præsenti Ecclesiarum statui accommodari ad majorem ædificationem.

An extent Apostolicæ Traditiones Rituales?

m *decenter et ordine.* 1. *Cor.* 14. 40.

n *et ad ædificationem.* 1. *Cor.* 14. 12.

An & quid sint Traditiones Ecclesiasticæ?

Tales

Tales Ecclesiasticas Determinationes, sed Traditiones non scriptas, in Ecclesia semper extare, & necessarias esse agnoscimus, easque fideles omnes, nisi ordinis violatores haberi velint, religiosè debere observare, modo non sint superstitiosę; & verbo Dei, aut libertati Christianę contrariæ: Traditiones autem, quas Pontificij pro Apostolicis vendicant, omnes sunt incertę, & plerçque inepta & ridicula hominum superstitiosorum commenta cum S. Scripturâ pugnantia.

DISPVTATIO IV.

De S.Scripturæ Perspicuitate.

THESIS I.

An sacra Scriptura sit perspicua?

TErtia conditio in legitimo instrumento publico requisita est, vt Testatoris vel contrahentium voluntatem perspicuè & clarè exprimat, ne per se causa litium existat. Hanc conditionem etiam divino hoc instrumento S. Scripturę inesse asserimus, ita vt omnia dogmata ad salutem necessaria perspicuè, dilucide, & clarè in eo contineantur, ipsumque sibi explicando sufficiat, neque alieno lumine indigeat, quo clarius reddatur.

II.

An materia sacra Scriptura sit perspicua?

Perspicuitas hęc considerari potest, vel *in se*, vel *respectu hominum*. Consideratur *in se*, vel *respectu materia*, quæ tametsi contineat altissima ac profundissima mysteria à seculis abscon-

dita, atque à naturali hominum intellectu remota, sunt tamen in S. Scriptura satis clarè proposita atque explicata. Vel *respectu formæ*, cum *interna*, quæ est veritas divina, quæ in se obscura esse non potest, cum lux sit, quâ animi nostri illuminantur: tum *externa*, quæ est *stylus orationis*, qui etsi alicubi phrasibus & verbis paulo obscurioribus temperatus est, alibi tamen & maximâ ex parte satis clarus est & perspicuus. Phrases enim propriæ verborum proprietate lucent, & figuratæ perspicua sunt orationis sacræ lumina.

An forma sacra Scriptura sit perspicua?

III.

Ita autem S. Scripturæ stylum Spiritus Sanctus temperavit, vt neque nimia facilitas legentibus contemptum ac fastidium pareret, neque nimia obscuritas Scripturam nobis redderet inutilem. Quare quæ vno loco clarè docentur, eo alio loco paulò obscurioribus verbis aut phrasibus sæpiùs proponuntur, vt eâ ratione diligentia nostra in scrutandis Scripturis acuatur, humani ingenij superbia contundatur, nosq; intelligentiæ sacrarum Literarum donum tanto ardentioribus votis à Deo expetamus, ac majori cum labore atque industriâ pretiosissimum hunc cœlestis sapientiæ thesaurum eruamus.

An stylus S. Scriptura sit perspicuus?

IV

Respectu hominum S. Scripturæ perspicuitas diversimodè consideratur. Nam alij homines sunt *Irregeniti*, & animales, *a* in quibus Deus hujus seculi excæcauit mentes, alij sunt *Regeniti* & Spiritus Sancti lumine illustrati. Illis Scriptura obscura & operta est: his verò clara & perspicua, etsi non omnibus æqualiter, omnibus & singulis tamen pro mensura fidei sufficienter ad salutem.

An sacra Scriptura omnibus hominib. sit aque perspicua?
a 2. *Cor*. 4. 4.

V.

V

Non ergò dicimus omnia in S.Scriptura singulis hominibus pariter esse perspicua, aut singula omnibus æqualitèr. Non enim omnibus *b* datum est intelligere mysteria regni cælorum. Sunt etiam certi gradus cognitionis & donorum. Quinimo sæpe vni eidemque homini postea clarum fiet, quod antea ei fuerat obscurum. Neque dicimus in S.Scriptura omnia esse facillima & apertissima ita vt nullâ egeat interpretatione: Libenter enim agnoscimus in sacra Scriptura reperiri multa *c δυσνόητα*, multa etiam obscuriora dicta, sed quæ aut sine salutis dispendio ignorari possunt, aut alio loco clarius sunt exposita.

Quis non sit status controversiæ?

b *Matt.* 13.11.

c *difficilia intellectu.* 2.*Pet*.3.16

VI

Hoc ipsum est quod asserimus, omnia dogmata, quæ ad salutem scitu, creditu, atque observatu sũt necessaria, suis locis in S.Scriptura ita clarè & perspicuè proponi atque explicari, vt á quolibet homine etiam plebeio, Spiritum Christi vnctionem à Sancto illo habente, atque officium suum adhibitis precibus, & reliquis ad eruendũ S. Scripturæ sensum ordinarjis medjis diligẽtèr faciente, facilè & sufficientèr ad salutem intelligi possint.

Quis sit verus controversiæ status?

DISPVT.

DISPVTATIO V.

De Interpretatione Sacræ Scripturæ, quoad verba.

seu

De S. Scripturæ Versionibus, & Lectione.

Thesis I.

FInis ſcriptionis ſacrarum literarum eſt, vt ex literarum characteribus Dei verba colligãtur, & ex verbis, mentis ac revelationis divinæ ſenſus eruatur. Deus voluntatem ſuam juſſit exprimi & conſcribi in Veteri Teſtamento verbis Hebraicis, quæ populo ſuo erant materna & popularia (exceptis paucis quibuſdam, quæ a Daniele & Ezra Chaldaicè ſcripta legimus) & in N. Teſtamento verbis Græcis, quæ iſto tempore in toto terrarũ orbe erant notiſſima, vt nationes omnes tanto facilius ad Chriſti cognitionem & Eccleſiam adducerentur.

Quâ linguâ ſacra Scriptura originaliter ſit conſcripta?

II.

Editio ergò Hebræa Veteris Teſtamenti, & Græca Novi Teſtamenti, ſolę ſunt ª θεόπνευστοι, ac proinde authenticæ, ex quibus tãquam ex fontibus reliquæ omnes verſiones ſunt derivandæ, quæ ad eas ſemper ſunt exigendæ & corrigendæ. Ad hos fontes in omnibus controverſijs perpetuò eſt

a divinitùs inſpirata.

An editio Hebraa V. T. & Graca N. T. ſola ſint authentica?

An sint corrupta?

est recurrendum. Fontes autem hosce esse turbidos, seu has editiones vel a Iudæis vel â Christianis corruptas esse ac propterea authenticas esse non posse, nullis idoneis argumentis potest probari.

III

An sacra Scriptura sit transferenda in linguam vernaculam?

Quandoquidem autem linguæ hæ originales Hebræa & Græca multis populis, ad quos hoc instrumentum fœderis pertinet, ac proinde ijs etiam communicari debet, barbaræ sunt atque incognitæ, ne illis S. Scriptura sit invtilis, operæpretium atque etiam necessarium est, vt S. Scriptura ex originalibus linguis in singularum gentium linguam vernaculam transferatur, in quâ etiam secundùm mandatum atque exemplum Christi atque Apostolorum, qui hunc præcipuè in finem linguarum dono præditi fuerunt, & praxin veteris Ecclesiæ Christianæ, singulis gentibus, quæ aliâ ratione doceri & lucrifieri non possent, Evangelium non tãtùm est prædicandum, sed etiam sacra omnia sunt administranda, quæ alioquin illis forent invtilia. Preces etiam privatæ linguâ precanti incognitâ, vel publicæ linguâ populo incognitâ conceptæ, non tantùm sunt invtiles & ridiculæ, sed etiam ab Apostolis expressè damnatę, neque vnquam ab Apostolis aut primitiva Ecclesia vsurpatæ.

An sacra sint administranda linguâ vernaculâ?

IV.

An vlla versio sit authentica?

Versiones seu Translationes S. Scripturę in linguas alias & diversas extant plurimæ, ac totidem esse possunt, quot sunt diversæ nationum per vniversum terrarum orbem dispersarum linguæ. Quinimò in vnâ eademque linguâ multæ possunt esse diversorum Autorum Versiones, qua-

rum

rum aliæ aliis sint accuratiores. Nulla tamen Versio, quæcunq; tandẽ illa sit, quantumvis cum fontibus seu originalibus editionibus optimè conveniens, authentica esse potest, aut eiusdem cum fontibus autoritatis: quia nulla à Deo immediatè inspiratur, sed omnes interpretes erroribus sunt obnoxij, atque alicubi hallucinari possunt. Ne illa quidem versio Græca septuaginta duorum interpretum, qui Hierosolymis ad Ptolomæum Philadelphum missi scribuntur, si hodie extaret, authentica esset. Hodierna verò translatio Græca V. T. neq; est illa LXX Interpretum, neque authentica, sed multis in locis est vitiosa.

An versio Græca V. T. sit LXX. interpretum & authentica?

V.

Multo minus vulgata Latina totius V. & N. T. versio, quæ perperam Hieronymi esse existimatur, tametsi longo vsu in Ecclesia recepta fuerit, & Concilium Tridentinum authenticam esse voluerit, authentica esse potest, aut pro tali haberi debet. Nam præterquam quod non sit editio *b ἀρχέτυπος*, quæ sola authentica est, neque translatio *c θεόπνευστος*, passim tam multis vitijs, erroribus, solœcismis, barbarismis, & manifestis sententiarum corruptelis scatet, vt vix vlla Latina translatio sit corruptior aut ineptior, tantum abest vt sit integerrima & plenissima.

An vulgata Latina versio sit authẽtica?

b *primogenia.*

c *divinitùs inspirata.*

VI.

Omnia scripta cum in finem, conscribuntur, vt legantur. Sic etiam Deus sacram Scripturam conscribi voluit, vt diligẽter à nobis legatur, quod ipsum, per Prophetas & Apostolos sæpius & expressè omnibus sine discrimine mandavit. Cæterum cum omnes nec Hebraicè, nec Græcè, neq; etiam Latinè intelligant, & tamen Scriptu-

An liceat promiscuè omnibus Christianis etiam laicis, S. Scripturam legere in linguâ vernaculâ?

ra, quæ ad omnes est scripta, & salutis æternæ, cujus cura omnibus & singulis incumbit, rationem manifestat, ab omnibus propterea diligenter in timore Dei est legenda. Ac non tantum licet cuilibet Christiano etiam laico, sed etiam vtile, ac quodammodo necessarium est S. Scripturam in linguam vernaculam translatam, si aliam linguam non intelligat, etiam sine Episcopi aut vllius hominis speciali indulto, legere. Nec metuendum est vt eâ ratione per se vllum homines percipiant detrimentum, aut in errores atque hæreses inducantur, quin potius multiplex inde vtilitas ad eos redundat. Quare impium & tyrannicum est Pontificiorum interdictum, quo plebem seu laicos, vt vocant, à S. Scripturæ lectione arcent, quô eos facilius in crassâ illâ inscitiâ detineant, eorumque fidei & conscientijs dominari queant; atque eâ ratione armis spiritualibus & consolatione scripturarum miseras animas spoliant, & non sine sacrilegio prohibent, quod Deus non tantum promiscuè omnibus concessit, sed etiam expressè mandavit.

DISP.

DISPVTATIO VI.

De S. Scripturæ Interpretatione, quod ad sensum:

&

De Iudice Controversiarum fidei.

Thesis I.

SCripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistunt: neque in verbis Scripturarũ est Evangelium, sed in sensu, sine quo rectè percepto S. Scriptura homini planè est inutilis. Quare imprimis genuinus S Scripturæ sensus ex verbis est eruendus per ligitimam *Interpretationem*, quæ nihil aliud est quam veri & genuini verborum S.Scripturæ sensus explicatio, eiusdemque *a* πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, καὶ πρὸς παιδείαν, τὴν ἐν δικαιοσύνῃ commoda applicatio.

Quid sit interpretatio S. Scripturæ?

a 2.*Tim*.3 16.

II.

Verus S. Scripturæ sensus est, qui ex verbis & phrasibus rectè intellectis resultat, atque immediatè colligitur, & quem dicentis intentio ac rei natura important. Sensus hic non est varius aut multiplex, ita vt S.Scriptura, instar nasi cerei, in varias diversorum sensuum formas flecti possit: sed est

Quis sit verus sacræ Scripturæ sensus?

An sensus S. Scripturæ sit multiplex

vnicus, nimirum *Grāmaticus*, seu *Literalis*, quem literæ, hoc est, verba sivè propriè, sive impropriè sumpta præ se ferunt. Omnis enim oratio, quæ certi aliquid docere debet, tantum vnam & simplicem sententiam potest habere. Verba & phrases sunt intelligenda vel propriè, vel figuratè & per tropum, quando propriè accepta manifestam absurditatem parerent, vel falsitatem arguerent. Quocunque modo intelligantur, exprimunt tantum vnicum hunc sensum literalem: atque ex hoc solo efficacia peti possunt in S. Theologia argumenta.

III.

An sensus Allegoricus, Anagogicus, & Tropologicus sint diversi sensus sacræ Scripturæ?

Reliqui tres sensus, quos Pontificij annumerant, & *mysticos* seu *spirituales* vocant, scilicet *Allegoricus*, *Anagogicus*, *& Tropologicus* non sunt diversi S. Scripturæ sensus, sed tantum diversi S. Scripturæ tractandæ modi, & vnius illius sensus Literalis variæ accommodationes. Allegorica enim interpretatio est sensus literalis ad Christum, aut ad Ecclesiam, per quandam similitudinem applicatio. Ad tales interpretationes non est temerè confugiendum, sed parcè & sobriè sunt vsurpandę. Periculosum enim est sine Spiritus Sancti directione ijs multum indulgere, & multi Patres hac occasione graviter errârunt, & sæpe allegorijs suis S. Scripturę veritatem obscurârunt, ac sensum perverterunt. Anagoge est typi V. T. ad veritatem in N. T. exhibitam applicatio. Tropologia est ejus, quod verbo innuitur, ad vitæ & morum institutionem ethica accommodatio.

An & quatenus liceat vti interpretatione Allegorica?

IV.

Interpretatio legitima S. Scripturæ non est

præcise

præcisè instituenda secundum interpretationem aut sensum Ecclesiæ, vel Romanæ, vel alterius; neque secundum Conciliorum Universalium Decreta, quæ errare possunt: neque secundum vnanimem & consentientem Patrum interpretationem, quæ in omnibus dari non potest; neque secundum aliquod verbum Dei non scriptum, quod non extat: sed ipsa S. Scriptura sui ipsius optima est interpres, & certissima controversias omnes decidendi regula, vtpote in quâ quod vno loco obscuriùs aut figuratè dicitur, alio loco clariùs & proprijs verbis explicatur. Quare ex ipsa S. Scriptura dicti obscurioris interpretatio petenda est: atque vt hoc commodè fiat, præcipuè & diligenter consideranda sunt natura phraseos aut dictionis in lingua originali, scopus & intentio dicentis, antecedentia & consequentia, materia rei de qua agitur, & loci alij S. Scripturæ paralleli & clariores. Omnis denique interpretatio congruere debet cum fidei analogia in Symbolo Apostolico & Decalogo expressa. *Quæ sit legitima interpretatio sacræ Scripturæ?*

V.

Quandoquidem autem omnes, quæ inter Christianos existunt in Religione controversiæ, circa legitimam S. Scripturæ Interpretationem versantur, vnaquâque parte contendente eam à se adferri, quæritur: Quis sit judex futurus harum controversiarum, qui inter legitimam & illegitimam interpretationem discernat? Respondemus: Iudicem controversiarum alium esse *Supremum*, alios judices *Inferiores*. In *Iudice* hoc *supremo* requiritur, vt infallibiliter verum dicat & errare non possit, vt partium studio non ducatur, vt ab *Quis sit supremus Iudex rectæ interpretationis, & controversiarum fidei?*

co provocari non possit, & vt certam notitiam ac fidem in animis hominum possit ingenerare, ac spirituali quadam potentia partes eâ ratione quasi constringere, vt veritati voluntariè obediant atque assentiantur. Hic judex non potest esse Episcopus Ecclesiæ Romanæ, seu Papa Romanus, vel vllus alius homo in terris, quantumvis excellentissimus Ecclesiæ Doctor, non immediatè vocatus, cum omnes possint errare, & in nemine reliquæ in judice supremo conditiones requisitæ reperiantur. Quin Papæ Romani sæpe errârunt, & hæretici facti sunt, & sæpe falsas ac contradictorias adduxerunt interpretationes. Nec Concilia Vniversalia, seu Ecclesia repræsentativa in Concilio vniversali congregata, nam & illa errare possunt, & sic in homines non in Deum fides nostra terminaretur. Sed supremus Iudex controversiarum Ecclesiasticarum est vnici Magistri & Doctoris nostri Iesu Christi, qui solus in causa Religionis est audiendus, Spiritus Sanctus loquens in Scripturis. Idem enim Spiritus, qui S. Scripturæ autor est, solus potest ac debet mentes nostras de interpretationis veritate non tantum edocere, sed etiam convincere, & ad assentiendum efficaciter permovere.

An Papa Roman?

An Concilia Vniversalia, An Ecclesia?

VI.

Iudices inferiores sunt à quibus ad supremum hunc judicem licet provocare. Suntque aut *Publici* aut *Privati*. Publici controversiarum Ecclesiasticarum judices sunt Verbi divini Ministri, Pastores, & Doctores, *b* quorum labia sapientiam custodi-

Qui sint Iudices inferiores? An & quatenus Ministri Ecclesiarum sunt Iudices?

b *malach.* 2. 7.

ent,

ent, ex quorum ore lex est requirenda, & quorum judicio Prophetæ, hoc est, Interpretes Scripturarum, subjecti esse debent. Iudicant autem vel vnusquisque singulatim, vel conjunctim in Synodo legitimè congregati, vt delegati Ecclesiæ judices, quorum judicium non est supremum & peremptorium, quia cum omnes in judicando errare possint, semper ad normam S. Sscripturæ est expendendum, sed tamen pacis & consensus causâ non est temerè rejiciendum. *Privati* judices sunt omnes Christiani, qui non tantum de Scripturarum interpretationibus, rectæne sint an secus, iudicare possunt ex verbo Dei per gratiam Spiritus Sancti, sed etiam debent Spiritus *c* discernere & probare an sint ex Deo, de doctrina cognoscere, vocem veri pastoris à mercenariorum ac luporum discernere, & omnes doctrinas atque interpretationes prius ad S. Scripturæ lapidem lydium probare, antequam eas vt bonas recipiant & retineant.

An & quatenus Synodi?

An omnes Christiani possint ac debeant judicare de cõtroversijs & doctrina?

c 1. *Ioh.* 4. 1

DE D. N. IESV CHRISTO.

DISPVT. VII.

De Divinitate Christi: seu *An secundum eam dici possit a Αὐτόθεος.*

a ipse deus aut a seipso Deus.

THESIS I.

COgnitio salutaris Domini nostri IESV CHRISTI, per quam multos justificabit, & sine quâ ad vitam æternam adulti pervenire non possunt, consistit præcipuè in duobus, in verâ *Personæ* ejus agnitione, & rectâ *Officij* eius cognitione. Circa vtrumque nobis aliquot cum Pontificijs controversiæ intercedunt. *Persona* Christi constat ex duab. naturis personaliter vnitis *divina & humana*. De *divina* Christi natura quamvis inter Nos & Pontificios satis conveniat, quod ad causam principalem attinet, cum vtrique fateamur Iesum Christum Filium Dei, cum Patre & Spiritu Sancto esse vnum illum

Quæ nobis sint controversiæ cum Pontificijs circa Divinitatem Christi?

illum verum & æternum Deum Patri & Spiritui Sancto *b* ὁμοούσιον: tamen quasi ex mera cavillandi libidine, litem nobis movent; An Christus respectu divinæ naturæ rectè possit dici Αὐτόθεος?

b consubstantialem.

II.

Quid significet vox αὐτόθεος?

Vox Αὐτόθεος non est recenter inventa, sed ab antiquissimis Patribus Græcis etiam vsurpata. Significationem autem duplicem habere potest: significat enim vel eum qui est *ipse Deus*, vel eum qui est *à seipso Deus*. Secundum vtramque significationem vox hæc Domino nostro Iesu Christo, Dei Filio, seu secundę Dietatis Personæ orthodoxè, et non incommodè attribui potest.

III.

An Filius sit ipse Deus?

Secundum primam significationem Filius Dei rectè vocatur Αὐτόθεος, quia verè, propriè, & essentialiter est vnicus ille & æternus Deus. Atque ita à Græcis Patribus etiam vocatur *c* Αὐτοζωὴ, *d* Αὐτοδύναμις, *e* Αὐτοαγαθὸν, *f* Αὐτοαλήθεια, *g* Αὐτοδικαιοσύνη, *h* Αὐτοσοφία, *i* Αὐτοτέλεια, &c. Atque hæc significatio antiquitati atque vsui vocis optimè convenit.

c ipsa vita.
d ipsa potentia.
e ipsa bonitas.
f ipsa veritas
g ipsa justitia.
h ipsa sapientia.
i ipsa perfectio.

IV.

An Filius sit à seipso Deus?

Secundum alteram significationem vox hæc intelligi potest aut *positivè*, (i) κατὰ θέσιν, quatenus *esse à se* significat à seipso productũ esse: ita propriè loquẽdo nulla Deitatis persona est αὐτόθεος. Aut *negativè* (i) κατ' ἄρσιν & ἀναίτιον, vt denotet à nullo esse productũ, seu esse *l* ἀναίτιον. Hoc

l causæ expertem.

sensu an Filius possit dici αὐτόθεος præcipuè inter nos & Pontificios controvertitur. Respondemus, Filium Dei *respectu essentia divina* absolutè & per se consideratæ rectè dici posse αὐτόθεον, hoc est, *Deum à seipso*, quia habet Deitatem, seu divinam naturam à seipsa existentem, & non ab alio productam aut essentiatam, sed eandem habet essentiam divinam, seu Dietatem, quam Pater habet, non ab alio genitam aut productam: Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ m.

Respectu Essentia.

m. *Ioh.* 5. 26.

V.

Etsi enim Filius *respectu persona*, quâ Filius est, essentiam divinam habet à Patre per naturalem ac necessariam quandam communicationem generatione æterna, vndè non rectè (vt ita loquamur) n αὐτόθεος appellari possit, non tamen habet essentiá quæ á Patre sit producta aut effecta. Quare vt Pater rectè potest vocari o ἀρχὴ καὶ αἰτία Filij, ita perperam diceretur principium & causa Deitatis Filij. Dietas enim, quam Filius habet, est οὐσία ἀναίτιος, omnis causæ, principij, & originis expers.

Respectu persona.

n *ex seipso filius.*

o *principium & causa.*

VI.

Quod ergo in Symbolo Niceno Christus dicitur esse Deus de Deo, & lumē de lumine non est intelligendum οὐσιωδῶς, seu respectu Essentiæ, sic enim Filius secundum essentiam à Patre distingueretur & plures Dij darentur: sed ὑποστατικῶς seu respectu Personæ, vt significetur Filium, seu secundam personam Deitatis, verum Deum & lumen, â Patre, seu prima Deitatis personâ, qui etiam est Deus & lumen, esse ab æterno genitum, non quâ Deus, sed quâ Filius.

DISPVTATIO VIII.

De Humanâ Christi Naturâ:

ſeu

De Corpore & de Animâ Christi.

THESIS I.

ÆTernum Dei Filium in plenitudine temporis veram naturam humanam constantem ex vero corpore, & vera anima rationali, in ſuam ὑπόστασιν ſeu vnitatem Perſonæ aſſumpſiſſe, ἀσυγχύτως καὶ ἀτρέπτως, hoc eſt, ita vt nec eſſentiarum, nec proprietatum eſſentialium vlla ſit facta confuſio, commixtio aut converſio, ſed vtraque natura ſalva & incolumis cum omnibus proprietatibus eſſentialibus in communi hypoſtaſi permanſerint, Pontificij nobiſcum orthodoxè confitentur: ac propterea rejiciunt figmentum Vbiquitariorum, qui docent: per hanc perſonalem duarum naturarum vnionem, ac per Christi exaltationem, humano corpori Christi eſſe communicatam Omnipræſentiam, quæ eſt incommunicabilis, propria & eſſentialis divinæ naturæ proprietas.

An corpus Chriſti poſſit eſſe vbiq; præſens? a citra cōfuſionem et converſionem.

II.

Haud longè tamen ab hoc eodem errore ipſi abſunt, cùm Christi corpori attribuunt πολυτοπίαν, ſeu Multipræſentiam, & docent vnum illud corpus verè, localiter, & corporaliter ſimul præſens eſſe

An corpus Chriſti poſſit eſſe præſens in plurib. locis ſimul?

esse posse in multis ac propemodum infinitis locis, ac revera hoc modo, præsens esse in omnibus ijs locis, in quibus panis Eucharisticus consecratur, vel consecratus asservatur, atque ita etiam vnum hoc corpus pro locorum multitudine toties multiplicari. Hæc enim *b* πολυτοπία, cum penè sit infinita, ab Vbiquitate vix differt, nisi quod paulò sit restrictior: & quæ adversus Vbiquitatem à Pontificijs argumenta producuntur, pleraque ad refutandam hanc πολυτοπίαν adversus ipsos commodè retorqueri possunt.

b *multi-præsentia.*

III.

Pugnat etiam hic Pontificiorum error non tantum cum præcipuis fidei articulis, ac præsertim cum articulo De Ascensione Christi in cœlum, quo oportet eum capi vsque ad tempora restitutionis omnium, sed etiam cum veri corporis humani, secundum quod nobis etiam factus est similis, vnitate & veritate. Vnum enim corpus esse & in diversis locis simul esse, manifestè implicat contradictionem: nam sic vnū corpus poterit esse simul vnum & multa, sursum & deorsum, ab eodem loco remotum & non remotum. Corpus etiam omne verum debet semper vnum aliquem certum locum occupare. Nam si tollas spacia corporibus nusquam erunt, & quia nusquam erunt, nec erunt. Atque hinc apparet alius Pontificiorum error, cum docent, in Christi nativitate factam esse corporum penetrationem, & corpus ejus clauso matris vtero in lucem esse editum.

An vnum corpus possit simul esse in plurib. locis?

An corpus possit esse sine loco?

An in Christi nativitate facta sit corporum penetratio?

IV.

Anima Christi, quod ad essentiam, nostræ fuit similis, ac proinde quia non tantum voluntate, sed etiam intellectu sit prædita, quæritur: Quali scientiâ intellectus humanus animæ Christi in hac vita præditus fuerit? Respondemus, quemadmodum in vna Persona Christi duæ sunt Naturæ, & secundum eas omnia duplicia, intellectus, voluntates, proprietates, & operationes naturales; sic etiam duplicem esse scientiam, *Divinam*, & *Humanam*, quarum vtraque integras servat proprietates suas. Scientia ejus *Divina* infinita est, omnis mutationis ac successionis expers, habetque omnia sibi præsentissima. De hâc nulla est quæstio. Scientia Christi *Humana* aut est *Beata* illa scientia, quâ anima Christi *a λόγῳ* vnita Deum actu videt in vnione secundum naturam suam humanam, & in eo reliqua omnia, quæ ad beatitudinem ejus spectant. Aut est scientia *Infusa*, quâ per habitus divinitùs animæ per Spiritum Sanctum inditos & infusos, novit tam divina quam humana, quæcunque ab vllo intellectu vel angelico vel humano cognosci possunt. Hæc Christi scientia tamersi præstantior & major fuerit omnium Angelorum & hominum cognitione, (accepit enim eam non ad *b* mensuram) non tamen fuit infinita, & hac dici potest profecisse, non quidem quod ad habitus infusos, sed quod ad actus.

Quali sciētia Christi anima fuerit prædita?

Quotuplex sit in Christo scientia?

a verbo.

b *Ioh.* 3. 34

V.

Aut denique est scientia *Acquisita*, qua res cognovit secundum naturam, agente intellectu, sive per inventionem intus, sive per experientiam foris, vnde etiam *experimentalis* vocatur. Hâc scientia

An Christi anima ab initio conceptionis habuerit omnisciētiam?

ſcientiâ Chriſtus verè, profecit & crevit non tantum quod ad actus, ſed etiam quod ad ipſos habitus. Non enim ſtatim ab initio conceptionis omnia ita plenè & exactè novit, vt ea nunc novit poſtquam ad dextram Dei eſt exaltatus, ſed intellectus ejus humanus nonnulla verè ignoravit, & progreſſu temporis multa verè didicit tum ex patefactione divina, tum experimentis.

VI.

An & qualis ignorantia Chriſto tribui poſſit?

Ignorantiam aliquam cum animæ Chriſti tribuimus, non patrocinamur errori Agnoëtarum, qui Chriſto etiam ſecundum divinitatem ignorantiam tribuebant; multo minus peccatum aut defectum aliquem propriè dictum in eo ſtatuimus. Ignorantia enim dicitur dupliciter, aut *Negativè*, quæ & ſimplex ignorantia & neſcientia dicitur, & nullum omnino peccatum arguit, qualis in ſanctis Angelis & beatis eſt, & in primis hominibus ante lapſum fuit. Non enim ſciunt omne ſcibile, aut omne quidquid ſcit Deus. Hæc ignorantia non poteſt niſi *e* κατα-χρηστικῶς defectus dici, cum nulla ſcientia deſit debita ineſſe. Aut *Poſitivè*, cum quis ignorat eas res, quas poteſt & debet ſcire. Hæc verè defectus eſt, & in Chriſto nunquam fuit. Chriſtus etiam aſſumens naturam noſtram humanam coaſſumpſit omnes noſtros defectus atque *f* ἀ-σθενείας, excepto peccato, ac proinde anima ejus non tantum anguſtijs ac doloribus, ſed etiam veris perturbationibus, minimè tamen vitioſis aut inordinatis, in ſtatu humiliationis fuit obnoxia.

e abuſivè

f infirmitates.

An anima Chriſti infirmitatib. & perturbationib. fuerit obnoxia?

DISPVTATIO IX.

De Officio Christi Mediatorio.

Thesis I.

An homini opus sit Mediatore apud Deum?

Homo peccator & injustissimus à Deo justissimo, & peccatis summè offenso atque irato, hostiliter diffidens, non potuit per seipsum justitiæ divinæ satisfacere, ab ira Dei se liberare, aut cum Deo reconciliari, sed necesse fuit vt interveniret persona quædam media, quæ merito, satisfactione, atque intercessione sua à Deo hominibus impetraret, atque etiam efficaciter conferret remissionem peccatorum & salutem æternam, atque hac ratione hominem peccatorem cum Deo peccatis irascente reconciliaret. Hanc personam vocamus Mediatorem Reconciliationis, seu Redemptionis.

II.

Quali Mediatore sit opus?

a Heb. 7. 27

Hunc Mediatorem oportet esse, in vnitate personæ, Verum & Iustum Hominem, vt non necesse habeat *a* ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, sed vt pro nostris peccatis pati, sanguinem fundere, & mori possit; & simul etiam Verum Deum, vt pœnam peccatis nostris debitam propter pœnæ gravitatem ac personæ patientis dignitatem, æternæ pœnæ æquivalentem in assumpta humana natura ferre ac superare, nosque à summo malo liberare, & summum nobis bonum restituere possit.

III.

Quis sit ille Mediator?

Mediator hic Dei & hominũ vnus est & solus Dominus noster IESVS CHRISTVS, vnigenitus & proprius Dei Filius in plenitudine temporis b γενόμενος ἐκ γυναικὸς, in quo solo omnes in Mediatore conditiones requisitæ reperiuntur, & de Mediatore prædictiones propheticæ sunt completæ, & qui solus hoc munus perfectissimè secundum omnes partes explevit, atque etiam nunc obit, non tantum Reconciliationis, sed etiam Intercessionis, ita vt in muneris hujus consortium nullam omnino creaturam, ne ipsam quidem sanctissimam Matrem suam, admittat.

b *Gal. 4. 4.*

An Christus solus sit Mediator?

IV.

An Christi sit Mediator secundum vtramque naturam?

Quandoquidem autem Persona Christi constat ex duabus Naturis, Divina & Humana, quæritur: Secundum quam naturam Christus sit Mediator? Respondemus, Totum Christum, quâ Deus, & quâ Homo, officium hoc Mediatorium executum esse, atque etiam nunc exequi, secundum vtramque naturam, non tantum secundum humanã, sed etiam secundum divinam c κατ' οἰκονομίαν, consideratam: idque ratione non tantùm suppositi, sed etiam duplicis principij formalis. Divina enim natura nisi operationibus suis ad opus Mediatorium concurreret, non potuisset Christus neque summum Ecclesię doctorem, & cœlestem Prophetam agere, neque Pontificis ęterni partes obire, neque Sacerdos esse secundum ordinem & typum Melchisedeci, neque regiam potestatem in cœlo & terra debitè exercere, neque Diabolum & mortem vincere, neque Spiritum Sanctum mittere; neque corda nostra renovare, neque partam nobis salutem con-

c *secundum dispensationem.*

ferre

ferre & conservare. Harum operationum divinarum, quæ necessariò ad munus Mediatorium requiruntur, natura Christi divina principium est non tantum agens, sed etiam formale. Humana verò ejus natura est humanarum operationum principium formale, subsistens in divina, & ab ea habens principium essentiæ, potentiæ, & operationum omnium. Persona, seu suppositum, est principium commune operationum, conjunctim non divisim, inconfusè & inseperabiliter, sed ita, vt secundum principia singularia duarum in ipso naturarum duplex sit actio & agendi modus, & secundum suppositum vnum sit d ἀποτέλεσμα, quod propterea etiam vocatur e θεανδρικὸν, & θεανθρώπινον.

d *effectum*
e *divino-humanum*

V.

Christus quæcunque exequens munus hoc Mediatorium fecit & passus est, ea omnia pro salute nostra, & in nostrum emolumentum, fecit & passus est, ita vt propriè loquendo sibiipsi nihil sit meritus. Quare Christus per obedientiam & perpessiones, non tanquam per meritum, sed tanquam per viam, ex sapientissima Dei ordinatione, pervenit ad gloriam illam cœlestem, quæ respectu divinitatis suæ semper ipsi fuit propria & debita, & per gloriosa illa redemptionis opera declaravit se esse personam illam omni supremo honore ac gloria cœlesti dignissimam.

An Christus sibi ipsi aliquid meruerit?

VI.

Angeli boni cum non peccârunt, neque à Deo dissideant, Mediatore redemptionis vel Reconciliationis opus non habent. Quia tamen

An Christus etiam sit Mediator Angelorũ?

ab æterno Dei Filio habent, quod ad imaginem Dei creatę communione Dei vt summi boni fruantur, & in ea persistant, cum in Christo sint electi ad vitam æternam, atque ab eodem ita conserventur, vt potentia mutabilitatis, cum qua creati sunt, & secundum quam miseri esse potuerunt, nunquam producatur in actum, merito Christus ętiam Angelorum non tantum Caput, sed & Mediator Vnionis cum Deo, & in eâdem Conservationis, appellari potest.

DISPVTATIO X.

De Descensu Christi ad Inferos, & de Limbo Patrum.

THESIS I.

Quotuplex sit officium Christi?

MEdiationē inter Deū & homines Chrstus absolvit triplici officio, Prophetico, Regio & Sacerdotali, triplici illâ Prophetarum, Regum, & Sacerdotum in Veteri Testamento vnctione inaugurali typicè adumbrato. Prophetiâ suâ naturæ nostræ malum & gratiæ suæ bonum nobis agnoscendum proponit. Regia potestate Ecclesiam suam liberat, regit, defendit, & glorificat. Sacerdotio aufert reatum nostrum cùm per oblationem sacrificij a ἱλαστικῶ ϗ ἀπολυτρωτικῶ, tum̃ per intercessionem apud Deum Patrem peccatis nostris offensum.

a propitiatorij et redemptorij.

II.

An sola corporalis passio Christi sit sufficiens λύτρον ad redemptionem?

Sacrificium expiatorium, quod Christus pro nobis semel in ara Crucis obtulit, non fuit tantúm ejus corpus, seu corporalis passio & mors, quæ sola non potuit esse sufficiens satisfactio ad redemptionem totius hominis. Cum enim homo non tantum corpore, sed etiam animâ peccaverit, & peccatis suis secundum Dei justitiam & interminationem reatum sibi contraxerit non tantum mortis corporalis, sed etiam æternæ, & puniri meruerit non tantum in corpore, sed etiam in anima; necesse fuit Christum Sponsorem & *b* λυτρωτὴν nostrum, vt pro nobis plenissimè satisfaceret, & nos non tantum à corporali, sed etiam ac præcipuè ab æterna morte liberaret, non tantum in corpore, sed precipuè in anima pati, & non tãtum temporalem, sed etiam æternam mortem ac maledictionem subire. Atque hanc ob causam etiam totam naturam nostram assumpsit, vt in tota pateretur.

b *redemptorem.*

III.

An, quomodo, & quid Christus passus sit in anima?

Passiones ergo Christi quibus redempti sumus, præcipuæ fuerunt in anima ejus, quæ afflicta fuit, non tantum ex condolentia passionum corporalium, aut ex commiseratione propter peccata hominum, sed verè & propriè in anima sua sensit iram Patris propter peccata nostra, quæ in ipsum conjecta fuerunt, contra se tanquam omnium peccatorum nostrorum reum, accensam atque ardentem. Ex hoc sensu, non vero ex affectu tanquam humani sensus mortem & cruciatus apprehendentis & exhorrescentis, anima ipsius fuit *c* περίλυπος ἕως θανάτου, atque ipse *d* ἐν ἀγωνίᾳ atque extrema animæ anxietate constitu-

c *Mat.* 26. 38.
d *Luc.* 22. 44.

tus non fictè sed verè conquestus est in cruce, se respectu peccatorum nostrorum, pro quibus luebat, à Deo esse derelictum quia propter illa gravissimum illud summèque horrendum iræ divinæ onus tanta mole ipsi incumbebat, ut sensus naturæ nihil aliud dictaret. In hoc tamen diro cruciatu & in his summis animæ angoribus non desperavit, sed fides ejus illæsa permansit. Atque hæc est mors illa æterna, quam nostrî vice pati debuit & perpessus est, consistens in immensitate agonum, cruciatuum & dolorum infernalium, qui tametsi in damnatis hominibus in æternum continuabuntur, propter satisfactionis defectum, ob quem non datur liberatio, neque exitus: in Christo tamen continuari non debuerunt, neque potuerunt, propter perfectissimam, quam præstitit satisfactionem, ob quam impossibile fuit eum e τὰς ὠδῖνας θανάτου, vel τοῦ ᾅδου, in perpetuum detineri. Christus ergo licet mortem duratione æternam perpessus non fuerit, pœnam tamen luit pro peccatis nostris, cum angorum immensitate, tum personæ morientis dignitate, æternæ morti æquivalentem.

An Christus passus sit mortem æternam?

e doloribus mortis vel inferni. Act. 2. 24.

IV.

Omnes hæ Christi perpessiones optimâ methodo sine ullâ vel f ταυτολογίᾳ vel ὑστερολογίᾳ in Symbolo exprimuntur. Prius enim in genere dicitur, *Passus est*, scilicet, quæcunque nostri causa pati debuit. Deinde speciatim passiones ejus explicantur, primò externæ & corporales cum dicitur, *Crucifixus, Mortuus, & Sepultus est*: secundò internæ atque animi, quæ jam descriptæ sunt, cum dicitur, *Descendit ad Inferos.*

f inani ejusdem repetitione, vel præpostera locutione.

An passiones Christi in anima etiam in Symbolo exprimantur?

V.

Hic articulus de Descensu Christi ad Inferos, etsi in multis Symbolis omittitur, tamen quia in Symbolo quod Apostolicum vocatur, & maximæ semper in Ecclesijs fuit autoritatis, disertè extat, & à multis jam seculis summo Christianorum consensu receptus est, & doctrinam pervtilem continet; ex Symbolo neutiquam est expungendus. Quandoquidem autem Hebræa vox שאול *Scheol*, & vox Græca, quâ illa plerumque transfertur, ᾅδης, diversas habent significationes, secundum quas diversæ hujus articuli interpretationes adhiberi possunt: quæritur, Quænam secundum Scripturam & fidei analogiam sit maximè conveniens? Respondemus, etsi vtraque vox communissimè significet *Sepulchrum*, non tamen articulum De sepultura hic intelligi posse. Ille enim proximè præcessit, & ineptum fuisset vnum eundemque articulum in tam brevi Symbolo tautologicè repetere, aut per se satis clarum exegeticè obscurioribus verbis explicare. Deinde quamvis vtraque vox ac præsertim Græca, sæpe etiam accipitur pro loco cruciandis reprobis destinato, non potest tamen in hac significatione articulus hic exponi. Christus enim non potuit localiter eò descendere, neque secundum Divinitatem, quæ vbique est; neque secundum corpus, quod triduo illo fuit in sepulchro; neq; secundùm animam, quæ fuit in Paradiso cœlesti. Nec habuit quod in eo loco ageret, cum jam omnes cruciatus morte consummati essent, & Princeps mortis jam morte devictus. Nec conveniens est in infimò ignominiæ gra-

An articulus De descensu ad Inferos debeat extare in Symbolo?

Quis sit sensus hujus articuli?

An sit idem cum articulo De sepultura?

An Christus localiter descendit ad locum damnatorum?

du triumphum statuere. Victoriam autem suam ad terrificandos hostes suos alia ratione satis evidenter ostentare potuit. Quoniam autem hæ voces præterea significant, aut statum eorum, qui à morte oppressi atque absorpti sunt, aut horrendos cruciatus atque extremos angores, consequitur per Descensum ad Inferos, aut intelligi debere imperium & dominium illud ᾅδου, quod per continuatam Christi, in obsignato & custodibus munito sepulchro, oppressi conclusique mortem, triduo illo obtinuit: Aut denique perpessionem cruciatuum & angorum infernalium, quos Christus tanquam Sponsor noster, iram Patris perferens, in anima expertus est. Atque hic articuli sensus maximè est genuinus, ac phrasi Scripturæ, ac fidei ἀναλογία g.

g consentaneus.

VI.

Animæ sanctorũ Patriarcharum, Prophetarum, & cæterorum fidelium, quotquot ante Christi in cœlum ascentionem ex hac vita excesserunt, non fuerunt in aliquo loco infernali aut subterraneo asservatæ, sed statim ab excessu ex corporibus in Cœlum, in Paradisum cœlestem, in sinum Abrahæ, in cœlestem Hierusalem, & in consortium Angelorum receptæ, cum eandem, quod ad substantiam attinet, nobiscum fidem habuerint quâ justificati æquum fuit vt eandẽ etiam nobiscum justitiæ coronam acciperent. Virtus enim meriti Christi, qui heri & hodie idem est, & in secula, & agnus ille est mactatus h jam inde à jacto mundi fundamento, sub vtroque Testamento eandem habuit efficaciam. Quare inane est humani cerebri commentum Limbus ille infernalis in quo Pontificij fabulantur animas Patrum in

h Apoc. 13. 8.

An animæ Sanctorum in V. T. ante Christi ascensionem fuerint in cœlo?

An vero in Limbo quodã infernalis?

Veteri

Veteri Testamento fuisse asservatas, vsquedum Christus, post mortem suam, locali in hunc infernalem & subterraneum locum descensu, eas inde liberaverit: ac propterea neque hoc esse potest idipsum, quod articulo De descensu Christi ad Inferos exprimitur.

DE PAPA ROMANO.

DISPVTATIO XI.

De optimo Ecclesiæ Regimine.

THESIS I.

ECCLESIA, quæ Domus est DEI viventis' in quâ omnia *a* εὐτάκτως geri debent, non potest consistere sine legitimo regimine, præsertim quamdiu in hisce terris militat.

An Ecclesia opus habeat Regimine?

a *ordinatè.*

II.

Regimen Ecclesiæ duplex est, *Internum*, seu *Invisibile*; & *Externum*, seu *Visibile*.

Quotuplex sit?

III.

Regimen *Invisibile*, est quo Deus Pater per Filium suum IESVM CHRISTVM, *b* quem constituit Caput super omnia ipsi Ecclesiæ, virtute & efficacia Spiritus Sancti Ecclesiam vniversam immediatè ac potenter colligit, regit, ac conservat. Hoc regimen est planè *c* αὐτοκρατορικὸν, Monarchicum, & omnis consortis aut vicarij impatiens.

Quid & quale sit regimen invisibile?

b *Ephes.* 1. 22.

c *imperatorium.*

IV.

Quid sit Regimen visibile?

Regimen *Visibile* est externa Ecclesiæ gubernatio, qua mediatè ministerio hominum sub Christo capite fideles ad communionem cum Deo, & inter se colliguntur, & in eadem reguntur, ac conservantur, per talia media, quæ ab ipso Christo ad hunc finem sunt ordinata.

V.

Quibus hoc regimen commissum?

c antistites, seu præsides, ductores.

d collegas.

Hoc regimen in Novo Testamento à Christo commissum est hominibus vel immediatè à se ad hoc vocatis, quales fuerunt Apostoli, vel mediatè ab Ecclesia singulariter & ordinariè ad hoc electis, qui ab hoc officio in Scriptura vocantur *Pastores, Episcopi, Presbyteri, Gubernatores. Œconomi Dei, c προϊστάμενοι* seu *προεστῶτες, ἡγούμενοι,* &c. Estque hoc regimen planè *Ministeriale*, nec vllum admittit Dominium, vel in *d Συμπρεσβυτέρους*, vel in Gregem.

VI.

Quæ sit optima forma regiminis visibilis? An sit Monarchica?

Regiminis itaque hujus Ministerialis optima forma non est æstimanda ex ingenio humano, neque semper Reipublicæ regimini politico conformanda, sed forma quam Christus Ecclesiæ Dominus & Princeps in Novo Testamento instituit, ea servari atque optima judicari debet. Hæc non est Monarchica, ita vt hoc regimen committatur vni alicui homini, qui reliquis Ministris & toti Ecclesiæ, vt Caput ministeriale, vel Christi in terris Vacarius vniversalis, præsit ac dominetur. Tale enim regimen vni homini impossibile, & toti Ecclesiæ invtile, peri-

culosum,

culosum, ac noxium est, atque etiam à Christo expressè prohibitum. Sed hæc est genuina & à Christo instituta Ecclesiæ gubernatio, vt exclusa omni dominatione, Ecclesia per Presbyteria & Synodos gubernetur, in quibus vt ordinis causa digniori ac maximè idoneo *e προστασία* quædam sine dominatu concedatur, non tantum vtile, sed etiam quodammodo est necessarium. Hæc forma regiminis partim Aristocratiæ, partim Democratiæ respondet, ad Aristocratiam tamen quam proximè accedit.

e præpositura, vel præsidentia.

DISPVTATIO XII.

De Primatu Apostoli Petri, & De Pontificis Romani in eodem successione.

Thesis I.

An Apostoli habeant successores?

GVbernatores Ecclesiæ Novi Testamenti extraordinarij & immediatè vocati fuerunt Apostoli, qui præ reliquis Novi Testamenti ministris ordinariis multas habuerunt prærogativas, immediatã scilicet à Christo vocationem & missionem, generalem in vniversum orbem legationem, potestatem Ecclesias non vno duntaxat in loco, sed vbivis terrarũ plan-

tandi, dona extraordinaria Spiritus Sancti, immunitatem ab omni errore in doctrina, & singularem atque extraordinariam autoritatem. In hoc Apostolatu propriè dicto nullos habent successores, quia functio fuit planè extraordinaria & temporalis, quæ cum ipsis Apostolis, expiravit.

II.

An inter Apostolos fuerit aliquis primatus?

Omnes Apostoli fuerunt pares dignitate, autoritate, jure & potestate, quia omnibus æqualiter prædicatio Evangelij mandata fuit, Ecclesiarum cura incubuit, claves regni cœlorum fuerunt commissæ, atque omnia Apostolatus privilegia concessa. Omnibus & singulis etiam totius Ecclesiæ regimen pari jure ac potestate datum fuit, sed nemini ex illis datum fuit vniversale aliquod dominium, vel in totam Ecclesiam, vel in reliquos Apostolos. Quare Apostolus Petrus tametsi ætatis atque ordinis causâ, sæpius reliquis præiverit in dicendo, nullum tamen inter Apostolos Primatum obtinuit aut exercuit, neque Apostoli eum pro Primate inter ipsos agnoverunt, neque vlla ratio dari potest, ob quam Petro talis præeminentia præ cæteris competere debuerit, nec denique vspiam in N.T. talis Primatus inter Petri prærogativas recensetur.

An Apostolus Petrus habuerit Primatum?

III.

An Apostolus Petrus Romæ fuerit Episcopus & ibi mortuus sit?

Apostolum Petrum Hierosolymis, Antiochiæ, & in vicinis locis Evangelium prædicâsse ex verbo Dei manifestè constat, sed eum etiam Romæ vixisse, ibi Ecclesiam fundâsse, eamque viginti quinque annos, vt Episcopum ejus Ecclesiæ rexisse, ac tandem ibidem sub Nerone martyrio fuisse affectum, etsi multi ex veteribus testentur,

non

non potest tamen ulla probabili ratione ex sacra Scriptura demonstrari. Quin potius probabilibus ex Scriptura argumentis contrarium ostendi potest; atque hoc præsertim ex Chronologia historiæ sacræ collata cum historia Romana manifestissimè patet, non potuisse eum viginti quinque annis Romæ sedere, & sub Nerone martyrij coronam accipere: nisi quis velit dicere eum etiam post mortem aliquot annos Romæ vixisse. A morte enim Christi ad vltimum Neronis annum effluxerunt tantum XXXVI anni, & constat ex Scriptura Petrum à morte Christi per XVIII annos in Iudæa & vicinis regionibus mansisse, quibus si addantur XXV anni, quibus Romæ dicitur sedisse, exsurgent anni XLIII.

IV.

An Papa Romanus sit Successor Petri?

Quare Papa Romanus non potest esse Apostoli Petri Successor, neque in Apostolatu, qui cum ipso desijt, neque in Primatu, seu vniversali in totam Ecclesiam dominio, quod Petrus nunquam habuit, neque in ordinario Romanæ Ecclesiæ Episcopatu, cum Petrus nulli particulari Ecclesiæ, (vti & cæteri Apostoli) fuerit alligatus, & incertum sit an vnquam Romæ fuerit: Neque etiam in Doctrina hodierni Pontifices Romani pro legitimis Petri successoribus haberi possunt, cum jamdudum ab ea quàm longissimè recesserint, atque eandem hodieque ferro & flammis extirpare conentur. Non enim habent hæreditatem Petri, qui fidem Petri non tenent. Sed si eorum actiones ac munus, quod nunc potissimum exercent, spectemus, Neroni potius quam Petro successisse merito dici possunt.

V.

An veteres Episcopi Romani sint Petri Successores

V.

Veteres Romanæ Ecclesiæ Episcopi, quam diu doctrinam Evangelicam purè docuerunt, orthodoxam fidei confessionem tenuerunt, & munere suo probè functi fuerunt, respectu Doctrinæ, & Ministerij Ecclesiæ generatim sumpti, seu muneris pascendi Ecclesiam sibi commissam, & Petri & cæterorum Apostolorum Successores dici possunt. Verum hic honos non est illis pecularis, sed omnibus etiam orthodoxis & legitimis Ecclesiarum pastoribus vbivis terrarum communis.

An Papa Romanus habeat Primatum & dominium in omnes Ecclesias?

VI.

Olim quidem veteribus illis Ecclesię Romanæ Episcopis non vulgares tituli fuerunt attributi, nec mediocres ab alijs Ecclesijs honores exhibiti sed hoc factum fuit, non quod agnoscerent Romanũ Episcopum pro totius Ecclesiæ Primate, Capite, & Monarcha, qui dominium in omnes Ecclesias obtineat, ad quem appellationes institui debeant, qui omnes judicet & a nemine judicari debeat, aut deponi possit, sed tum *a διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην*, quam ob causam etiam postea Episcopo vrbis Constantinopolitanæ *b ἴσα πρεσβεῖα* fuerunt tributa: tum propter eximiam eorum doctrinam, & singularem pietatem, quibus cæteros anteibant, & propter Ecclesiæ, cui præerant, amplitudinem. Hæc causa fuit quod nonnunquam *c πρωτοκαθεδρία* & Præsidentia, vt vocant, in Concilijs ijs oblata fuerit, & difficiles Ecclesiarum aliarum controversiæ ad judicium Ecclesiæ Romanæ sæpius fuerint delatæ. Primatum autem illum, quem Papa Romanus

a *propter dominium istius civitatis.*

b *æqualia honoraria.*

c *prima sedes.*

nunc ſibi arrogat, atque vſurpat, nullo obtinet jure: neque divino, quo omnibus Eccleſiarum Paſtoribus mandatur paſcere gregem Dei, qui penes ipſos eſt, & interdicitur [d] μὴ κατακυριεύειν τῶν κλήρων: neque jure Eccleſiaſtico, ſecundum quod tametſi olim (conſilio quidem non malo, ſed tamen humano, & vt eventus docuit periculoſo) ad vitandam [e] ἀναρχίαν, & tollenda ſciſmatum ſemina, ſpe [f] εὐταξίας, vni alicui Epiſcopo maximè idoneo, in civitate Metropoli, cura omnium iſtius Diœceſeos vel provinciæ Eccleſiarum fuerit demandata, nulli tamen Epiſcopo vniuerſale totius Eccleſiæ regimen fuit commiſſum, vel dominium in omnes Eccleſias conceſſum. Primatum vero hunc poſteriores Romani Epiſcopi ſumma ambitione & intolerabili ambitu ſæpius affectatum, à profano illo parricida Phoca impetrarunt, & partim vi partim fraudibus, & malis artibus tandem obtinuerunt.

d 1. Pet. 5. 3.

e confuſionē, vel ſolutam ſine omni imperio licentiam.

f rati ordinis.

DISPVTATIO XIII.

De Antichriſto.

Theſis I.

Qui & quotuplices ſint Antichriſti?

ANτίχριστοι vocantur, non illi, qui ſe pro Chriſto & vero Meſſia falſò venditant, tales enim in Scriptura propriè ψευδόχριστοι appellātur: ſed qui doctrinę Chriſti cujus ſe ſectatores profitentur, quoquo modo adverſantur. Horum alij tantū aliquibus doctrinę capitibus adverſātur, qui

qui & a ψευδοπροφῆται, & ψευδοδιδάσκαλοι, & ἄνθρωποι αἱρετικοὶ appellantur, quales etiam ipsis Apostolorum temporibus multi extiterunt Antichristi. Vnus vero inter eos eximius Christi, ejusque Ecclesiæ adversarius excellit, qui toti fere doctrinæ Christianæ corpori adversatur, & sub nomine Christi quam maximè Christum oppugnat, ejusque proprium honorem & officium ad se transfert, qui in Scriptura vocatur b ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, c ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, d ὁ ἄνομος, e ὁ ἀντικείμενος, f βασιλεὺς τῶν ἀκρίδων, g ἄγγελος τῆς ἀβύσσου, h Ἀβαδδὼν, i Ἀπολλύων, l δράκων, m θηρίον, n πόρνη, p ὁ ψευδοπροφήτης, & denique κατ' ἐξοχὴν ὁ Ἀντίχριστος q.

a falsi propheta, falsi doctores, et homines heretici.
b 2. *Thess.* 2. 3.
c *ibid.*
d 2 *Thess.* 2. 8.
e 2. *Thess.* 2. 4.
f *Apoc.* 9. 11
g *ibid*
h *ibid.* i *ibid.*
l *Apoc.* 12. 3
m *Apoc* 11. 7.
n *Apoc.* 17. 1.
p *Apoc.* 20. 10.
q 2. *Ioh.* 7.

II.

An Antichristus sit vna tantum persona?

Magnus hic & eximius Antichristus non est vna numero persona, vnũ individuum, aut vnus tantum singularis homo, sed quasi corpus quoddam, multitudo, status, ordo, aut series plurium hominum in vno quasi regno sibi ordine succedentiũ, in quo non nisi vnus toti corpori seu regno præsideat vno eodemq; tempore, plures tamen diversis temporibus sint surrogatione, eandem potestatem vsurpantes, atque idem mysterium iniquitatis successivè operantes.

III.

Qualis sit gente & religione?

Antichristus hic non erit oriundus ex Iudaica gente, neque ex tribu Dan, neque nasciturus ex virgine, opera Diaboli: Nec religionem Iudaicam profitebitur, aut cultum Leviticum instaurabit, aut à Iudæis pro Messia suscipiendus erit, sed professionem Religionis Christianæ saltem in speciem præ se feret, à vera tamen ejus doctrina insigni

quadam apostasiâ deficiet. Nec profitebitur se apertum Christi adversarium, sed occultè sub obtentu Christiani nominis, & insidiosâ sanctitatis simulatione, Christum ejusque Ecclesiam oppugnabit, vt tanto melius homines ab ipso effascinatos eo perducat, vt honorem soli Christo debitum ipsi tribuant. Sacramenta à Christo instituta non abolebit, sed corrumpet: Non quidem se vt DEUM palam omnibus adorandum proponet, sed tamen divinos honores quæret, sibi arrogabit, & ab alijs sibi exhiberi patietur. Verbum Dei non simpliciter rejiciet, sed adulterabit. Non negabit palam Iesum esse verum Messiam, sed officium Christi obscurabit, mutilabit, evertet, & tum alijs tum maximè sibi præcipuas ejus partes ascribet & vendicabit.

IV.

Quando sit venturus, & quamdiu regnaturus?

Non est venturus demum proximè ante mundi finem, ita vt tantum sit regnaturus tres annos cum dimidio. Neque Enoch & Elias corporaliter in mundum redituri sunt ante ejus adventum, sed mysterium hoc iniquitatis etiam Apostolorum temporibus jam tum peragebatur, & magis magisque paulatim vires acquirens, tandem fatiscente Romano Imperio, quod obstitit quo minus maturiùs prodierit, apertè se cæpit manifestare, ac mundo ostentare: idque potissimum circa annum Christi sexcentesimum. A quo tempore regnum suum in Ecclesia stabilivit, promovit, & exeruit, & regnaturus porro (licet postremis temporibus post revelationem non tam latè, nec tam quietè) erit, donec Christus *a* eum illustri adventu suo penitus abolebit. Quare eum

a 2. Thess. 2, 8.

non

Vbi sessurus?

c dominium in reges terræ.

non tantum venisse, sed et revelatum esse minimè dubitamus. Sedem autem suam imperialem seu regiam collocaturus est non Hierosolymis in Iudea, sed Romę in Italia inter duo maria, in vrbe illa ἑπταλόφῳ, seu septicolli, quæ Apostolorum temporibus habebat c βασιλείαν ἐπὶ τῶν βασιλέων τῆς γῆς, quęque mystica illa Babylon est. Neque reædificaturus est Templum Hierosolymitanum, vt in eo tanquam in aulâ regiâ sedeat, sed solium regium erecturus est in externa Christi Ecclesia, quæ Dei templum est, in quâ majestatem regiam est ostentaturus, & divinam quandam autoritatem vsurpaturus.

V.

Quo charactere dignoscenaus?

Agnosci poterit Antichristus, non ex aliquo charactere externo, seu visibili signo in dextra manu, aut in fronte, non enim erit vna singularis persona, sed ex mystico Charactere, & notis illis quibus passim in Scriptura describitur. Aduentus ejus erit f κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει, καὶ σημείοις, καὶ τέρασι ψεύδους, non tamen ex Scriptura liquet, quænam sint illa in specie mendacia miracula, quæ facturus est, an scilicet ignem sit è cœlo in terram dejecturus, & partem aliquam stellarum inde detracturus, simulata morte resurrecturus, ascensum in cælū paraturus, aut facturus vt imago bestiæ loquatur. Bellum quidem t ἀσπονδον veræ Christi Ecclesiæ indicturus est, & sanctos homines, qui eius imperio se subdere nolent, gravissimè ferro ac flammis est persecuturus, non tamen singulare aliquod bellum externum suscipiet, stipatus magno exercitu ac copijs Gogi & Magogi vt omnes populos & reges terræ ac præcipuè regna Iudææ, Lybiæ,

Qua miracula editurus?

f 2. Thess. 2. 9.

Quæ bella gesturus?

t irreconciliabile.

Ægypti, & Æthiopiæ armata manu imperio suo subjiciat.

VI.

An Papa Romanus sit magnus ille Antichristus?

Quandoquidem autem Papa Romanus in externa Christi Ecclesia regnum & dominium erexit, manifestè se adversus omne, cui nomen Dei tribuitur, id est, contra verum & summum DEVM, & contra Imperatores & Reges, quos Scriptura DEOS appellat, opponit, nomen DEI sibi attribui patitur, idem se cum DEO consistorium habere, omnemque potestatem in cœlo & in terra sibi datam esse jactat, supra DEVM se effert, leges DEI refigit, de iis pro arbitrio dispensat etiam contra Vetus & Novum Testamentum, & contra jus divinum ac naturæ; libertatem fidelium conscientiis à DEO concessam suarum Legum laqueis tollit, autoritatem sibi divinam ascribit, vtpote cujus voluntas sit regula juris & æqui, qui peccata ex autoritate sua possit remittere, quidlibet in religione statuere, omnes judicare, & qui à nemine debeat judicari, qui exlex sit, & nemini rationem reddere teneatur, etiamsi multas animarum myriadas in infernum præcipitaret: vtramque summam potestatem secularem & spiritualem sibi ascribit, imperium & dominium totius terrarum orbis ad se pertinere asseverat, regna & ditiones pro arbitrio transfert, Imperatores & Principes de solio detrudit, pedibus calcat, ad oscula spurissimorum pedum suorum adigit, & tanto se majorem Imperatore jactat, quanto Sol major est Luna, Christi officium manifestè oppugnat & sibi vendicat, novum sacerdotium & novum Missæ sacrificium propitiatorium in-

stituit, peccatorum remissionem venalem per suos institores proponit, leges & canones Ecclesiæ sub damnationis pœna præscribit, Traditiones suas Scripturis tanquam imperfectis adjicit, judicem se omnium controversiarum u αὐθαίρετον καὶ ἀνυπεύθυνον, & S. Scripturæ interpretem x ἀναμάρτητον dicit, Sacramenta à Christo instituta immutavit, mutilavit, & nova instituit manifestam idololatriam in adoratione panis missatici, in invocatione mortuorum, in cultu imaginum & reliquiarum summa vi defendit, reges & incolas terræ hujus Idololatriæ veneficijs polluit & inebriavit, signis fallacibus & confictis miraculis homines seducit, auro & argento idola sua colit, doctrinam majorum contemnit, & diabolicam introduxit, conjugium certis hominibus interdixit, discrimen ciborum contra libertatem Christianam invexit, sanguine sanctorum & martyrum Iesu ebrius est, Romæ cum regio fastu & luxu residet, potestatem collapsi Imperij Romani in se transtulit, Imperium Romanum regnaque Europæ ferè omnia tanquam feuda sui juris & beneficij fecit, & reliquas Antichristi notas manifestissimè gerit, non dubitamus intrepidè asserere, Papam Romanum esse magnum illum & insignem Antichristum in V. T. à Daniele sub typo Antiochi Epiphanis descriptum, & in N. T. ab Apostolis Paulo II. Thess. II. & II. Timoth. IV. & à Ioanne in Apocalypsi passim suis coloribus depictum, qui mysterium illud iniquitatis multis seculis operatus est, & regnum in Ecclesia exercuit, atque hisce postremis temporibus mundo revelatus est & quotidie magis magisque retegitur

u *arbitrarium & reddendæ causæ non obnoxium.*
x *infallibilem.*

tur

tur, quem ὁ Κύριος y ἀναλώσει τῷ πνεύματι στόματος αὐτοῦ, καὶ καταργήσει τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ. Quod vt fiat, z Ναὶ ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ.

y 2. Theſſ. 2, 8.
z Apoc. 22. 20.

DISPVTATIO XIV.

De Poteſtate Papæ in Spiritualibus.

THESIS I.

Qualem et quotuplicem Poteſtatem Papa Romanus ſibi attribuat?

HAud obſcura Antichriſti nota eſt ſumma illa, quam ſibi arrogat Papa Romanus, Poteſtas, tam in rebus temporalibus quam in Spiritualibus. Omnis enim Poteſtas verſatur circa res, quæ aut ad ſalutem animarum & vitam æternam, aut ad hanc animalem vitam, ejuſque commoditatem ſpectant. Hæc vocatur Temporalis, & Politica: Illa Spiritualis & Eccleſiaſtica. Vtramque in terris ſummam Papa Romanus nullo jure arrogantiſſimè ſibi attribuit, & tyrannicè exercet: atque hac ratione manifeſtiſſimè oſtendit ſe eſſe illum a τὸν ἀντικείμενον, καὶ ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν, ἢ σέβασμα.

a 2. Theſ. 2. 4.

II.

Qua in re conſiſtit poteſtas Eccleſiaſtica?

Poteſtas Eccleſiaſtica ordinaria (de extraordinaria enim poteſtate Apoſtolorum, quatenus Apoſtoli fuerunt, hic non agimus,) conſiſtit in autoritate prædicandi verbum DEI, Sacramenta adminiſtrandi, diſciplinam Eccleſiaſticam

clavibus regni cœlorum exercendi, Ministros Ecclesiæ vocandi & deponendi, de controversiis Ecclesiasticis secundum verbum DEI judicandi, & de ritibus adiaphoris canones ad Ecclesiarum ædificationem & *b* τάξιν condendi. Coactiva potestas, per vim externam aut pœnam corporalem, nulla ordinariis Ecclesiarum Præpositis est data. Omnis enim illorum potestas est merè spiritualis. Habent autem hanc potestatem legitimi Ecclesiarum Præpositi non à Pontifice Romano, sed ab ipso Christo, qui vt Prophetas & Apostolos extraordinarios Ecclesiæ Ministros immediatè ipse vocavit, ita idem dat Pastores & Doctores, reliquosque ordinarios Ecclesiæ Ministros, mediante hominum ministerio: Ille est *c* ὁ Κύριος τοῦ θερισμοῦ, qui operarios emittit in messem suam. Et à Spiritu Sancto, qui constituit Episcopos ad pascendam Ecclesiam DEI, quam proprio illo sanguine acquisivit.

b *ordinem.*

Vnde eam Præpositi Ecclesiarũ habeant? An à Papa Romano?

c *Mat.* 9. 37.

III.

Potestatem hanc Ecclesiasticam seu Iurisdictionem spiritualem omnes Ecclesiarum Præpositi ordinarii æqualem à Christo acceperunt, licet pro locorum atque Ecclesiarum amplitudine nonnullorum potestas se latius diffundat, & circa plures exerceatur. Nulli vero in Novo Testamento Ecclesię Prępositio summa aliqua atq; vniversalis potestas circa res spirituales, in omnes Ecclesias, & Ecclesiarum Ministros, à Christo aut Apostolis data est: ita vt vnus aliquis sit vniversalis Christi in terris Vicarius, aut totius Ecclesiæ Militantis caput, aut Episcopus vniversalis, qui omnibus Ecclesiis pręsit, ac dominetur, & reliquos Epis-

An Papa Romanus habeat summam potestatem Ecclesiasticam?

copos

copos pro arbitrio suo ordinet aut deponat, aut à quo reliqui Episcopi omnem jurisdictionem suam accipere debeant. Quare Papa Romanus nullo jure sibi hanc potestatem ac iurisdictionem summam vendicat. Veteres Romanæ Ecclesiæ Episcopi, quam diu inter legitimos Ecclesiarum Ministros censeri potuerunt, iurisdictionem Ecclesiasticam non à Petro, sed ab ipso Christo, eodem, quo cæteri reliquarum Ecclesiarum Episcopi, iure & modo acceperunt, eamque secundum jus divinum cum istis parem habuerunt. Hodiernos vero Pontifices Romanos, quia iamdudum legitimi Ecclesiæ Episcopi esse desierunt, nullam in Ecclesia Christi iurisdictionem habere meritò affirmamus.

IV.

An Papa Romanus habeat potestatem condendi leges Ecclesiasticas, quæ conscientias obligent?

Habent quidem Ecclesiarum Præpositi potestatem de rebus [d] *ἐν ἀδιαφόροις* & externis rituum circumstantiis canones seu leges Ecclesiasticas condendi, ad Ecclesiæ ædificationem atq; [e] *εὐταξίαν*: sed hæ, extra casum scandali, conscientias non obligant. Leges vero ad fidem & vitam Christianam pertinentes, quæ hominum consciẽtias sub pœna æternæ damnationis obligent, condendi potestas nulli mortali homini, vel hominũ cœtui aut Cõcilio in hisce terris, nedum Pontifici Romano, concessa est. Hæc enim autoritas soli DEO, qui [f] *εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι*, & Domino nostro Iesu Christo, qui solus in Religionis negotio audiendus est, suo iure competit & propria est, quam sine blasphemia homo mortalis sibi vendicare non potest. Conscientiæ autem ad solius DEI forum pertinent, in religionis negotio solo DEI verbo ligari possunt;

d *indifferentibus*
e *ordinem.*
f *Iac.* 4. 12.

atque in eas nulli homines dominatum habent. Atque hæ leges omnes, quascunque DEVS ad salutem Ecclesiæ necessarias judicavit, Verbo DEI scripto, cui nihil nobis addere licet, sufficienter & perfectè sunt revelatæ, & comprehensæ. Debemus quidem Ecclesiarum præpositis obedire, sed tantum in ijs, quæ ex verbo Dei nobis proponunt, extra vero, aut contra illud, si nobis in Religionis negotio quidquam præscribunt, illud tanquam g διδασκαλία καὶ ἐντάλματα hominum rejiciendum est, nec committere debemus, vt tali servitutis jugo implicemur, aut hominum servi fiamus.

g *doctrina & mandatum.*

V.

An Papa Romanus sit supremus Iudex controversiarum Ecclesiasticarum?

Supremus atque infallibilis controversiarū fidei Iudex est vnici Magistri & Doctoris nostri Iesu Christi Spiritus Sanctus loquens in Scripturis. Subordinati vero atque inferiores Iudices sunt Pastores Ecclesiarum in Christiana Synodo sive vniversali, sive particulari, legitimè congregati, à quibus etiam ipse Romanus Episcopus judicari potest. Horū judiciū non est infallibile, sed ab eo institui potest appellatio seu provocatio. Debent autem appellationes gradatim institui à Synodis minoribus ad majores, à Diœcesiana ad Provincialem, ab hac ad Nationalem, atque ab hac iterum, si causa tanti sit momenti, & quis priorum judicio non possit acquiescere ad synodum Oecumenicam, quæ supremum in his terris controversiarum Ecclesiasticarum Tribunal est, cui omnes per vniversum terrarum orbem Episcopi, etiam ipse Romanus, subesse debent. Quare nullo jure Papa Romanus se venditat pro supremo

Ecclesi-

Ecclesiasticarũ controversiarũ judice, qui omnes judicet, & à nemine accusari aut judicari possit, & ad cujus tribunal omnes controversiæ deferri, atque omnes appellationes institui debeant.

VI.

Nullum humanum judicium in causa Religionis, ne ipsius quidem Synodi Oecumenicæ, nedum vnius Episcopi Romani ita infallibile atque *h* ἀναμάρτητον est, vt non possit esse errori obnoxium. Hoc enim privilegium proprium fuit sanctis illis hominibus, qui à Spiritu Sancto ducente ipsos in omnem veritatem acti docuerunt & scripserunt, hoc est, Prophetis & Apostolis. Quare judica omnia humana ad normam scriptorum Propheticorum & Apostolicorum semper sunt expendenda. Papa autem Romanus, non tantum qua singularis persona, & privatus doctor, sed etiam docens ex cathedra, & publicè sententiam vt judex ferens, etiam adhibito Clericorum cœtu, non tantum in particularibus facti, sed etiam in juris & fidei controversijs errare potest, & sæpius erravit gravissimè, multaque contra fidei veritatem, etiam in Concilio definivit: hodieque in præcipuis fidei Christiane articulis pernitiosissimè errat, ita vt parum absit, quin fidem omnem Christianam penitus abnegaverit. Potest etiam Papa hæresin amplecti, docere, & scriptis propagare. Multi etiam ex veteribus Papis fuerunt hæretici, & nonnulli etiam magi, & planè athei. Hodierni vero omnes pernitiosissimas & blasphemas hæreses propugnant. Quamvis fortè fieri possit, vt in vrbe Roma futurus sit semper aliquis cœtus, licet occultus & exiguus, vero-

An judicium Papæ sit infallibile?

h *impeccabile.*

An Papa possit errare?

An Papa possit fieri hæreticus?

An Ecclesia Romana particularis possit errare, & fieri apostatica?

tum fidelium, qui cum Antichristo nullā habeant communionem, sed doctrinæ Christi constanter adhæreant, locus tamen ille vrbis Romanæ peculiare hujusmodi privilegium non habet, ex quo certum sit nunquam futurum, vt cœtus ille externus & visibilis illo in loco nomen Christianum profitentium, qui Ecclesia Romana particularis vocatur, non possit in errorem fundamentalem incidere, aut à puritate doctrinæ & sinceritate fideî deficere. Experientia enim ipsa jamdudum contrarium manifestissimè ostendit.

DISPVTATIO XV.

De Potestate Papæ in Temporalibus.

THESIS I.

Quid & quotuplex sit Potestas Politica? a potestas superemmens. Rom. 13.1.

ALtera Potestas, quam Papa Romanus sibi arrogat, est Potestas Politica, quæ est ἡ ἐξουσία ὑπερέχουσα, à Deo ordinata ad conservationem societatis humanæ, & armata gladio seu potestate coactiva. Hæc Potestas aut est Summa, aut Inferior. Summa est, non quam quis in vniversum planè orbem terrarum obtineat, (hanc enim nullus vnquam homo obtinuit, licet olim potentissimæ extiterunt Monarchiæ) sed quam quis in aliquo imperio, regno, aut Republica ita obtinet, vt superiorem in terris potestatem nullam agnoscat præter solius Dei, & ei soli administrationis suæ rationem reddere teneatur. Inferior

potest-

poteſtas eſt quæ Sūmæ eſt ſubordinata, & quam quis non niſi mediante Suprema poteſtate habet, licet pro munerum diverſitate alij majorem alii minorem poteſtatem acceperint. Hæc poteſtas à ſumma dependet, ab ea leges accipit, eique ſuæ gubernationis rationes reddere tenetur.

II.

Quomodo differant poteſtas Politica & Eccleſiaſtica?

Poteſtas Politica & Eccleſiaſtica inter ſe non pugnant, ſed ita ſunt in ſocietate humana coordinatæ, vt alterius altera poſcat opem, & inter vtramque rectè inſtitutam ſumma ſit concordia, & amica conſpiratio. Differunt tamen, quod illa ſit inſtructa gladio & cogendi autoritate, hæc tantum clavibus regni cœlorum: illa infligit immorigeris pœnas temporales, hæc tantum ſpirituales. Illa potiſſimum verſatur circa hominē externum, & res terrenas ac temporales puta, vitam, corpus, facultates, famam; hæc circa hominem internum, & res ſpirituales atque æternas, ad conſcientiarum ſanctificationem, & animarum ſalutem ſpectantes. Illius proprius finis eſt ſocietatis humanæ, & in ea juſtitiæ, pacis, & tranquillitatis externæ conſervatio; hujus vero ædificatio corporis Chriſti, conſervatio communionis ſanctorum, & procuratio ſalutis æternæ. Etſi vero ante omnia regnum Dei quærendum, & animarum ſalus procuranda, eamque ob cauſam poteſtas Spiritualis circa nobilius verſetur ſubiectum, tamen Poteſtas Politica Spirituali Poteſtati ſimpliciter non eſt ſubjecta. Vtraque enim alteri diverſimodè ſubjicitur. Qui poteſtatem habent ſpiritualem in temporalibus omnino poteſtati politicæ ſubjiciuntur, & viciſſim qui poteſtate

An Poteſtas politica ſit Eccleſiaſtica ſubordinata et ſubjecta?

præditi sunt politica, si fideles sint, potestati Spirituali legitimè administratæ, vt cætera Ecclesiæ membra, subjecti esse debent, & sceptra sua Christo submittere; ita tamen vt, sicubi exorbitent, coerceri debeant, non vi armorum, aut pœnis corporalibus, sed tantum verbo & disciplina Ecclesiastica. Quinimo tam illi, qui potestate spirituali sunt præditi, quam qui inferiorem aliquam Politicam potestatem obtinent, Supremæ Potestati Politicæ, si fidelis est, vtrique ita subjiciuntur, vt ipsius legibus non tantum Politicis, sed etiam ad Ecclesiæ regimen spectantibus (nisi fortè verbo DEI directè fuerint contrariæ) obedire, eique functionis suæ rationem reddere teneantur. Huic enim Potestati Supremæ à Deo commissa est suprema cura & inspectio, non tantum rerum temporalium, sed etiam spiritualium, vt sub ejus imperio homines non tantum in honestate & justitia, sed etiam in pietate, tranquillam, & quietam vitam degant; vtque legis divinæ non tantum secunda, sed præcipuè prima tabula inter homines rectè observetur.

III:

An vnus homo possit esse princeps politicus, & Ecclesiæ pastor seu Episcopus simul? b 2. *Chron.* 19. 5. 8.

Functiones tamen vtriusque Potestatis ita sunt distinctæ, vt si spectemus ordinariam DEI legem, & functionum gravitatem, vnum idemque subjectum vtriusque non sit capax, nec ferendo par, vt DEO probetur vocatio, & publico expediat. Quare imitari debēt Reges & Principes laudatissimū sapientissimi Regis Iosaphati *b* exemplum, & secundum ordinem à Christo institutum, alios constituere in omni negotio Iehovæ, alios in omni negotio regio. Solum mu-

nus

nus Ecclesiasticum, si quis eo secundum omnes partes sedulò defungi debeat, tantæ est gravitatis vt planè integrum hominem requirat, & Apostolus merito exclamet,* Quis ad hæc idoneus? Quicunque ad hoc munus vocantur, & huic sacræ militiæ nomen dederunt, ij non debent se implicare negotijs hujus vitæ, ijs expressè interdicitur, ne dominentur *c* vt Reges gentium, ijsque claves regni cœlorum non terrarum traduntur: neque gladius, sed pedum pastorale committitur: vt igitur vnus & idem homo & Ecclesiæ Episcopus & princeps secularis simul sit, neque vtile est Ecclesiæ, neque licitum, neque honestum, neque necessarium, sed ordinationi divinæ, spirituali regnó Christi, & proprio Ministrorum officio, contrarium.

* 2.*Cor*. 2. 16.

c *Luc*. 22. 26.

IV.

An Papa Romanus jure habeat aliquam Potestatem temporalem?

Episcopus itaque Ecclesiæ Romanæ, si inter legitimos Ecclesiæ Episcopos censeri velit, non potest simul exercere Potestatem temporalem, & esse Episcopus Ecclesiæ, cum, ipso Bellarmino confitente, nihil habeamus ex Scripturis, nisi datas Episcopis claves regni cœlorum, & de clavibus regni terrarum nulla in eo mentio fiat. Præsertim cum ipse Christus, cujus se Vicarium in terris falsò iactat, regnum de hoc mundo, seu principatum secularem non habuerit, nec habere voluerit, sed oblatum fuga recusaverit, & causis civilibus de familia herciscunda vt judicem se immiscere noluerit: atque etiam Apostolus Petrus, cuius se successorem fingit, reliquique Apostoli Potestatem Politicam expressè à Christo ipsis interdictam, nec habuerint, nec vsurparint.

V.

An Papa habeat Supremam potestatem in temporalibus directè vel indirectè? Sixtus V. in bulla contra Henric. III. Franciæ Regem.

Sed Papa Romanus non contentus imperio temporali, quod nullo jure in vicina Romæ loca, & Petri, vt falso vocant, Patrimonium vsurpat, impudentissimè insuper sibi arrogat summam & plenissimam Potestatem in rebus temporalibus, non tantum in Christianum, sed & in vniversum omnino terrarum orbem, in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctosque populos, gentes, & nationes. Sed neque Divino neque humano jure tale illi dominium competere, ita manifestum est, vt ipse Bellarminus fateatur, Papam directè & jure divino nullā temporalem potestatem habere, nec in vniversum terrarum orbem, nec in orbem Christianum, immo nec in vllum quidem locum Sed quod vna manu largitur; altera iterum eripit, sibique turpiter contradicit, cum docet Papam tametsi directè hanc Potestatem jure divino non habeat, habere tamen eandem indirectè, in ordine ad bonum spirituale, ratione spiritualis Monarchiæ, si animarum saluti necessarium erit, vt hæretici & mali Principes per eam ab ipso coerceantur. Eandem enim hic iterum Papæ Potestatem tribuit, quam prius secundum ius divinum ei ademit, sed hoc addit, per modum indirectum hanc ei competere, quasi indirectè vnquam liceat quidquam facere, quod jus divinum directè prohibuit, Quod directè injustum est, per viam indirectam justum fieri nequit. Parum certè interest si Princeps Christianus, directè an indirectè regno suo legitimo injustè spolietur. Postea hanc potestatem ausus fuit vniversè astruere, non multum laborans, si ea potestas sit ab-

soluta, vel in ordine tantum ad spiritualia se extendat. Nunquam talis necessitas Christianis incumbere potest, vt legitimis Magistratibus contra expressum Dei verbum cogantur fidem non servare, aut ijs rebellare, & sceptra legitima ex manibus eripere. Tantum vero abest vt hoc permittatur per potestatem Spiritualem legitimè institutam & administratam, vt hæc potestas cum pœnis spritualibus potissimum sit exercenda adversus eos, qui legitimis Magistratibus rebelles fiunt & fidem fallunt. Ac quamvis Reges fortè infideles sint, aut hæretici, sub quorum regimine Deus nos constituit, propterea non licet eis statim legitima regna eripere, à fide & obedientia ipsis debita recedere, sed Spiritus Sanctus fideles monet, vt etiam talium jugo colla submittant, eisque serviant, & Regni eorum prosperitatem quærant, ac pro ea Iehovam orent.

An subditi teneantur ferre Regẽ hæreticum?

VI.

Ex hac fictitia potestate Papa Romanus sibi arrogat ius supremum controversias politicas inter Principes dijudicandi, leges politicas condẽdi, Principibus vniversis in orbe Christiano imperãdi, Imperatores, Reges, & Principes pro suo arbitratu imperiis, regnis, & ditionibus spoliandi, regna in prædam occupantibus exponendi, Principes, quos ille hæreticos aut tyrannos judicaverit, per sicarios, veneficos, & similes parricidas occidendi, & subditos à juramento fidelitatis & obedientiæ, quo legitimo Principi, divino naturali, & gentium iure obstricti erant, absolvendi. Hæc doctrina & vsurpatio ita execranda & perniciosa est, non tantum Ecclesiæ, sed ipsi

An Papa possit Imperatores, Reges, & Principes imperijs, regnis, & ditionibus suis spoliare?

etiam

etiam societati humanæ, vt omnes Reges & Principes Christiani, vel ob hanc solam causam, certatim & coniunctis viribus, factum hunc Antichristianum reprimere, & Papam hunc, qui hac iniusta sua vsurpatione Christianum orbem bellis, seditionibus, & homicidiis sæpius implevit, & miserè vastavit, cum Papatu & omni fictitia sua potestate ex orbe Christiano extirpare debeant. Hæc enim doctrina si obtineat, nullus foret supremus Magistratus in aliquo imperio, regno, aut ditione, sed omnes Imperatores, Reges & Principes supremi forent vasalli Papæ, vt omnium supremi in temporalibus Monarchæ, & Papam in temporalibus se superiorem agnoscere tenerentur: cum tamen hoc supremorum Magistratuum sit privilegium, quod in hoc mundo in temporalibus neminem superiorem agnoscant præter solum DEVM, cui immediatè subsunt, cui soli rationem suæ administrationis reddere tenentur, qui eos constituit, qui solus est Rex Regum, per quem Reges regnant, qui dominatur in regno hominum, & dat illud cui vult. Nullus etiam Christianus princeps vnquam de regni sui possessione certus esse posset, sed quasi precario regnaret, vsque dum libeat Papæ eum pro hæretico, aut hæreticorum fautore declarare, & regno suo sub hoc prætextu exuere. Atque imprimis etiam periculosum est in benè constitutis regnis aut Rebuspublicis, Principem tales sub ditione suâ habere subditos, qui horrendo huic Papali errori fidem adhibent, atque hanc Papæ potestatem agnoscunt: præsertim si etiam amplectantur seditiosissimam illam & falsissimam Bellarmini doctrinam, quâ tradit,

Non

Non licere Christianis subditis tolerare regem infidelem aut hæreticum, puta, qui talis judicio Papæ sit declaratus. Quare Principes Christiani, cum à subditis juramentum fidelitatis exigunt, iustè possunt propter securitatem tùm suam, tum regni, tales subditos cogere, vt aut hos execrandos, seditiosos, noxios & periculosos errores abnegent atque ejurent, aut ditionibus suis excedant.

DE CONCILIIS.

DISPVT. XVI.

De Conciliorum Necessitate, Distributione, & Fine.

Thesis I.

QVANDOQVIDEM secundum prædictionem Christi & Apostolorum, ea semper futura est Ecclesiæ conditio, quam diu in hisce terris militat, vt necesse sit evenire *a* scandala, vt *b* oporteat esse hæreses, & sicut in veteri populo Pseudoprophetæ fuerunt, sic etiam inter nos falsi doctores futuri sint, *c* qui subinde exitiales hæreses introducent: Cum ipse etiam Ecclesiæ seu

Quare Concilia sint necessaria?
a *Mat.* 18. 7.
b 1. *Cor.* 11.19.
c 2. *Pet.* 2. 1.

cœtus particulares obnoxij sint defectioni à veritate doctrinæ, ab integritate cultus divini, à morum probitate, & concordia Christana, sollicitè hic semper dispiciendum erit tum pijs Magistratibus, Ecclesiarum nutritoribus tum fidelibus Ecclesiarum Pastoribus & gubernatoribus, nequid detrimenti Ecclesia inde patiatur, & ne hæresium, idololatriæ, corruptelæ morum, & scismatum Zizania in agrum Domini, ipsis stertentibus, spargantur.

II.

Quomodo sint necessaria?

d ordo.

Illud commodiori ratione fieri nequit, quam per conuentus Ecclesiasticos, qui à Græcis Synodi, à Latinis Concilia à conciendo vel concalando appellantur. Hæc sunt maximè salutaria media, quibus Doctrinæ sinceritas, & *d εὐταξία* regiminis ac morum in Ecclesia conservantur, & hæreses ac scismata ex eadem arceantur, aut profligantur. Quare tametsi hæc Concilia non ita absolutè & simpliciter sint necessaria, vt Ecclesiæ sine illis nunquam bene esse possit, tamen in tanta hominum malitia & temporum perversitate non tantum insigniter sunt vtilia, sed etiam quodammodo ita necessaria, vt Ecclesia salutari hoc remedio non possit carere, sine insigni veritatis, pietatis, & concordiæ Christianæ detrimento. Neque enim putandum est solum Papam Romanum esse supremum omniū controversiarum Ecclesiasticarum judicem qui judicio & arbitratu suo possit omnes controversias judicare & decidere: ita enim nulla esset Conciliorum necessitas, cum frustra fiat per plures, quod per pauciores fieri potest: neque opus esset tanto labore & sumptu in cogendis & habendis Cōcilijs, si ille solus potest

An Papa Romanus sit supremus judex controversiarum Ecclesiasticarum?

contro-

controverſias decidere, & Conciliorum quorumcunque decreta reſcindere.

III.

Concilium, ſeu Synodus, eſt publicus, liber, & legitimus conventus Eccleſiaſticus, piorum & eruditorumq́; virorum à diverſis Eccleſijs legitimè miſſorum, in quo cauſæ Eccleſiaſticæ doctrinam, aut Eccleſiæ regimen, ædificationem, & pacem ſpectantes in timore Dei, collatis ſententijs, ſecundum normam S. Scripturæ examinantur, & communibus ſuffragijs, pro poteſtate Eccleſiæ à Deo conceſſa, definiuntur.

Quid ſit Conciliū?

IV.

Quando conveniunt Legati vnius diœceſeos, vocatur Concilium *Diœceſianum*, vel Synodus e τοπικὴ: cùm vnius Provinciæ, *Provinciale*; cùm totius Nationis, *Nationale*, & f καταχρηστικῶς aliquando *Generale*: cum denique ex omnibus aut pleriſque vniverſi orbis Chriſtiani Eccleſijs legati conveniunt, vocatur *Concilium Generale*, *Vniverſale*, & *Oecumenicum*. Si quis minorum Conciliorum judicio non acquieſcere poteſt, licet ei gradatim ordine, & legitimè ad majus Concilium provocare. A legitimo autem Oecumenico, quia Eccleſiæ in his terris militantis ſupremum eſt externum & miniſteriale Tribunal, non datur provocatio, ne ad ipſum quidem Papam Romanū: ita tamen vt priora Concilia Oecumenica per poſteriora emendari poſſint.

Quotuplicia ſint Concilia?
e *localis.*
f *abuſivè.*

An liceat à Synodo Oecumenica appellare ad Papam?

V.

Præterea Concilia alia ſunt *Prophetica* & *A-*

Quid sit discrimen inter Concilia Prophetarum & Apostolorum, & inter reliqua?

postolica, quæ à Prophetis & Apostolis celebrata fuerunt, cum in Veteri, tum in Novo Testamento. Hæc in decisionibus suis errare non potuerunt, quippe quæ constiterunt ex talibus viris, qui immediatè à Spiritu Sancto acti, & in omnem veritatem ducti fuerunt. Alia sunt Concilia aliorum Episcoporum, quæ Propheticis & Apostolicis nequaquam sunt paria, aut exæquanda, cum reliqui omnes homines, quantâvis doctrinâ & pietate præditi fuerint, erroribus sint obnoxij, atque ipsâ experientiâ constet talia Concilia sæpius graviter errâsse, & multa impia, falsa, & blasphema decreta condidisse. Distinctio Bellarmini, quâ Cōcilia distribuit in approbata à Papa, in reprobata, in mixta, & in neutra, nullius est momenti. Nam Papæ approbatio Conciliis nullam autoritatem conciliat, ejusque reprobatio autoritati Conciliorum nihil derogat, cum illa sit tantum vnius impii sæpe atque imperiti hominis, qui errare potest, & hæresin approbare, judicium. Denique distribuuntur Concilia in *Legitima*, quæ ordinationi divinæ sunt consentanea: & *Illegitima*, quæ in iis, quæ ad essentiam Concilii requiruntur ordinationem Divinam non sequuntur: atque ea potius pseudosynodi, conciliabula, & conventicula appellari debent.

VI.

Quid sit finis, & quod sit objectum Conciliorum?

Concilia non debent cogi aut haberi eum in finem, vt in iis tractentur res Politicæ, & deliberetur de gerendis bellis, aut aliis rebus ad Rempublicam spectantibus; ita enim Comitia & Concilia confunduntur, & sacra profanis miscentur. Neq; hæc cura ad Pastores Ecclesiarum, sed tantum ad

Principes

Principes populi pertinet. Sed proprius finis Conciliorum est, vt in iis tractentur causæ & controversiæ merè Ecclesiasticæ, quæ proprium & vnicum Conciliorum sunt objectum. Deliberandum in Conciliis tantum de Doctrina Ecclesiæ, ejusdemque regimine, vt scilicet pura doctrina in Ecclesia conseruetur, propagetur, & adversus hæreticos defendatur: vt Politia & Disciplina Ecclesiastica ritè secundum verbũ Dei, ad ædificationem, constituantur: vt pax & concordia inter dissidentes Pastores, quantum salvâ veritate licet, stabiliatur: vt pertinaces hæretici compescantur, & errantes in viam reducantur.

DISPVTATIO XVII.

De Conditionibus Concilij Legitimi.

Thesis I.

Concilia legitima, quibus se divina sua præsentia interfuturum Christus ipse promisit, debent in nomine Christi congregari & celebrari, Quod vt fiat hæ potissimum conditiones in iis requiruntur. Prima est, vt legitimè congregentur & conveniant. Secunda, vt legitimè celebrentur.

Quid requiratur in Concilijs legitimis?

II.

Quæ sit prima conditio Concilij legitimi?

Quis habeat jus convocandi Synodos? An Papa Romanus?

Prima conditio requirit hæc duo; Primum est, vt Convocatio legitimè instituatur. Secundum, vt ad Synodum conveniant personæ tales, quæ legitimè Synodum celebrare possunt. In convocatione legitima duo iterum sunt considerandа: Primum est, vt convocatio fiat ab eo qui jus habet Concilia convocandi. Autoritas convocandi Concilia sive generalia sive particularia nullo jure competit Pontifici Romano, cum historiæ Ecclesiasticæ testentur multa Legitima Concilia, etiam generalia, non requisito jussu aut consensu ejus fuisse indicta, sed cum convocatio hæc negotium sit aliquo modo politicum, vtpote locum & tempus conventus præscribere, sumptus suppeditare, salvum conductum præstare; & autoritate principali ac coactiva opus habeat, quemadmodum in Veteri Testamento pii Reges, David, Salomon, Iosias, Ezechias & alii, & in Novo Testamento Constantinus Magnus, ejusque filii, ambo Theodosii, & plures alii Imperatores, sua autoritate Synodos convocarunt, ita etiam nunc jus hoc ordinario Magistratui, si sit Christianus, competit, sive is sit vnus imperiū obtinens, sive plures inter se in hanc rem consentientes.

An Magistratus Christianus?

Quod si vero Magistratus aut sit infidelis, aut officium hac in re facere aut nolit aut negligat, licet piis Ecclesiarum gubernatoribus mutua cohortatione, & vnanimi Ecclesiarum consensu Concilium convocare, & convenire, si necessitas gravis hoc postulet. Alterum est, vt Magistratus Christianus Concilium indicat ad locum opportunum & tutum, ad quē sine periculo omnes accedere &

Quo loco Concilium sit convocandum?

con-

convenire queant: & quia Concilia debent esse libera, vt omnibus ad Concilia accessuris præstet salvum conductum veniendi & redeundi.

III.

Personæ, ex quibus legitima Synodus constare debet, aut sunt quæ Synodum moderantur, aut quæ causas examinant & determinant. Qui Synodum moderantur vocantur Præsides, quorum summus semper esse debet IESVS CHRISTVS, in cujus nomine congregatio est instituta, reliqui sunt Ministeriales. Duplex autem esse debet Præses ministerialis, Politicus, & Ecclesiasticus. Præsidis politici est totam Concilii externam politiam atq; *a εὐταξίαν* autoritate sua moderari & tueri, omnem *b ἀταξίαν*, immodestiam, & insolentiam coercere, atq; ordinem in tota actione præscribere. Atq; hoc officium est Magistratus summi, si sit Christianus, quod vel per seipsum, vel si adesse nolit, aut non possit, per legatos suos debet exercere: ad quem etiam pertinet decreta Synodi legitimè facta, & subscriptionibus Synodi confirmata, *c ἐπικρίσει* suâ tanquam supremo arresto approbare, & autoritate sua in ditionibus suis sancire: sine qua Magistratus Christiani approbatione & sanctione decreta Synodica vim legis in Ecclesia publicè (in clandestinis Ecclesiis alia est ratio) obtinere nequeunt. Præsidis Ecclesiastici munus est, omnium nomine preces & gratiarum actiones concipere, agenda proponere, quæstiones in Concilium mittere, disceptationes moderari, sententias aliorum interrogare, suffragia colligere, suam etiam post alios, eodem jure quo cæteri, sententiam dicere, & de-

Quæ personæ in Synodo debeant convenire?
Cui competat jus præsidendi in Concilijs?
a *ordinem.*
b *confusionem.*
An et quatenus Magistratui Christiano?
c *approbatione* vel judicio.

An Pontifici Romano?

creta per delectos notarios in acta referre. Hoc munus non competit præcisè Pontifici Romano, aut vlli alij Episcopo singulariter, cujuscunque sedis, cum multa legitima Concilia sint habita, in quibus neque per se, neque per legatos, præsederet: sed communi eorum qui convenerunt consensu & electione committi debet vni alicui ex Pastorum numero, qui ad hoc munus propter eruditionem, prudentiam, & alia dona necessaria, maximè idoneus censebitur.

IV.

Qui debeant in Synodo vocem decisivam habere?

d facultatem.

e potestas.

Personæ quæ in Synodo comparere debent, vt causas examinent & definiant, non tantum debent esse instructi sufficientibus donis, vt habeant sensus exercitatos in sacris literis, vt sint viri pij, docti, prudentes, modesti, mansueti, veritatis & pacis amantes, vt habeant *d δύναμιν* sacra ritè tractandi: sed insuper necesse est vt habeant ab Ecclesia vocationem non ordinariam duntaxat, sed etiam hanc extraordinariam, quâ specialiter ad sanctum hoc negotium delegentur, & *e ἐξουσία* ab Ecclesia ipsis tribuatur, ipsius nomine causas in Synodo tractandi. Hi soli in Concilijs habent vocem decisivam. Debet autem Ecclesia sollicitè despicere, vt ad tanti momenti negotium deputet tales, qui ex tota Ecclesia quam maximè idonei censebuntur, sive sint Pastores, sive Presbyteri seu Seniores, sive etiam alij docti & pij viri, qui Laici vulgo vocantur, si Ecclesia eos præ cæteris noverit Spiritu sancto præditos, & sacrarum literarum peritos. Episcopi itaque, Abbates, & Generales ordinum non habent illam prærogativam, vt soli sint absoluti controversiarum judices, & soli in Concilijs

habeant suffragia decisiva. Omnes autem qui in Synodo sententiam dicturi sunt, sanctè promittere debent, se liberè, secundum conscientiam suam, sineq; præjudicio, ex solo DEI verbo judicaturos: quare ab ômni alia obligatione, quâ vel Pontifici Romano, vel particularibus Confessionibus obstricti erant, durante hoc judicij actu, absolvi debent. Liberum etiam debet esse omnibus, etsi non sint delegati, coram Synodo comparere, ibique ordine & rite proponere, si quid animadversione dignum in doctrina aut regimine Ecclesiæ observaverint, quod ad ædificationem Ecclesiæ pertinere arbitrati fuerint.

V.

Altera principalis conditio Concilii legitimi est, vt legitimè celebretur. In legitima celebratione requiritur, vt causæ debitè examinentur, & recto judicio terminentur. Examen legitimum ita debet institui, vt vtraque pars dissidentium plenè audiatur. Iniquissimum enim est absentem aut inauditum condemnare. Vt argumenta vtriusque partis & causarum circumstantiæ sollicitè, diligenter, & bona cum conscientia, sine vllo præjudicio ponderentur, & ad lydium divini verbi lapidem examinentur. Iudicium legitimum debet imprimis esse verum, quare cum Sacra Scriptura vnica sit veritatis norma, illud secundum eam tantum, non autem secundum hominum Traditiones, aut præcedentium Conciliorum decreta, formandum est. Vox enim Christi doctoris summi, in cujus nomine congregatio instituta est, tantum audiri in illa debet, contra quam si quid Concilia statuerint,

Quomodo causæ in Synodo debeant examinari?

Quomodo, & secundum quam normam in Synodo sit judicandum? An tantum secundum verbum Dei?

nefas putandum est. Iudicium itaque Concilii non est habendum pro judicio propriè loquendo, cui absolutè Ecclesia debeat acquiescere, sed tantum pro publica S. Scripturæ interpretatione, quæ tametsi temere non debeat contemni aut rejici, tamen non est infallibilis veritatis: Ac propterea Summus Magistratus Christianus cæca approbatione non debet decreta Synodica sancire, neque Ecclesiæ simpliciter iis acquiescere, sed prius debent ea ad hanc veritatis normam explorare, vt animi certi sint se non hominum sed DEI ipsius statuta sancire & recipere. Si vero tantum quæstio est de Consensu, an videlicet omnes Pastores in recepta doctrina consentiant, an vero aliqui à communi Ecclesiarum consensu discesserint, judicium illud ex Symbolis, Confessionibus, Catechesibus aliisve receptis publici consensus normis & formulis, formandum erit. Neque hac ratione formulæ istæ verbo DEI exæquantur, cum de veritate Evangelica nondum quæstio instituatur. Si vero quis à publico consensu compertus fuerit discessisse, & sententiam suam vt veram nihilominus tueri velit, vel si quis arbitratus fuerit se in formulis publici consensus posse evidentem errorem ostendere, qui à Synodo corrigi debeat, cum talibus ex solo DEI verbo est agendum, eorumque causa secundum illud tantum est judicanda. Præterea judicium decisivum in Conciliis dicere non debet is, qui ipse in illa causa vel reus est, vel actor, vel testis. Hoc enim ipsa humana jura iniquissimum censent. Quare Papa Romanus cum reus sit, & accusetur multarum exitialium hæresium, & gravissimorum criminum, non potest in Concilio

An et quatenus secundum Symbola et Confessiones?

Qui debeant judicare in Synodo?

An Papa Romanus in Concilio hodie possit esse judex?

lio Oecumenico vt judex sedere, multo minus vt supremus.

VI.

An conditiones à Pontificijs in Concilijs requisita sint legitima?

Conditiones quas Pontificii in Conciliis requirunt, non tantum à Dei ordinatione quàm longissime recedunt, sed ne quidem vllam æquitatis speciem habent, quales sunt hæ præcipuæ: Vt solus Papa Romanus summam habeat autoritatem pro arbitratu suo Concilia convocandi, prorogandi, & dissolvendi; in iisdem vel per se vel per legatos suos præsidendi, & supremum judicium pronunciandi, quo Decreta Synodica vel confirmentur, vel rescindantur. Vt solis Episcopis, Abbatibus, & Generalibus ordinum, qui Papæ juramento sunt & manent obstricti, suffragia decisiva concedantur. Non ex sola Scriptura, sed etiam ex Traditionibus & superiorum Conciliorum decretis judicium formandum, & decisiones instituendas. Vt Concilium nullam vim habeat, nisi approbatio Papæ accedat, vtque solus Papa eam habeat autoritatem omnia Concilii decreta rescindendi. Vt ii, qui Synodi judicio non acquiescunt, non tantum Ecclesiasticis & spiritualibus, sed etiam horrendissimis temporalibus pœnis, puta gladio, suffocatione, & vivicomburio puniantur, etiamsi à supremo Principe salvus conductus solemniter iis fuerit concessus. His conditionibus Papalibus multo iniquissimis cum manifestè Concilium Tridentinum convenerit & celebratum sit, & pleræque omnes conditiones legitimæ in eo defuerint, merito illud pro illegitimo Conciliabulo habendum; & justissimas habuerunt rationes Principes &

An Concilium Tridentinum fuerit legitimis conditionibus celebratũ?

Theologi Germaniæ adversus hanc pseudosynodum protestandi.

DISPVTATIO XVII.

De Conciliorum Autoritate.

THESIS I.

Quanta sit autoritas Conciliorum legitimorum?

LEgitimorum Conciliorum magna in Ecclesia Christiana debet esse autoritas ita vt ea quæ communi Antistitum Ecclesiæ Orthodoxæ in nomine Christi congregatorum consensu ritè statuta sunt, haud temerè à quoquam in dubium vocari, aut pro libitu rejici debeant. Fastuosi enim, petulantis, & temerarij ingenij inditium est, si quis suum vnius judicium anteponat tot doctorũ & excellentiũ virorum judicio ritè & legitimè formato. Quare si quis legitimi Concilii decretis à Principe Christiano, & Ecclesiis omnibus approbatis & receptis, non acquiescat, merito vt boni ordinis turbator, censuris Ecclesiasticis coerceri debet.

II.

Vnde autoritas Cõciliorum pendeat; An à Papa Romano?

Hęc Conciliorum autoritas nequaquam pendet à Pontificis Romani approbatione, aut instructione. Sive enim ille Concilia approbaverit, sive reprobaverit, nihil facit ad autoritatem eorum vel augendam vel minuendam: cum sæpius approbaverit Cõcilia maximè illegitima, in qui-

bus

bus multa impia, hæretica, & blaſphema fuerunt conſtituta. Sed omnis Concilii alicujus autoritas pendet ex eo, quod Eccleſiæ orthodoxæ eſſentiales legitimi Concilii conditiones in eo deprehendant, ac præcipuè hanc conditionem, quod judicium ita ſit formatum, vt nihil deprehendatur definitum, quod veritati ſacrarum literarum non ſit conſentaneum. Fundamentum itaque omnis autoritatis Synodalis eſt convenientia cum ordinatione & veritate divina, de qua prius nobis liquidò conſtare debet, antequam Synodus aliqua apud nos autoritatem vllam obtineat.

III.

An Concilia poſſint errare?

Quandoquidem autem contingere poteſt, & nonnunquam etiam contingit, ipſa Scriptura & experientia teſtibus, vt ipſi Paſtores nihil ſciant nec intelligant, mendacium ſectentur, inter ſanctum & prophanum diſcrimen non faciant, ſtupore & cæcitate percutiantur, invidia, odio, ignorantia, & ambitione ſæpe laborent. Et cum certiſſimum ſit omnes Eccleſiæ Antiſtites (Prophetas & Apoſtolos eorumque Concilia ſemper excipimus) erroribus eſſe obnoxios, ſequitur nullum Concilium extra erroris aleam eſſe poſitum, ſed omnia Concilia tam Vniverſalia quam Particularia, etiam ea quæ Papæ inſtructionem & directionem ſequuntur, & à Papa ſunt approbata, errare poſſe. Quod ita manifeſtum eſt, vt longa inductione Conciliorum, non tantum ſub Veteri, ſed etiam ſub Novo Teſtamento, cum antiquiorum tum maximè recentiorum ſub Pontificis tyrannide habitorum, clariſſimè demonſtrari poteſt, plurima Concilia,

etiam

etiam quæ à Papa approbata sunt, gravissimè errâsse, & multa impia, superstitiosa, hæretica, tyrannica, flagitiosa & blasphema sępe decrevisse, & priora Concilia per posteriora sæpe fuisse emandata. Quare autoritas Conciliorum non est Prætoria, neque debet esse tanta, vt decretis eorum, tanquam si essent veritatis infallibilis, simpliciter acquiescamus, absque vlteriori examinatione: sed debemus ea prius ad verbi divini amussim expendere, & si deprehendamus cum ea convenire, sententiæ & consensui Ecclesiæ nos conformare: sin vero ab ea dissentire comperiamus, non tantum licet nobis, sed etiam debemus decretis talibus debitè & legitimè refragari.

IV.

Quomodo, & quando decreta Synodica in Ecclesia autoritatem obtinere debeant?

Propterea decreta Conciliorum Ecclesijs non debent proponi, aut obtrudi tanquam edicta quædam Prætoria, aut decreta Persica, sed mitti debent acta habiti Concilij ad omnes Ecclesias, vt ab eisdẽ ad amussim verbi divini examinentur, & si cum ea consentire fuerint comperta, approbentur, atque ita tandem ab Ecclesijs approbantibus, voluntariè & vnanimiter, haud sanè invitè aut coactè, recipiantur. Ecclesiæ enim conscientias suas Delegatorum suorum ad Synodum judicio non alligarunt, neque ijs absolutissimam quidvis ipsarum nomine statuendi potestatem concesserunt: sed Conscientiæ soli DEI verbo semper manent alligatæ, cui si conformia comperierint Delegatorum acta, & decreta, tum demum Ecclesiæ ea rata habere atque approbare debent. Ante hanc communem Ecclesiarum approbationem decreta Synodica in Ecclesiis autoritatem & vim

legis

legis nondum obtinent. Quemadmodum etiam in Ecclesijs, quæ sub Magistratus Christiani tutela publico Religionis exercitio fruuntur, vigorem legis publicæ non possunt obtinere, antequam accesserit Supremi Magistratus approbatio, & quasi supremum, vt loquuntur, arrestum.

V.

Omnis Conciliorum autoritas pendet à conformitate cum S. Scriptura, quæ cum sit *a θεόπνευστος*, divinæ, infallibilis, atque indubiæ veritatis, autoritas ejus omnibus modis major est quàm Conciliorum, non tantum in se, & absolutè, sed etiam nostri respectu, cum omnis Conciliorum autoritas nobis ex Sacra Scriptura sit demonstranda. Non enim simpliciter credendum est decreta Synodalia vera esse, quia in Concilio à Patribus sunt condita, sed quia comperiuntur S. Scripturæ conformia: ita vt S. Scripturæ sua constet autoritas per se, Conciliis autem per S Scripturam. Quare Decreta Conciliorum nunquam pro Spiritus Sancti oraculis sunt obtrudenda, aut pro principiis Christianorum dogmatum habenda: neque Sacrę Scripturæ vllo modo æquanda, multo minus etiam quoad nos, illi præferenda. Hoc enim prorsus impium & blasphemum est. Atque hoc modo fides nostra in hominum, non in DEI verbo recumberet, atque in homines non in DEVM terminaretur. Nos quidem quatuor priora Concilia Oecumenica, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, quantum ad fidei dogmata attinet libenter amplectimur, & vt sacrosancta reveremur, licet respectu

a divinitùs inspirata.

An Conciliorum autoritas major sit autoritate S. Scripturæ nostri respectu?

Quæ sit autoritas quatuor priorum Conciliorum?

politiæ

politiæ Ecclesiasticæ nævos quosdam in iis agnoscamus: quatuor tamen Evangeliis ea exæquari blasphemum putamus.

VI.

An Concilium sit supra Papam?

Concilii legitimi judicio & censuris subjecti debent esse omnes Ecclesiæ cives, cujuscunque tandem sint conditionis, sive functionem publicam in Republica aut Ecclesia habeant, sive homines privati sint. DEVS enim penes Ecclesiam, quam Concilium repræsentat, ministerialem judicandi potestatem in hisce terris esse voluit, atque omnibus mandavit, etiam ipsi Petro, vt nisi velimus tanquam Ethnici & publicani haberi, eam audiamus. Quare etiam Papa Romanus, si velit censeri inter Ecclesiæ cives, multo magis si in numero Episcoporum haberi velit, non minus quam reliqui cives & Episcopi Concilio legitimo, sive volens sive nolens, subiectus est, & à Concilio potest judicari, examinari, justa de causa à munere suspendi, deponi, & puniri. Quod ipsum nonnulla Concilia, etiam à Papa approbata, neque admodum antiqua etiam agnoscunt, quæ statuerunt Concilium esse supra Papam: hunc ab illo, non illud ab hoc judicari debere. Neque enim Papa est Pastor summus, neque caput corporis, neque vir & sponsus Ecclesiæ, quemadmodum hosce titulos soli D.N. IESV CHRISTO proprios blasphemè sibi vendicat, vt per eos judicio Ecclesiæ se eximat, sed cum titulos hosce blasphemos sibi attribuit, seque supremum in terris judicem appellat, qui omnes judicare, & à nemine judicari debeat, manifestè ostendit se esse eum, qui se effert

[b] ἐπὶ πάντα λεγόμενον Θεὸν ἢ σέβασμα, se esse [c] τὸν ἄνομον, qui nullis velit legibus subiectus esse, ac denique se esse [d] τὸν ψευδοπροφήτην, cuius spiritus Prophetis non subiicitur: hoc est, esse magnum illum Antichristum.

b 2. *Thess.* 2. 4.
c 2. *Thess.* 2. 8.
d *Apoc.* 20. 10.

DE ECCLESIA.

DISPVTATIO XIX.

De Ecclesiæ Essentiâ.

THESIS I.

Quid vox Ecclesia significet?

VOx Græca Ἐκκλησία derivata ab ἐκκαλεῖν, quod est evocare ex aliis vel convocare, significat *communiter*, cœtum evocatum, sive legitimè & autoritate publicâ, qui vocatur [a] ἐκκλησία ἔννομος, sive illegitimè, vel per seditionem, qui vocatur [b] ἐκκλησία συγκεχυμένη. Item sive ad sacrum, sive ad profanum finem, vt Latinis Concio. *Singulariter* significat cœtum ad sacrum finem evocatum: & Synecdochicè eos tantum, qui tali cœtui præsunt, quorum conventus Presbyterium & Synodus vocatur, & vulgò Ecclesia Repræsentativa. Hebræi cœtum talem vocant [c] *Kahál*, & [d] *Hhedah*, à convocando,

a *Act.* 19. 39.
b *Act.* 19. 32.
c קהל
d עדה

&

& congregando. Latini vocem hanc Græcam, vt significantissimam atque aptissimam, prudenter & religiosè retinuerunt.

II.

Quotuplex sit Ecclesia?

Ecclesia, cum significat cœtum seu collectionem hominum ad sanctum finem evocatorum, (in quâ significatione nos vocem hanc in tota hac disputatione accipimus) in S. Scripturâ aliàs *Latius* accipitur, aliàs *strictius*. Vnde Ecclesia dividitur in *Catholicam* seu *Vniversalem*, & *Particularem*. Ecclesia *latè* & generaliter accepta communiter appellatur *Catholica*, id est, Vniversalis: idque vel *absolutè*, vel *respectivè*.

Quid sit Ecclesia Catholica absolutè considerata?

Absolutè significat Ecclesia Catholica corpus seu collectionem omnium eorum, qui à DEO ex vniversa hominum multitudine ex naturali ipsorum statu ad supernaturalem gratiæ & gloriæ communionem, ac filiorum DEI dignitatem, in Christo Iesu, omnibus temporibus, efficaciter vocati sunt, vocantur, & vocabuntur, quique ei per vivam fidem tanquam capiti coadvnantur. Hanc DEVS suo sanguine acquisiuit. Hæc est Sponsa illa Christi, pro quâ semetipsum exposuit, vt eam sanctificaret, & sibi gloriosam sisteret. Hæc est mysticum illud Christi corpus cui dat salutem. Hæc est familia filiorū DEI, pro quibus Christus mortuus est, vt eos dispersos in vnum cogeret. Hęc est Domus, Civitas, & Templum DEI viventis. Hæc est illa sublimis Hierusalem, quæ libera est & mater omnium nostrûm. Hæc est illa e πανηγύρει καὶ ἐκκλησία πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων. In hâc Ecclesia nulla est condemnatio, neque extra hanc Ecclesiam est salus. Hęc est Ecclesia illa, quam in Symbolo credimus esse, nosque

e Heb. 12. 21.

An extra Ecclesiam Catholicā sit salus?

ejus

ejus membra esse, & perpetuò mansuros. Non autem credendum est in Ecclesiam Catholicam, hoc enim esset fidem seu fiduciam suam in hominibus collocare, quæ in solo DEO ponenda est, qui solus est objectum fidei Christianæ.

An dicendum sit, Credo in Ecclesiam Catholicã?

III.

Ecclesia, hæc cum in Scripturis corpori assimuletur, necesse est vt habeat *Caput* suum, & *Membra*. *Caput* Ecclesiæ Catholicæ est solus IESVS CHRISTVS, quem DEVS *f* constituit super omnia ipsi Ecclesiæ Caput, *g* ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensurâ vniuscujusque membri, incrementum capit corpori conveniens. Blasphema itaque atq; execranda est Pontificis Romani arrogantia, cum se etiam vocari vult Ecclesiæ Catholicæ Caput, etsi ministeriale, quale in his terris Christus nunquam ordinavit, neque necessarium est; atque ita officium atque honorẽ soli Christo debitum sacrilegè sibi vendicat, & monstrosum ac biceps corpus Christi efficere conatur. Mẽbra hujus mystici corporis Christi, cujus ille vivum est caput, nulla sunt emortua aut arida, sed omnia viva, quia Christi Spiritu per totum hoc corpus diffuso perpetuò vivicantur. Quare homines infideles & manifestè impij, qui sine conversione in infidelitate aut impietate pergunt, & ad finem vsque vitæ perseverant, atque hac ratione manifestè ostendunt se esse reprobos, inter hujus Ecclesiæ membra censeri non possunt. Neq; etiam Hæretici, Apostatæ, & Schismatici, qui non judicio Papæ, sed revera tales sunt, &

Quod sit caput Ecclesiæ Catholicæ?
f Eph. 1. 22
g Eph. 4. 16.

An Papa Romanus?
Qualia & quæ sint mẽbra Ecclesiæ Catholicæ?
An habeat arida membra?
An Reprobi, infideles, et manifestè impij possint esse mẽbra Eccl. Cath?
An Hæretici, Apostatæ, et Scismatici?

quum

h 2.*Cor*. 6, 15.
i *Rom*.8.9
An Hypocrita?

quamdiu tales manent. *h* Nulla enim concordia Christo cum Belial, neque pars fideli cum infideli. Qui Christi Spiritum *i* non habet, non est ejus: neque Christi membrum esse potest, qui ipsius est adversarius. Denique etiam occulti hypocritæ etsi membra hujus Ecclesiæ appareant, revera tamen non sunt. Licet enim fidem profiteantur, verbum audiant, Sacramenta participent, Pastoribus obediant, atque ita in propatulo Christiani sint, non tamen revera sunt Christiani, seu Christi membra, quia non sunt etiam in occulto. Et quantumvis se in illo die pro membris hujus Ecclesiæ jactabunt, quia per nomen Domini prophetaverint, & dæmonia ejecerint. *l* Dominus tamen iis profitebitur, se nunquam eos novisse, seu pro veris hujus Ecclesiæ membris agnovisse. Ab hâc tamen Ecclesia non excludimus nondum baptizatos fidelium Infantes, neq; Catechumenos nondum baptizatos, si in Christum verè credant. Salus enim absolutè signis illis externis non est alligata, neque sola carentia, sed contemptus Sacramentorum damnat. Quicunque in Christum verè credunt, per fidem, non potentia, sed ipso actu, Christi corpori inseruntur, etsi nondum externum accesserit signaculum. Neque etiam sine omni prorsus discrimine excludendi ab hac Ecclesia sunt Excommunicati. Multi enim injustè excommunicantur, qui propterea in deteriori statu non sunt, sed potius illi à quibus injustè excommunicati sunt: quare si verè in Christum credant, nihilominus pro veris hujus Ecclesiæ civibus sunt habendi. Iustè excommunicati sæpe nondum fuerunt actu vera hujus Ecclesiæ membra, aut tametsi

l *Matt*. 7. 22. 23.
An Catechumeni nondum baptizati?

An etiam Excommunicati?

ex particulari Ecclesia justè excluduntur, non tamen statim absolutè à corpore servandorum abscinduntur, cum excommunicatio omnis fiat sub conditione, nisi resipiscant, & adhibeatur non in pernitiem sed in salutarem medicinam.

IV.

Vera Ecclesiæ Catholicæ membra sunt soli illi, qui à Deo sunt prædestinati, efficaciter vocati, justificati, & glorificati, vel glorificandi, id est, soli electi, & verè fideles. Alij enim censentur membra esse tantum secundùm propositum Dei, quod est secundùm electionem, etsi Christo per fidem nondum actu sint insiti certò tamen inserendi. Alii jam ipso actu viva sunt membra. Hi sunt soli verè fideles, quibus omnibus & solis Devs *ἐξουσίαν* m dedit, vt filii Dei fierent. Per solam enim fidem cum Christo communionem habemus, ipsi inserimur, & Deo placemus. Soli itaque filii Dei hanc domum Patris sui incolunt, & soli hujus cœlestis Hierusalem, quę omnium fidelium mater est, cives sunt. Solæ oves Christi, quæ vocem ejus audiunt, eumque sequuntur, & quibus vitam æternam dat, ad hoc ovile pertinent. Horum membrorum Ecclesiæ Catholicæ alia hic in terris in via sunt, & adversus Diabolum, Mundum, & Carnem armis spiritualibus decertant, quorum collectio vocatur *Ecclesia Militans*: alia peracto certamine in cœlesti patria coronantur, & vocatur illorum collectio *Ecclesia Triumphans*. Vtraque collectio vnam tantum constituit Ecclesiam, vnum corpus, atque vnum ovile. Vt enim nemo membrum fiet Ecclesiæ Trium-

An soli Prædestinati & verè fideles sint membra Eccl. Cathol.?

m *Ioh.* 1. 12.

Quid sit Ecclesia Militans? Quid Triumphans? An Ecclesia Catholica sit vna?

 phantis.

An Ecclesia Catholica sit una?

An sit Ecclesia in Purgatorio?

phantis, qui prius non fuerit membrum Militantis, ita tandem, cum Electorum numerus fuerit completus, omnia Militantis membra de devictis hostibus in patriâ cum Christo Capite in æternum triumphabunt. Ecclesiam, quæ sub terris igni à peccatis purgetur, nullam Scriptura agnoscit.

V.

Quid sit Ecclesia Catholica respectivè considerata?

Ecclesia appellatur etiam Catholica, seu Universalis, *respectivè*: idque quintuplici respectu, *Hominum, Locorum, Temporum, Dogmatum, & Cœtuum particularium*. *Hominum*, quia non amplius ex Iudæis tantum, sed sine discrimine ex omni populo, & gente, & omium hominum statu congregatur. *Locorum*, quia per totum terrarum orbem dispersa est, & nulli peculiariter regioni, urbi, aut loco in hisce terris est alligata. *Temporum*, quia inde à primordio mundi collecta est, & colligi nunquam desinet, donec eam Christus adventu suo in æternam gloriam traducat. *Dogmatum*, quia omnes veræ Ecclesiæ universalem in omnibus dogmatibus fidei ad salutē necessarijs consensum colunt. *Cœtuum particularium*, quia omnes veræ particulares Ecclesiæ, ubicunq; terrarum fuerint, unum quasi corpus, atq; unam Ecclesiam efficiunt, cujus singulæ sunt partes integrantes. Atque hoc respectu Ecclesia Catholica significat collectivè omnes Ecclesias Orthodoxas, & in fide consentientes. In hac significatione potissimū à Patribus accipitur, cum Hæreticis aut Schismaticis judicium aut consensum Ecclesiæ Catholicæ opponunt. Unde apparet Romanam seu Pontificiā Ecclesiam, cum in dogmatibus ad

salutem

salutem necessariis non sit Orthodoxa, neque cum Ecclesijs Orthodoxis consensum colat, ab Orthodoxa primitivę Ecclesię Romanę fide jamdudum defecerit, & multis hodie hæresibus, superstitionibus, atque adeò manifestâ Idololatria sit inquinata, perperam sibi nomen Ecclesiæ Catholicæ vendicare. Ac propterea etiam malè faciunt qui Pontificios hodie, sive ex consuetudine, sive per adulationem, *Catholicos* appellant.

VI.

Strictius vox Ecclesiæ accipitur pro particulari aliquo, sive magno sive parvo, externo cœtu hominum prædicatione verbi & Sacramentorum communicatione ad DEI cultum evocatorum eundemq; profitentium: qui cœtus vocatur *Ecclesia Particularis*, & plerumque denominatur à loco, vt Ecclesia Romana. Corinthiaca, Ephesina, Philippensis, &c. Vt quis sit membrum hujus Ecclesiæ non est necesse, vt subsit Papæ Romano, tanquam vnico Christi in terris vicario: Hoc enim nusquam in Scripturis docetur. Neque vt planè ita in doctrina & vita perfectus sit, vt nihil amplius in eo desiderari possit: Hæc enim perfectio in hanc vitam non cadit. Sed in vero externæ Ecclesiæ particularis membro hæc requiruntur, vt confessione fidei veram Religionem profiteatur, verbum DEI diligenter audiat, Sacramenta participet, Disciplinæ atque ordini Ecclesiæ se subjiciat, & secundum Evangelium convenienter, aut saltem tolerabiliter vivat. Hæc omnia cum etiam Hypocritæ occulti præstare possint, sequitur eos etiam particularis Ecclesiæ membra esse posse. Externi enim cœtus

Quid sit Ecclesia Particularis?

Quæ sint membra Ecclesiæ Particularis?

An soli Papæ subditi?

An soli perfecti?

An etiam occulti Hypocritæ?

illi particulares non tantum constant ex verè fidelibus, sed semper hypocritas permixtos habent, vt parabolæ de agro, de area, de reti, de convivio nuptiali, de decem virginibus, & similes evidentissimè docent. Tales hypocritæ, etsi Ecclesiæ Catholicæ absolutè consideratæ viva membra non sint, tamen quamdiu occulti manent, nec impietatem produnt, ex lege charitatis pro verè fidelibus & Ecclesiæ Catholicæ membris à nobis haberi debent. Qui vero vitâ aut confessione se palam ostendunt à Christo planè alienos, neque ad communionem Ecclesiæ particularis admitti debent, neque in eadem tolerari.

An manifestè impij & magni peccatores?

DISPVT. XX.

An Ecclesia semper sit Visibilis?

ET

An possit penitus deficere?

THESIS I.

An Ecclesia Catholica sit visibilis?

a. vniversalitatis.

CVm quæritur an Ecclesia semper sit visibilis: illud intelligi potest aut de Ecclesia Catholica, aut de Particulari. De Ecclesia Catholica cum intelligitur, respondemus, ea tametsi constet ex hominibus qui in se, quod ad formam externam, visibiles sunt, nobis tamen est invisibilis, non tantum respectu α τῶ καθόλου, quod in sensus non incurrit, aut quia maxima

pars

pars in cœlis triumphans à nobis videri nequit, sed potissimum respectu internæ ejus formæ, per quam quis Ecclesiæ hujus membrum est, & quæ corpori, ejusque cuilibet membro, dat essentiam. Hæc enim cum sit res spiritualis, vtpote viva & sincera in Christum fides, externis sensibus non percipitur. Soli DEO *b* καρδιογνώστῃ hæc cognita & visibilis est, qui solus novit qui sint sui. Homines de aliorum fidei sinceritate non nisi probabiliter & fallibiliter judicare possunt. In die autem illo extremo, cum Christus oves suas ab hœdis discernet, Ecclesia Catholica ex omnibus populis, locis, atque omnibus temporibus collecta, demum omnium oculis exponetur, & tota visibilis comparebit.

b *cordium cognitore.*

II.

An particularis Ecclesia sit visibilis?

Cum de Ecclesia particulari intelligitur, non controvertitur, An particularis aliquis externus cœtus hominum DEVM colentium in se sit visibilis? Quis enim rem tam manifestam vnquam negaverit, aut in dubium vocaverit? Sed hæc est præcipua quęstio, quæ inter nos & Pontificios hîc in controversiam venit, An vnquam fieri possit, vt omnes particulares Ecclesiæ ita penitus deficiant, vt omnes simul fiant invisibiles, hoc est, vt nullus amplius extet visibilis cœtus Religionem veram profitentium, qui conspici & digito demonstrari possit? Respondemus, hoc nunquam esse futurum ex hypothesi divinæ promissionis, ac defensionis, sed semper fore in hisce terris alicubi cœtus visibiles vel plures vel pauciores, vel majores vel minores, vel splendidiores vel obscuriores, qui veram Religionem

profitebuntur. Fieri tamen posse vt omnes illi cœtus sint invisibiles, respectu vel eorum qui infirmitate humana præpediti eos inter impios latitantes non animadvertunt, vel eorum, qui odio & malitia excæcati videre nolunt, vel eorum quibus animus est ad persequendum Ecclesiam veram, quorum injuria latitare coguntur, ne se illis visibiles præbeant.

III.

An Ecclesia Catholica possit deficere?

De Ecclesiæ defectione idem planè est judicium. Si enim quæritur, An Ecclesia Catholica possit deficere? Respondemus de Triumphante Ecclesiâ quæstionem hanc moveri non posse, cum illa jam possideat vitam æternam, cujus nullus vnquam erit finis. Militantem Ecclesiam etsi Diabolus horribili atque insatiabili furore perpetuò oppugnet, & partim crudelissimis excitatis persecutionibus penitus ex orbe terrarum exstirpare conetur, partim efficacibus seductionibus atque erroribus ad defectionem sollicitet, ita vt sæpius in his terris ad exiguam paucitatem redigatur, nunquam tamen portæ inferorum adversus eam tantum prævalebunt, vt penitus in his terris deficiat, aut extirpetur. DEVS enim semper sibi semen & reliquias reservabit. Et Christus Caput & REX Ecclesiæ suæ, qui æternum obtinet regnum, membra & subditos semper habebit, non tantum in cœlis, sed etiam hic in terris, vsque ad mundi consummationem, quibus se perpetuò affuturum promisit.

IV.

Cum quæritur, An Ecclesia particularis possit

deficere? illud intelligi potest aut de vnâ aliquâ, aut de omnibus simul. De vnâ aliquâ particulari Ecclesia, respondemus, fieri posse, vt cœtus aliquis particularis ita penitus exterminetur, vi persecutionis, vel etiam progressu temporis propriâ malitiâ ab Orthodoxâ doctrinâ, quę prius in cœtu illo tradita fuit, ita penitus deficiat, vt * civitas fidelis fiat meretrix, vt ex eo loco † candelabrum moveatur; atq; vbi prius vera Ecclesia fuit, ibidem nulla amplius appareat. Quod ipsum Ecclesiæ Corinthiacæ, Ephesinæ, & innumeris alijs Ecclesijs particularibus evenisse, ipsa testatur experientia. Neq; vlla est particularis Ecclesia in toto terrarum orbe, quæ per speciale aliquod privilegium loci, sedis, aut successionis ab hoc defectionis periculo sit immunis. Ecclesia enim Novi Testamenti nulli in terris loco peculiari est alligata.

An vna aliqua Ecclesia particularis possit deficere?

* *Isa.* 1. 21

† *Apoc.* 1. 5.

An vlla sit immunis à periculo defectionis?

V.

De omnibus Ecclesijs particularibus quæritur, an omnes simul ita possint deficere, vt nusquam in toto terrarum orbe vllus reperiatur cœtus hominum veram Religionem profitentium? Respondemus fieri posse vt omnes externæ & visibiles Ecclesiæ particulares quasi vniversali à vero DEI cultu defectionis cataclysmo ita obruantur, vt tota visibilis in terris Ecclesia defecisse penitus videatur. Quod vt in Veteri Testamento sæpius accidisse sacra historia testatur, & Prophetæ conqueruntur; ita etiam Christus & Apostoli clarè prædixerunt, in extremis hisce Novi Testamenti tēporibus, multos à fide defecturos, evidentem ac quasi generalem fore * Apostasiam, & tam efficacem seductionem, vt

An omnes particulares Ecclesiæ simul possint deficere?

* 2. *Thess.* 2. 3.

c Mat. 24. 24.
d Luc. 18. 8.

c si fieri possit, ipsi electi etiam seducerentur, vtq; Filius hominis cum venturus erit *d* vix fidem in terris sit inventurus; omnes etiam terræ incolas, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, Bestiam adoraturos. Fieri etiam posse vt violentia persecutionum omnes veræ Ecclesiæ ad eam paucitatem atque obscuritatem, in easque angustias & latebras redigantur, vt nulla earum facies externa vspiam appareat, & membra ipsa vix se invicem noscant, quod tempore *e* Eliæ accidisse sacra historia clarè testatur. Nunquam tamen futurum esse, vt omnes in vniversum cœtus particulares vel extinguantur, vel penitus à vero DEI cultu deficiant, sed semper in hisce terris superstites fore veros DEI cultores, plures vel pauciores, quorum cœtus veram Ecclesiam constituunt.

e 1. Reg. 19. 14.

VI.

Vbi fuerit vera Ecclesia sub Papatu superioribus seculis?

Quæritur denique, vbinam gentium aut locorum fuerit vera Ecclesia superioribus seculis in Papatu, si Pontificia Ecclesia non sit vera Ecclesia? Respondemus, quemadmodum in Ecclesiæ Israeliticæ generali ad Idololatriam defectione præcipuè temporibus Acabi, ingens numerus superfuit eorum qui genua coram Baal non flexerant, ita dubium non esse, quin omnibus seculis extiterint, non tantum innumeri pij, qui veritatem constanter agnoverunt, & Pontificiorum Idololatriam, hæreses, ac superstitiones damnarunt, atque execrati sunt vt docent Martyrologia: sed etiam plurimos integros cœtus, etiam in ipsa Europa, vbi Papa dominium potissimum exercet, semper extitisse, qui DEVM secun-

dum verbum ſuum ritè coluerint: cui rei vel ſola Waldenſium, ſeu Albienſium, hiſtoria fidem facere poteſt. Deinde iſtis temporibus vera Eccleſia fugientis Draconis perſequentis tyrannidem, vt per Apoſtolum prædictum erat in deſerto, in loco ſuo, latuit extra ſerpentis & hominum conſpectum.

DISPVTATIO XXI.

An Eccleſia poßit errare?

Thesis I.

Fidei Romanæ ſeu Pontificiæ præcipuum atque vnicum ferè fundamentum eſt hæc Pontificia hypotheſis: *Eccleſiam non poſſe errare.* Quemadmodum enim Iudæi adverſus Prophetarum increpationes ſolent ingeminare, Templi Iehovæ iſta ſunt, eodem planè modo Pontificij, cum ipſorum Idololatria, hæreſes, ſuperſtitiones, & errores ex S. Scriptura redarguuntur, ſemper in promptu habent hanc reſponſionem, Eccleſiæ iſta ſunt decreta: Illa autem errare non poteſt. Quare neque nos Eccleſiæ definitonem ſequentes. Atque ita ſola hâc hypotheſi potiſſimùm in efficacibus & pernitioſis illis erroribus obfirmantur. Hanc itaque hypotheſin paulo penitius examinemus, vt conſtet quam infirmo fundamento miſeri homines in Papatu nitantur.

Quid ſit præcipuum fundamẽtum fidei Pontificiorum?

II.

Quotuplex sit vocis Ecclesiæ acceptio?

Quotuplices sint errores?

Ad quæstionem autem hanc: *An Ecclesia possit errare?* ut commodè respondeatur, accuratè consideranda est diversa vocis Ecclesiæ acceptio, & distinguendi errorum gradus. Ecclesia enim significat aut Ecclesiam Catholicam invisibilem, aut particulares visibiles Ecclesias, & Synecdochicè etiam eos, qui has repræsentant. Atque ut in corpore humano alij morbi sunt curabiles, alij lethales, ita errores alij sunt graviores, capitales, & exitiales, alij leviores & sanabiles. Alij fundamentum salutis planè evertunt & Ecclesiæ essentiam tollunt, alij non item.

III.

An Ecclesia Catholica possit errare?

De Ecclesiâ Catholicâ & invisibili si quæratur, An possit errare? Respondemus, Triumphantem in cœlis Ecclesiam nullo amplius errori, ne vel minimo quidem, immo nec ignorantiæ ulli earum rerum, quæ ad perfectionem istius beatitudinis cœlestis scitu necessariæ sunt obnoxiam esse. Pars autem ejusdem Ecclesiæ Catholicæ in terris adhuc Militans, quæ nunc *δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι* cernit, atque *ἐκ μέρους* tantum cognoscit, potest quidem incidere in errores leviores fundamentum non evertentes, non potest tamen errare in fundamentalibus fidei articulis, qui simpliciter ad salutem sunt necessarij. Impossibile enim est electos ab ijs posse seduci: & quicunque in istis articulis errat, ille Catholicæ Ecclesiæ membrum esse non potest.

1 Cor. 13.12.

IV.

De Ecclesijs particularibus cum quæritur,

respondemus eas quidem non errare quamdiu regulam à DEO in verbo suo præscriptam sequuntur, & à Spiritu Sancto per verbum se doceri patiuntur, posse tamen errare, non tantum vnam Ecclesiam particularem, sed etiam omnes vbicunque locorum fuerint externi & visibiles cœtus omnesque erroribus esse obnoxios, tam in fide quam in moribus: quinetiam interdum multi perniciosis erroribus ita obruuntur, vt planè à veritate Euangelica deficiant, & desinant esse veræ Ecclesiæ: vti ipsa experientia satis comprobat. Defectio hæc à veritate sæpe tam evidens & magna est, vt quasi vniversalis esse videatur, atque omnes penitus Ecclesias aspectabiles occupasse: tametsi DEUS sibi semper aliquos cœtus in hisce terris sive exiguos, sive majores, sive plures, sive pauciores, sive occultos sive manifestos sit reservaturus, qui ab erroribus fundamentalibus sint immunes, & nomen veræ Ecclesiæ retineant.

An Ecclesia particularis possit errare?

An omnes simul?

V.

Ecclesia aliqua particularis tametsi errores aliquos habeat & foveat, in rebus levioribus ad salutem non necessarijs, non statim desinit esse vera Ecclesia. Sed quamdiu fundamentum salutis in ea retinetur, tametsi ex infirmitate humana fœnum & stipulam super hoc superædificet, nihilominus tamen nomen veræ Ecclesiæ, sed errantis in levioribus, retinet. Debent tamen omnes Ecclesiæ particulares, quæ in errore aliquo versantur, operam dare, vt agnitis tandem atque abjectis erroribus etiam levioribus, ab ijsdem, quantum fieri potest accuratè perpurgentur, & ad normam divini verbi quàm exactissimè reformentur.

An propter errorem leviorem cœtus aliquis nomen veræ Ecclesiæ amittat.

VI.

An Ecclesia Repræsentativa possit errare?

De Ecclesiâ Synecdochicè dicta, quæ vulgo vocatur Ecclesia Repræsentativa, præcipua videtur esse quæstio, videlicet, An Doctores & Antistites Ecclesiarum particularium in Synodo legitimâ, sive particulari sive universali, congregati in definitionibus suis errare possint? Respondemus cum illa Ecclesia constet ex hominibus, quorum singuli erroribus sunt obnoxij, qui tantum ex parte cognoscunt, & qui sæpe ignorantia, odio, invidia, aliisque pravis affectibus judicium rectum impedientibus, laborant, qui non semper vocem Christi summi Pastoris audiunt, neque ductum Spiritus Sancti in Scripturis loquentis, sed præjudicium suum in definiendo sæpe sequuntur, non est dubium quin talis Ecclesia seu congregatio errare possit. b *πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες*. Quinetiam ipsa experientia testatur Ecclesiam istam sæpius graviter erràsse, non tantum in iis quæ ad mores, sed etiam quæ ad fidei dogmata spectant. Quare judicium ejus, tametsi non temere est rejiciendum, non tamen pro c *ἀναμαρτήτῳ* aut d *ἀνεξετάστῳ* fidei principio est agnoscendum, sed semper ad amussim Verbi Divini, quod unicum fidei Christianæ principium est, sollicitè explorandum.

b *Iac. 3. 2.*

c *infallibili.*

d *non examinando.*

DISPVTATIO XXII.

De Notis Veræ Ecclesiæ.

THESIS I.

ECclesia *a ὁμωνύμως* accepta aut est Vera, aut est Falsa. Vera est quæ DEVM secundum verbi sui præscriptum rectè agnoscit & colit. Falsa est, in quâ DEVS aut non agnoscitur & colitur, aut in quâ cognitio veri DEI & genuinus ejus cultus planè sunt adulterata. Hæc vocatur Ecclesia malignantium, & *b συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ.* Omnes quicunque DEVM in hoc mundo ritè colere volunt, debent se Veræ Ecclesiæ, cum in finem, adjungere. Sed cum semper, ac præsertim hodie, multi cœtus sint, qui se pro veris Ecclesiis venditant, in quibus tamen DEVS non rectè agnoscitur, neque colitur, & qui proinde verarum Ecclesiarum nomen non possunt obtinere, ne quis in delectu rei tanti momenti facile aberret, imprimis tenendum est, quibus Notis Vera Ecclesia à Falsa discernatur, & caulæ ovium à luporum lustris internoscantur.

a *aequivocè.*
Quam necessaria sit doctrina de Notis Ecclesiæ?
b *Apoc. 2.9*

II.

Notæ hæ, quæ Veram nobis Ecclesiam ostendere debent, non debent esse *c εἰκότα* tantum, quæ probabiliter, sed *d τεκμήρια,* quæ certissimè rem cognoscendam exhibeant: ac propterea non debent esse accidentariæ, quæ adesse

c *verisimilia.*
Quales esse debeant genuina Ecclesiæ notæ?
d *signa indubitata*

vel ab illo possint, sed essentiales, hoc est, ab interna Ecclesię forma manantes. Tres itaque hæ conditiones in genuinis veræ Ecclesiæ notis requiruntur. 1. Vt sint propriæ veræ Ecclesiæ & non communes alijs sectis. 2. Vt sint inseparabiles à verâ Ecclesiâ omnibusque Ecclesijs veris omnium temporum conveniant. 3. Vt notiores sint ipsa vera Ecclesia, quam demonstrant. Non autem quæritur hic de Notis, quibus aliquis certò explorare possit, vel de se vel de alio an sit verum & vivum Catholicæ atque invisibilis Ecclesię membrum: De alio etsi ex confessione & vita externa probabiliter secundum judicium charitatis bene æstimare possumus, non tamen hæc certa atque infallibilis nota est, cum etiam hypocritis sit communis. Solus DEVS *e i kardiognostes* novit qui sint sui. De nobis ipsis certi esse possumus ex notâ externâ fructuum fidei, ac præcipuè interna Spiritus Sancti testificatione atque obsignatione. Sed quæstio præcipua est de externis visibilibus cœtibus & Ecclesijs particularibus, vnde, vel ex quibus notis, certo dignosci possit, hunc particularem Christianorum cœtum esse veram atque orthodoxam Ecclesiam?

De quibus notis præcipuè quæstio sit?

e cordium cognitor.

III.

Respondemus primariam atque essentialem veræ Ecclesiæ notam esse puram Verbi Divini prædicationem, seu, vt Bellarminus ipse statuit & loquitur, conspirationem in Doctrina cum Ecclesia Apostolica, & Sanctitatem Doctrinæ, quæ in cœtu aliquo docetur, quæ tum demum recta censeri debet, cum formæ sanorum verborum & amussi verbi divini est consentanea.

An pura Verbi Divini prædicatio sit primaria nota veræ Ecclesiæ?

Qui

Qui enim in sermone Christi manent, illi sunt verè discipuli ejus. Oves Christi *f* vocem ejus, & qui ex Deo sunt, verba Dei audiunt. Qui *g* in doctrina Christi manet, hic & Patrem & Filiũ habet. Vera Ecclesia * superstructa est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, & perdurat in doctrina Apostolorum. Ex hac nota infallibiliter vera Ecclesia cognoscitur: Non enim est alijs sectis communis *h* κατ' ἀλήθειαν, etsi plerunque *i* κατὰ δόξαν, sed soli veræ Ecclesiæ propria. Est etiam Ecclesia notior, quia causam ejus declarat, atque vt ex hac Beroenses agnoverunt Apostolicam Ecclesiam esse veram, ita ex eadem etiam facilè est hodie veram Ecclesiam agnoscere, modo verbum Dei sine præjudicio, cum zelo, & precibus, eum in finem diligenter scrutari velimus. Est etiam à verâ Ecclesiâ planè inseparabilis, respectu illorum fidei articulorum, qui ad salutem sunt necessarij. Desinit enim cœtus esse vera Ecclesia, in quo isti articuli secundum Dei verbum non rectè docentur. Hæc nota ipsam Ecclesiam constituit, atque infallibiliter Ecclesia vera ex hac cognoscitur. Cœtus enim in quo verbum Dei purè prædicatur, est vera Ecclesia, quemadmodum è converso vera Ecclesia nihil aliud est, quam cœtus hominum in quo verbum Dei purè prædicatur.

f *Ioh.* 10. 27.
g 2. *Ioh.* 9.
* *Ephes.* 2. 20.
h *juxta veritatem.*
i *secundum apparentiam.*

IV.

Cum autem Christus in Ecclesiâ suâ preter audibilem verbi sui prædicationem etiam instituerit visibiles quosdam ritus, promissionum Evangelicarum *l* σφραγῖδας, qui secundum ipsius institutionem religiosè à vera Ecclesia administrari atque

An legitima Sacramentorum administratio sit nota vera Ecclesia?
l *sigilla.*

vsurpari debent, ad fidei confirmationem, statuimus secundam veræ Ecclesiæ notam, esse legitimam horum rituum, qui vulgo Sacramenta appellantur, juxta institutionem Christi, administrationem, atque vsurpationem. Denique cum Ecclesia sit Domus DEI viventis, in quâ omnia *m εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν* geri, neq; manifesta scelera aut scandala tolerari debent, cohæret cum superioribus notis *n εὐταξίας* atque Disciplinæ Ecclesiasticæ, secundum Christi & Apostolorum Canones, religiosa procuratio, tanquam tertia nota Ecclesiæ benè constitutæ.

An Disciplinæ Ecclesiasticæ recta administratio sit nota Ecclesiæ?

m 1. *Cor.* 14.40.

n *ordinis.*

V.

An hæ notæ in omnibus Ecclesijs veris æquè puræ sunt?

In quocunque cœtu hæ tres notæ simul deprehenduntur, ille procul omni dubio, atque optimo jure, Vera & benè constituta Ecclesia appellari potest, & censeri debet, cui quilibet Christianus se adjungere & tutò potest, & meritò debet. Sed habent hæ notæ certos quosdam sinceritatis gradus, tam in Pastoribus, quam in ovibus, secundũ quos Ecclesiæ, in quibus apparent, in *Puriores* & *Impuriores* distinguuntur. Quanto enim puriores hæ notæ in aliquâ Ecclesiâ servantur, tanto etiam purior hæc Ecclesia censeri debet: Et quanto magis à puritate declinant, tanto magis etiam cœtus ille ab integritate & perfectione Ecclesiæ DEI discedit. Non tamen ob quamlibet impuritatem vel in doctrina, vel in Sacramentorum administratione, vel in Disciplinæ & ordinis procuratione, cœtus aliquis nomen veræ Ecclesiæ amittit, quamdiu capiti adhæret & fundamentum retinet. Cæterum tenentur omnes Christiani ei se adjungere Ecclesiæ, seu cœtui, in

An cœtus aliquis ob leviorem impuritatem nomen Ecclesiæ amittat?

quo minima impuritas apparet. Vbi vero notæ hæ vel omnino non sunt, vel prorsus adulteratæ habentur, ibi vel nulla, vel certè corruptissima est Ecclesia.

VI.

Notæ illę quindecim quas Bellarminus recenset, (exceptis Sexta & Octava) Ecclesiam veram non demonstrant, cum sint aut communes aliis sectis, aut ipsa Ecclesia ignotiores seu obscuriores, aut à vera Ecclesia separabiles. Nam tametsi Romanæ Ecclesię Pontificij *nomen Ecclesiæ Catholicæ* attribuant, inde non sequitur eam esse verè *Catholicam*, quia sic dicitur. Aliud enim est verè esse, aliud dici tantum. Nam & Angelus Ecclesiæ, *o* quæ in Sardibus erat, dicebatur vivere, sed mortuus erat: & multi olim se Iudæos appellabant, cum non essent, sed mentirentur. Nisi fortè velimus *Catholicam*, id est, vniversalem appellare ob hanc causam quia vniversa terra admirans secuta est Bestiam. Si vox *Catholica* intelligitur respectu populorum, & locorum, nota hęc à vera Ecclesia separabilis est cum hoc modo non fuerit Ecclesia Vniversalis in sui primordio, neque in Veteri Testamento, neque tempore Christi in terris versantis. Si respectu dogmatũ orthodoxorum, eadem erit nota cum primâ nostrâ sed Ecclesię Pontificiæ non potest applicari. *Antiquitas*, seu Vetustas, verum Ecclesiam non semper demõstrat quia & Synagoga Satanæ antiqui illius serpentis inde ab initio extitit, & vetustas erroris veritati præjudicare non potest. Fuit etiam vera Ecclesia cum nondum esset antiqua, sed primum nasceretur. Non sola antiquitas doctrinæ, sed

An nota Ecclesiæ veræ sit nomen Catholicum?

o *Apoc.* 3. 1.

An Antiquitas?

antiqua veritas, germana Ecclesiæ nota est. Neque ex *Duratione* diuturnâ, & nunquam interruptâ, vera Ecclesia certò cognosci potest, cum & regnum Diaboli à primo ortu ad finem vsque mundi sine interruptione sit duraturum, & vera fuerit olim Ecclesia antequam diu durasset. *Amplitudo* seu multitudo non semper in Ecclesiâ verâ conspicitur, cum sit grex pusillus, qui ad paucos sæpe redigatur, & pauci *p* in angusta via ambulent. Contra videmus blasphemam Mahumeti sectam amplissimè per orbem terrarum dispersam, & multos esse qui latam viam, quæ ad exitium ducit insistunt. Multitudo autem errantium non parit errori patrocinium. Neque vera Ecclesia agnosci potest ex personali *Successione* Episcoporum in sede Romana Ecclesia enim vera nulli loco in his terris alligata est; neque locus iste privilegium hoc habet Episcopos omnes in illa sede succedentes non posse in fide errare. Quinimo successio illa multoties fuit interrupta. Successio non in sede aliqua, sed in doctrina Apostolica, veros doctores & veram Ecclesiam arguit. Scribæ enim & Pharisæi *q* sedebant in Cathedra Mosis, & tamen erant *r* cæci cæcorum duces, falsi Prophetæ & lupi rapaces, à quorum fermento *ſ* erat cavendum. *Consensio in doctrina cum Ecclesiâ Apostolicâ*, & verè primitiva, Ecclesiam veram certò indicat, sed in Romana Ecclesia non reperitur. Estq; hæc nota eadem cum nostra prima. Patrum autem doctrina, præsertim eorum, qui ab Apostolorum temporibus longius abfuerunt, quia sæpe neq; cum seipsa, neq; cum aliorum doctrina consentit, & sēper ad Apostolicam est expendenda non potest esse regula fidei, aut conspiratio

An Duratio?

An Amplitudo?

p *Mat*. 7. 14.

An Successio?

q *Mat*. 23. 2.
r *Mat*. 15. 14.
ſ *Mat*. 16. 6.

An conspiratio cum doctrina Apostolica?

cum

cum eâdem veræ Ecclesiæ nota. Fuit etiam vera Ecclesia ante omnes Patres. Et quotusquisque est qui Patres legere potest, aut tota vita consensum illum rectè cognoscere, qui tamen scire debet, quæ nam sit vera Ecclesia? *Vnitatem* in rectâ fide seu verâ doctrinâ, sub vno capite Iesu Christo, inter notas veræ Ecclesiæ agnoscimus, & sub prima nostra nota comprehendimus, sed quælibet in doctrinæ capitibus ad salutem non necessarijs dissensio, falsæ Ecclesiæ nota non est, cum etiam in Ecclesijs Apostolicis nonnunquam visa fuerit. Neque contrà quælibet in doctrinâ vnitas seu consensio veram Ecclesiam arguit, cum illa etiam inter impios & idololatras esse possit, atque etiam sæpe fuerit, vt exempla Sacerdotum Baaliticorum, Iudæorum adversus Christum & Apostolos conjuratorum, & Mahumetanorum clarè docent. Sub Pontifice autem Romano, vt Ecclesiæ capite, neque Israeliticæ, neq; Apostolicæ, neque primitivæ, neque aliæ multæ veræ & orthodoxæ Ecclesiæ vnquam vnitæ fuerunt. Atque hæc vnio non veram, sed Antichristianam Ecclesiam demonstrat. *Sanctitas doctrinæ* certa & genuina est Ecclesiæ veræ nota, & sub primâ nostrâ notâ continetur. Nulla enim sancta est doctrina, nisi quam DEUS in verbo suo per Spiritum Sanctum revelavit, quod cum purè prædicatur, fieri non potest, quin sancta doctrina proponatur. *Efficacitas doctrinæ* prædicatæ non est veræ Ecclesiæ propria. Nam & Antichristus venturus est *t* cum efficacia deceptionis, & Bestia totum terrarum orbem est seductura. Ingemuit totus orbis, & se Arrianum esse miratus est. Sæpe contra eve-

An Vnitas?

An Sanctitas Doctrinæ?

An efficacitas doctrinæ?

t 2. Thess. 2. 10.

nit, vt pauci admodum credant auditui Prophetarum. *Sanctitas vitæ* alia est interna, quæ soli DEO nota est, ac proinde inter notas Ecclesiæ visibilis numerari non potest: Alia est externa, quam etiam hypocritæ exprimere possunt, ac proinde veram Ecclesiam certò non potest demonstrare. Ecclesia enim non ex moribus & vita, sed ex doctrina est æstimanda. *Miracula* itidem alia sunt vera & divina, alia falsa & fallacia, inter quæ haud facilis est discretio, nisi attendas ad doctrinam, ob quam confirmandam adhibentur. Vera itaque doctrina & consequenter vera Ecclesia prius cognoscenda est, quam de miraculis certi aliquid statuatur. Prædictum enim est Pseudoprophetas & falsos doctores edituros esse signa u ac prodigia magna, adeo vt si fieri posset, etiam electi seducantur. Item Antichristum esse venturum cum omni potentia, x & signis, ac prodigijs mendacibus, & facturum esse signa magna. Quin etiam Ethnici sua olim miracula jactarunt. Quare non quælibet miracula Ecclesiam veram demonstrant, quæ etiam veris miraculis non semper opus habet, sed plerunque illis carere solet cum doctrina satis superque confirmata est, ita vt deficientibus miraculis, non deficiat tamen vera Ecclesia. *Lumen Propheticum*, seu donum futura prædicendi non semper in sola vera Ecclesia conspicitur, sed aliquando DEVS etiam in cœtibus Idololatrarum voluit prædici futura, quorum eventus verus fuit. Donum prophetiæ fuit temporarium, neque eo Ecclesia semper opus habet, sed sufficiunt veteres Prophetiæ verorum Prophetarum, ad quorum sermonem, tanquam ad lucernam y in obscuro

An Sanctitas vitæ?

An gloria Miraculorum?

u *Mat.* 24. 24.
x 2. *Thess* 2. 9.

An lumen Propheticum?

y 2. *Pet.* 1. 19.

ſplendentem, jubemur attendere, non autem ad novas revelationes, aut divinationes; atque à Pſeudoprophetis, quorum multi in mundum prodierunt, nobis cavere, eumque in finem ad verbi DEI amuſſim ſpiritus probare, an ex DEO ſint. *Adverſariorum confeſſionis* acceſſione nihil additur, & deceſſione nihil detrahitur veræ Eccleſiæ. Et cum ſit res incerta, quæ in dubium vocari poſſit, cumq; ſibi ipſi contraria ſit, planè fortuita ac contingens, non poteſt eſſe certa atque eſſentialis Eccleſiæ nota. *Infelix exitus* hoſtium alicujus Religionis non ſemper oſtendit illam Religionem, cujus adverſarij fuerunt, eſſe veram, aut ſuam eſſe falſã. Nam & pij homines in verâ Eccleſiâ verſantes miſerabili ſæpe exitu à DEO caſtigantur, & contrà, immaniſſimi tyranni, ac perditiſſimi hæretici placidum ſæpe habuerunt exitum. *Felicitas temporalis* Epicuræorum potius quam Chriſtianorum Eccleſię nota eſt. Hanc enim DEUS vult hîc ſub cruce gemere, per multas tribulationes in regnum cœlorum ingredi, atque omnes z qui in Chriſto piè vivere volunt perſecutionem pati. Contrà, impij plerumque in hoc mundo florere ſolent.

An Confeſſio adverſariorum?

An infelicitas hoſtium?

An Felicitas temporalis?

z 2. *Tim.* 3.12.

DISPVT. XXIII.

De Ecclesia Romana seu Pontificia,

ET

De Ecclesia Reformata.

THESIS I.

Quotuplices sint cœtus Christianorum?

Cœtus omnes visibiles nomen Christianum, potissimum in Europa, hodie profitentium, commodè dividi possunt in eos, qui Pontificem Romanum pro capite agnoscunt, & eos qui à Pontifice decesserunt. Collectio cœtuum illorum, qui recentioribus hisce aliquot seculis Pontificem Romanum pro summo, vniversali, atque infallibili Ecclesiæ Pastore, & capite agnoscunt, quique eam, quam Pontifex, Cardinales, Episcopi & Monachi hodie tradunt & propugnant, Religionem profitentur, vocatur vulgò ab hoc Pontifice seu Papa Romano, & loco in quo sedet, Ecclesia Pontificia, Papistica, & Romana: de quâ merito quæritur, an sit vera Ecclesia? De veteri autem illâ Romanâ Ecclesiâ, quæ temporibus Apostolorum Romæ collecta fuit, & cui divinam illam Epistolam Apostolus Paulus inscripsit, nulla quæstio est; vt neque de Romanâ

illâ,

illâ, quæ ibidem post Apostolorum tempora prioribus aliquot seculis collecta fuit, & notas veræ Ecclesiæ retinuit, tametsi paulo impuriores. Nam post Apostolorum tempora Ecclesia non diu mansit pura atque immaculata virgo.

II.

De Papisticâ autem hac Ecclesiâ, duplex est quæstio. Prima: An cœtus illi Papistici inter veras particulares Ecclesias censeri possint? Altera: An aliquis, qui membrum istorum cætuum est & manet, possit esse membrum Ecclesiæ Catholicæ invisibilis, & servari queat? Respondemus ad primam: Ecclesiam Pontificiam considerari posse dupliciter, vel vt *Repræsentativam*, vel vt *Popularem*: *Repræsentativa* constat ex Pontifice, Cardinalibus, & aliis Clericis, præsertim in Synodis generalibus congregatis, qui quasi corpus Pontificiæ Ecclesiæ repræsentant. Quia vero Pontifex, qui caput est istius hierarchiæ, ne quidem pro vero Episcopo, nedum pro Ecclesiæ capite, sed pro ipsissimo illo Antichristo magno haberi debet; & reliqui Clerici Pontificij nec vocationem secundum veros Apostolorum canones legitimam habent, neque munere suo ritè funguntur, omnesque illi Idololatriam, hæreses, & gravissimos errores non tantum admittunt, sed etiam acerrimè omnibus viribus defendunt, sequitur hunc Hierarchicum cœtum, quem Curiam Romanam rectè appellaveris, Ecclesiæ veræ nomen nequaquam posse obtinere, sed potius esse strumam, tuber, vlcus pestilentiale, & gangrænam in Ecclesiæ corpore. *Popularem* Ecclesiam Romanam vocamus to-

An Ecclesia Romana sit vera Ecclesia?

An repræsentativa?

An popularis?

tam illam promiscuam multitudinem, quæ doctrinam in Papatu vulgo receptam implicitè credit, & profitetur, seu cœtus illos particulares, in quibus doctrina Papistica publicè docetur, & cultus Papisticus publicè exercetur. In his cœtibus cum verbum DEI purè non doceatur etiam in fundamentalibus, neque Sacramenta secundum Christi institutionem legitimè administrentur, aut vsurpentur, Disciplina Ecclesiastica in carnificinam conscientiarum, & manifestam tyrannidem sit commutata, atque insuper etiam, præter intolerandas superstitiones, manifesta Idololatria in adoratione panis Missatici, Sanctorum mortuorum, reliquiarum, & imaginum, committatur; sequitur eos cœtus potius Antichristianæ & Idololatricæ, quam veræ Ecclesiæ notas gerere, cujus communio proinde pijs omnibus planè sit deserenda, vt veræ Ecclesiæ cives esse possint.

III.

An possit ostendi à quibus, & quãdo corruptio doctrinæ & cultus in Ecclesiam sit invecta?

Quibus autoribus & promotoribus, quo tempore, quo loco, quibus contranitentibus, nova in Ecclesiam Romanam dogmata inventa atque introducta, novi ritus Ecclesiastici excogitati, superstitiosi cultus instituti sint, corruptio hæc, quam hodie videmus, Ecclesiam illam paulatim magis magisque invaserit, ac zizania hæc licet sæpe occultè dormientibus pastoribus, sparsa paulatim succreverint, & bonum semen suffocaverint, non tantum ex historijs Ecclesiasticis, ac veterum scriptis, sed etiam ex ipsis Pontificijs scriptoribus evidentissimè demonstrari potest.

IV.

Ad secundam quæstionem respondemus, certum esse neminem per doctrinam illam, quæ hodie, secundum Concilii Tridentini Canones, in cœtibus Papisticis docetur, ad salutem pervenire posse, cum doctrina illa salutis fundamentum planè evertat. Non dubitamus tamen, quin in illis cœtibus semper extiterint, & hodie etiam sint non pauci, qui licet ex infirmitate cum iis communionem habeant, tamen gravioribus illis ac fundamentalibus erroribus, qui in iis docentur, aut nunquam assensum præbuerint, aut eos ignorarint, aut ante obitum abjecerint, atque ita in verâ Christi fide, licet multis infirmitatibus commaculatâ, mortui sint & servati. Vt enim olim in corruptissimâ Hierosolymorum civitate multi adhuc erant, qui suspirabant, & exclamabant, propter omnes abominationes istas, quæ fiebant in medio illius; ita non dubium est, quin in ipso Papatu hodie tales etiam reperiantur, qui tamen cum in loco valde lubrico & periculoso versentur, omnibus modis ex hoc cœno sunt extrahendi, vt desertâ communione externâ talium cœtuum, ad communionem veræ Ecclesiæ perducantur.

An membra Ecclesiæ Papisticæ servari possint?

V.

Ecclesiæ, quæ superiori seculo à Pontifice Romano, & cœtibus Pontificijs secesserunt, duplices hodie reperiuntur. Aliæ enim Pontificiorum Idololatriam, superstitiones, & errores nonnullos reliquerunt, sed in alios iterum errores graves & perniciosos prolapsæ sunt,

Quotuplices sint Ecclesiæ, quæ à Papa Romano secessionem fecerunt?

qualès

Quid sit sentiendū de Ecclesijs Samosatenicis, & Anabaptisticis?

quales sunt Ecclesiæ seu cœtus novorum Samosatenianorum, Anabaptistarum, & similium, in quibus veræ Ecclesiæ notæ etiam non apparent. Aliæ non tantum à Papalibus, sed etiam quibusvis alijs gravioribus erroribus sūt perpurgatæ, & vocātur hodie Ecclesię Reformatæ & Evāgelicæ, in quibus cum veræ Ecclesiæ notæ manifestè conspiciantur, non dubitamus intrepidè asserere, illas esse verè Christianas, atque orthodoxas Ecclesias, quibus omnes, qui DEVM ritè colere volunt, & salutem animarum quærunt, sese adjungere debent. Etsi vero hodie inter Ecclesias Evangelicas in nonnullis, quę vulgò *Lutheranæ* vocantur, notæ veræ Ecclesiæ non tam puræ, vt in cæteris, reperiantur; non tamen istis propterea nomen verarum Ecclesiarum adimendum est, quamdiu fundamentum fidei & salutis integrum in ijs servatur, quamvis errores aliqui supersint, à quibus optandum esset, vt aliquando perpurgatæ cum cæteris Ecclesijs Reformatis consensum Orthodoxum in omnibus colerent.

Quid de Ecclesijs Lutheranis?

VI.

An Ecclesiæ Reformatæ sint Hæreticæ?

Ecclesiæ Reformatæ, quamvis à Papa & cœtibus Papisticis secesserint, cum ijs communionem non habeant, & salvâ conscientiâ habere se non posse profiteantur, non tamen propterea sunt aut hereticæ, aut scismaticæ, aut Apostaticæ. Non *Hæreticæ*: quia notas veræ atque orthodoxæ Ecclesiæ retinent, ex solo verbo DEI sapiunt, & fidem ac vitam ad illius normam exigunt atque instituunt: neque quisquam hactenus extitit, qui ex verbo DEI eas erroris alicujus funda-

mentalis convicerit, in quo nihilominus pertinaciter perstiterint. Neque *Scismatica*: quia secesserunt non à veræ Ecclesiæ vnione, sed tantum à cœtibus in quibus non tantum manifesta hypocrisis, Superstitio, Tyrannis, impuritas, luxus, avaritia, fraudes, & mendacia regnant, sed etiam commentitij & idololatrici cultus publicè exercentur, & perniciosæ hæreses cum fidei fundamento pugnantes docentur & creduntur: idque fecerunt non ex temeritate, ambitione, odio aut carnali zelo, sed compulsi divino mandato, atque amore divinæ gloriæ, & salutis suæ æternæ; DEVS enim expressè *a* mãdat à talibus declinare, ne communicemus operibus eorum malis, & speciatim ex hac *b* Babylone Romanâ fugere, ne participes fiamus peccatorum ejus, & de plagis ejus ne accipiamus. Multo minus sunt *Apostatica*. Non enim defecerunt à Christianismo ad Gentilismum, aut Iudaismum, aut Mahumetismum, neque à verâ fide ad traditiones humanas, aut ad fabulas, sed ab hæresi ad veritatem, ab Idololatriâ ab verum DEI cultum, ab impietate multiplici ad veram pietatem & ab Antichristo ad Dominum nostrum Iesum CHRISTVM.

An Schismatica?

a *Numb.* 16. 24.
b *Apoc.* 18. 4.

An Apostatica?

DE

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS.

DISPVT. XXIV.

De Clericis, seu Ministris Ecclesiæ, ET *De eorum Vocatione.*

Thesis I.

In quot ordines Mēbra Ecclesiæ visibilis distinguantur.

Membra visibilis Ecclesiæ sunt quicunque fidem Christianam confessione & vita profitentur. Hi in duo tantum genera, seu ordines, distinguuntur. Alii enim sunt Pastores, Doctores, Gubernatores, & Præpositi Ecclesiæ, alii sunt qui in Ecclesia pascuntur, docentur, gubernantur, & Præpositis suis, qui pro ipsorum animabus excubant, obedire debent. Tertius ordo qui in Ecclesiâ Pontificiâ hodie conspicitur, nimirum Regularium sive Monachorum, & Anachoretarum, nec à Deo in Ecclesia sua in-

stitutus

stitutus est, neque in Ecclesia vtilis aut necessarius, & in S. Scriptura ac verè primitiva Ecclesia planè ignoratus.

II.

Ad priorem ordinem qui pertinent varijs in S. Scriptura nominibus insigniuntur, sed nusquam peculiariter vocantur *Clerici*. Vox enim Κλῆρος, quæ significat sortem, peculium, & hæreditatem, & à quâ hæc denominatio erat petenda, passim in S. Scriptura vtrique ordini & toti fidelium cœtui communiter attribuitur. Singuli enim sunt Domini sors, & singulis etiam Dominus sors est. Omnes fideles vocati sunt *a* εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων, vtque *b* κλῆρον accipiant inter sanctificatos. Immo S. Scriptura *c* κλήρους alicubi vocat eos tantum qui ad secundum ordinem pertinent, & disertè Presbyteris & Pastoribus, hoc est, iis qui prioris sunt ordinis, opponit. Cæterum cum veteres Ecclesiæ Doctores istam vocem nonnunquam vsurparint ad designandum eos, qui ad primum ordinem pertinent, nolumus de voce multum contendere, modo ita explicetur, ne de communi Christianorum dignitate quidquam detrahatur, quasi isti soli sint sors & hæreditas Domini, sed potius ita appellati censeantur, quia peculiariter acceperunt *d* τὸν κλῆρον τῆς διακονίας. Præcipuè tamen veteres solent *Clericos* appellare adolescentes, qui ex parentum consensu & autoritate, militiæ spirituali nomen dabant, & studio Theologico consecrati exercitiis quibusdam Ecclesiasticis ad ministerium præparabantur, quo tandem ad illud aptiores accederent, & gradatim ascenderent.

Clerici an Pastores & Ministri Ecclesiarum rectè vocentur?

a *Coloss.* 1. 12.
b *Act.* 26. 18.
c 1. *Pet.* 5. 3.

d *Act.* 1. 25

Qui à veteribus Clerici vocati fuerint?

III.

Laici qui vocentur, & quotuplices sint?

Qui posterioris sunt ordinis à Pontificijs, voce non admodum commodâ, & hodie satis contemptibili, vocantur *Laici*, & adhuc contumeliosiore nomine *Seculares*, cum hoc vocabulo propriè notentur, qui huic seculo sunt addicti. Horum alij sunt Principes & Magistratus, alij vero subditi & privati homines.

An Crerici & Laici sint pares dignitate?

Clerici non sunt Laicis digniores, nisi tantum ratione officij & sancti Ministerij, cum eodem fideliter funguntur. In reliquis Laici Clericis pares sunt præsertim quæ spectant vocationem communem. Sunt enim & Laici *a* vnctionis Spiritus Sancti participes, sacerdotium regale, gens sancta, populus peculiaris, & juxta Scripturæ phrasin; *b* Clerus Domini.

a 1. *Pet*, 2. 9.
b 1. *Pet*. 5. 3.

IV.

Vocatio ad Ministerium an sit necessaria?

Ad Ecclesiam pascendam, docendam, & regendam nemo debet accedere nisi legitimè vocatus. Nec enim hodie, vt olim in Veteri Testamento, priori ordini per carnalem generationem, aut aliud privilegium aliquod externum quis inseritur, sed ex posteriori ordine omnes in priorem per legitimam vocationem debent cooptari.

Quotuplex sit?

Vocatio legitima duplex est, aut Extraordinaria & immediata, aut Ordinaria & mediata. Extraordinaria vocatio fit à solo DEO, sive DEI Filio, immediatè, sine hominum opera & ministerio. Talis fuit vocatio Prophetarum, & Apostolorum. Ordinaria & mediata vocatio fit mediante hominum ministerio secundum ordinem à DEO in verbo suo præscriptum.

Vocationis ordinariæ, quæ sint partes?

Legitimę vocationis ordinariæ tres sunt partes, *Electio*, *Examen*

vitæ

vitæ ac doctrinæ, & *Confirmatio* sive Ordinatio. *Electio* legitima Ministrorum Ecclesiæ Novi Testamenti, non debet fieri ab vno quopiam homine proprio arbitratu, sive sit Episcopus, sive Magistratus, sed ab Ecclesiâ, cui inservient, & cujus autoritate ministerium suscipiunt. Ad vitandam autem confusionem, præsertim in Ecclesijs amplioribus, in quibus singulorum suffragia rogari non possunt, & facilè per levitatem, vel mala studia, vel per tumultum à multitudine peccari possit, ordinarunt Apostoli, vt à Presbyterio, quod Ecclesiam repræsentat, electio instituatur, quam deinceps populus vel tacito consensu, vel per χειροτονίαν e approbet. Ordo hic æquitati atque ædificationi convenientissimus est. Quid enim æquius, quam vt qui toti Ecclesiæ inserviet, ex consensu totius Ecclesiæ ab omnibus, suo loco & gradu, eligatur? Quid iniquius, quam vt ignoti, suspecti, aut exosi invitis Ecclesijs obtrudantur? Quæ ædificatio à talibus expectanda? Quam periculosum est rem tanti momenti committere vni homini, qui falli, corrumpi, & potestate sua abuti potest? Quare ne ipsi quidem Apostoli, qui tam singulari potestate instructi erant, vt nemo illis in Ecclesia dignitate par sit, soli absque consensu totius Ecclesiæ & populi suffragiis, Ministros elegerunt. Hinc Apostolicam f τάξιν & πρᾶξιν secutæ fuerunt Ecclesiæ primitivæ, donec tandem, crescente ambitione, Episcopi, quos hodie vocant, Ecclesiæ & populo hoc jus suum per tyrannidem eripuerint & sibi solis arrogarint. Quod si vero Ecclesia subsit Magistratui fideli & Christiano, quia is Ecclesiæ nutritor est, & spectatissimum ejus membrum, non tantum ejus con-

Electio ad quos pertineat?

An ad solos Episcopos?

e *suffragiorum lationem.*

An et quatenus ad totam Ecclesiam, & populum?

f *ordinem & vsum.*

An & quatenus ad Magistratum

ſenſus in Vocatione requiritur, ſed præcipuæ etiam partes illi in eâ ſunt tribuendæ: ita tamen ne Preſbyterij ſuffragia, & populi conſenſus excludantur. *Examen* doctrinæ, quia ad illud faciendum populus non eſt idoneus ac ſæpè etiam Magiſtratus, fieri debet ab idoneis Theologis & vicinis Paſtoribus in præſentia Preſbyterij, & Magiſtratus Chriſtiani, ſi adeſſe velit. *Confirmatio* ſeu *Ordinatio* fieri debet coram Eccleſia, poſt quam de eius conſenſu atque approbatione ſufficienter conſtiterit, idque ſolemnibus precibus & ſerijs cum ad ordinandum tum ad Eccleſiam inſtitutis admonitionibus, cum impoſitione manuum. Pertinet hoc jus Confirmationis non ad ſolum Epiſcopum, ſed ad totum preſbyterium, in quod vt Eccleſia ſuas partes tranſtulit, ita illud, ordinis cauſa, ſuas iterum partes, quod ad ritum ordinationis attinet, in vnum aliquem Paſtorem ſolet transferre, manente tamen actu confirmationis toti Preſbyterio communi. De ritu *g* χειροθεσίας quia non extat certum præceptum, cum pro adiaphoro habemus Nihilominus tamen vtile judicamus ejuſmodi ſymbolo Miniſterij dignitatem populo commendari, & eum, qui ordinatur, admoneri, ipſum jam non eſſe ſui juris, ſed DEO & Eccleſiæ in ſervitutem addictum

Examen ad quos pertineat?

Confirmatio ad quos pertineat?

g manuum impoſitionis An impoſitio manuum ſit ritus adiaphorus?

V.

De Miniſtris Eccleſiarum Reformatarum quæritur an habeant legitimam in Eccleſia vocationem? Reſpondemus, Miniſtros harum Eccleſiarum aut eſſe primos Reformatores, aut eorum ſucceſſores. Primi Eccleſiarum Reformatarum Paſtores plerique in Eccleſia Romanâ ſunt ordinati, ſecundum ordinem atque vſum publicè in

An Miniſtri Eccleſiarum Reformatarũ habeant legitimã vocationem?

An primi Reformatores, & qualem?

illa

illa Ecclesiâ receptū, atq; hoc respectu possunt dici habuisse *ordinariam vocationem*. Ordo autem hic quamvis multis modis ab ordine divinitus instituo recedat, ita ut vix aliud quam mera *h ἀταξία* sit, tamen hoc boni inter tot mala adhuc retinent, ut vocentur atq; ordinentur, inter alios fines, ad verbum DEI populo prędicandum, atque hujus respectu etiam *legitimam* ad verbum DEI prædicandum, vocationem habuisse dici possunt, quatenus hic finis vocationis ordini Apostolico consentaneus est. Quod verò DEUS illorum animos illustraverit, atque excitaverit, ut errores & abusus Ecclesiæ Pontificiæ agnoverint, abjecerint, reprehenderint, & omissis Traditionibus humanis solum verbum DEI purè populo prædicaverint, reliqua omnia quæ in vocatione ipsorum illegitima & ordini Apostolico contraria erant, omiserint, atque Ecclesias ab erroribus & superstitionibus repurgaverint, fuit *extraordinaria gratia*, quam DEUS fecit non tantum illis, ut Vocatione suâ rectè & legitimè fungerentur, sed maximè per illorum Ministerium Ecclesiæ suæ, secundum prædictionem, quâ promiserat se * testes hosce excitaturum, qui adversus Bestiam, & Ecclesiæ corruptores prophetarent. Hanc gratiam extraordinariam ut DEUS per eos Miraculis confirmaret, non fuit necesse, cum nullam aliam doctrinam adferrent, quam Christi & Apostolorum, quæ olim miraculis sufficienter atque abundè confirmata fuit, & per Scripturas explorari ac probari poterat. Quinetiam ne omnes quidem Prophetæ extraordinariè excitati vocationem suam miraculis confirmârunt, ut exempla Ioannis Baptistæ imprimis, deinde eti-

h *confusio.*

* *Apoc.* 11.

An debuerint vocationem suam miraculis confirmare?

am Oseæ, Sophoniæ, Abdiæ, Nahumi, & aliorum clarè testantur. Huc accedit, quod deinde licet non omnes, multi tamen etiam integri cœtus ante Pontificijs erroribus impliciti, doctrinam ab illis prædicatam receperint, errores priores abjecerint; vocationem illorum ratam habuerint, eosque pro legitimis & munere suo rectè fungentibus Pastoribus agnoverint. Pastores Ecclesiarum Reformatarum, qui primis Reformatoribus successerunt vocationem habent *ordinariam, & legitimam. Ordinaria* est, non secundum vitiosum & corruptum illum ordinem in Papatu hodie usitatum, sed secundum ordinem primævum ab Apostolis præscriptum, & in primitiva Ecclesia usurpatum. *Legitima* est, quia ab iis eliguntur, qui jus eligendorum Pastorum habent, puta ab ijs cœtibus, quos manifestis argumentis & signis constat esse veras Ecclesias, examinantur debitè in vita & doctrina, & confirmantur ab iis, quos constat veros esse Pastores, ac reliqua omnia quę in legitima Ministri vocatione secundum Canones verè Apostolicos requiruntur, sollicitè & sincerè in eorum vocatione observantur.

An et quales eorum successores?

VI.

An vocatio Ministrorum seu Sacerdotũ in Pontificia Ecclesia sit legitima?

Ministrorum vero Ecclesiæ Pontificiæ vocationes si ad institutionem divinam, & veteres Canones immo ad ipsa Pontificiorum Decreta examinentur, meritò pro illegitimis habendæ sunt. Vocantur enim hodie non tam ad pascendum DEI gregem purâ verbi ejus prædicatione, qui principalis vocationis legitimæ finis est, quàm ad Sacrificium DEO pro vivis & mortuis offerendum, quale munus seu ministerium DEVS

in Novo Testamento non instituit, cum nullum aliud in Novo Testamento sacrificium *i ἱλασ-τικὸν* haberi possit, quam illud, quod ipse IESVS CHRISTVS, solus & summus Novi Testamenti Sacerdos propriè dictus, semel in arâ Crucis obtulit. Eliguntur sine Presbyterii & Magistratus Christiani suffragiis, & sine populi consensu aut approbatione, vel à solo Pontifice, vel a solo aliquo Episcopo, qui jus Electionis Ecclesiæ sacrilegè eripuerunt. Plerique vel per Principum favorem, vel per turpissimam Simoniam electiones venantur, & obtinent. In vitâ & doctrinâ legitimè non examinantur, sed loco examinis ludicra & histrionica gesticulatio adhibetur, quâ inquiritur tantum an noverint nomen aliquod, quod in lectione occurret, declinare, aut verbum aliquod conjugare, aut vocis alicujus significationem reddere. In ordinatione ceremoniæ planè Iudaicæ, vanæ, ac ridiculæ adhibentur. Presbyterio suæ partes non tribuuntur, neque finis legitimus spectatur.

i *propitiatorium.*

DISPVT. XXV.

De Ministrorum Ecclesiæ Ordinibus.

THESIS I.

Quotuplices sint Ministri Novi Testamenti?

MInistri Ecclesię Novi Testamenti sunt duplices: Alii functiones habuerunt extra-

traordinarias, quæ cum ipsis desierunt, quales fuerunt Apostoli & Evangelistæ: alij habent fūctiones ordinarias, & perpetuas, seu ad finem usq; mundi in Ecclesiâ duraturas. Sicut autē homo duplici naturâ constat Spirituali & corporeâ, ita functiones hæ perpetuæ pro necessitate tum animalis, tum spiritualis vitæ, versantur aut circa res spirituales, quæ ad animæ salutem spectant, aut circa res corporeas, quæ pertinent ad corporis sustentationem, seu *a* τὰ βιωτικά. Res spirituales sunt Doctrina cum Sacramentis & Disciplina atque *b* εὐταξία Ecclesiastica. Res corporeę, quæ ad pauperum sustentationem pertinent. Doctrinæ prædicationi & Sacramentorum administrationi præsunt Pastores: Disciplinæ & ordinis procurationi cum Pastoribus Presbyteri; & sustentationi pauperum Diaconi. Hos tres Ministerij ordines Christus tantum in Ecclesia instituit, Scriptura tantum agnoscit, & ad Ecclesiæ regimen ac necessitatem abundè sufficiunt.

Quot sint ordines Ministrorum N.T.

a *quæ ad vitæ hujus usum pertinent.*
b *ordine.*

II.

Primus itaque ordo Ministrorum Ecclesiæ N. T. ordinariorum est ordo *Pastorum*, qui etiam Episcopi, Presbyteri in verbo laborantes, Ministri Prædicantes, Servi, Dispensatores, Præsides, & Duces in Sacra Scriptura appellantur. Horum officium non consistit in oblatione aliquâ Sacrificij alicujus propitiatorij pro vivis & mortuis, unde Sacerdotes propriè vocari possint. Hoc enim officium IESU CHRISTO unico & summo N. T. sacerdoti propriè dicto soli competit, qui unicâ sui ipsius *c* oblatione semel in arâ Crucis factâ consummavit in perpetuum

Qui sint primi ordinis, & quomodo in S. Scriptura appellētur?

An etiam Sacerdotes appellari possint?

c *Heb.* 10. 14.

eos

eos qui sanctificantur. Et quia Sacerdotium habet perpetuum, quoniam in æternum manet, non opus habet successoribus alijs Sacerdotibus, qui ipsum quotidie de novo immolent atque afferant. Quare Ministri Novi Testamenti nusquam in Sacra Scriptura Sacerdotes propriè dicti appellantur: neque illis vspiam de immolandis hostijs, sed tantum de prædicando Evangelio, & pascendo grege, mandatum in Scriptura datur: ac proinde Pontificij Pastores, cum nomen & munus Sacerdotis sibi arrogant, non tantum palam Iudaizant, sed etiam blasphemè ac sacrilegè in sanctissimum & proprium munus Domini nostri IESV CHRISTI involant. Officij Pastorum administratio aut est publica, aut privata. Publicè debent Verbum DEI prædicare, Sacramenta administrare, & publicas preces concipere. Privatim debent ægros invisere, erudire, consolari, & in fide confirmare, errantes in rectam viam reducere, afflictos consolatione erigere, ferocientes coërcere, collegas etiam officij admonere, atque vnà cum Presbyteris Ecclesiæ disciplinam & regimen procurare. Sub hoc ordine etiam comprehendimus *Doctores* peculiariter ita dictos, quorum munus est tantum incumbere doctrinæ, eamque explicatione partim analyticâ, partim Syntheticâ, concinnè proponere, atque adversus quoslibet *d* ἀντιλέγοντας tueri. His etiam adjungimus *Catechitas*, qui prima Religionis Christianæ elementa pueros & rudiores docent.

Quod sit officium Pastorum?

Quid sit officium Doctorum, & Catechitarum?

d *contradicentes.*

III.

Inter Episcopum & Pastorem, seu Presbyte-

An sit discrimen inter Episcopum & Presbyterum in verbo laborantem?

rum in verbo laborantem, respectu muneris seu ministerii, nullum in Sacra Scriptura verum & essentiale discrimen reperitur. Hæc enim vocibus hisce promiscuè vtitur, atque vnum eundemque Ministrorum N. Testam. ordinem designat. Quin in vnâ Ecclesiâ & civitate plures tempore Apostolorum Episcopos fuisse disertè Sacra Scriptura testatur. Quare Episcopi jure divino Pastoribus neque gradu, neque dignitate, neque ordinis potestate, neque jurisdictione majores sunt. Vocantur enim ἐπίσκοποι non tam respectu collegarum ac συμπρεσβυτέρων, quam respectu gregis. Quod verò post Apostolorum tempora in Ecclesiâ primitivâ, & deinceps, ex Pastoribus vnus reliquis præpositus est, & Episcopi nomine singulariter insignitus, non ex instituto divino, sed humano consilio factum est, in scismatis remedium, cum instinctu Diaboli dissidia in Religione fierent, vt hac ratione dissensionum semina melius evellerentur: & ne primatu ordinis ad singulos Pastores per vices perveniente, vt initiò fiebat, fieret vt interdum indigni præessent. Hoc institutum cum sit vetustissimum, & rationes non contemnendas habuerit, simpliciter non damnamus. Cum enim in Ecclesia omnia ͤ κατὰ τάξιν geri debeant, atque inter Pastores manifesta sit donorum, ac proinde etiam in moderanda Ecclesiæ ἐυταξίᾳ atque in dirigendis Presbyterii actionibus promptitudinis imparitas, existimamus ordinem atque politiam Ecclesiæ omnino requirere, vt vni alicui inter Pastores, qui propter ætatem, prudentiam, doctrinam, aliaque dona cæteros antecellit, ᶠ προστασία quædam ordinis, non autem dominii ac potestatis, tribui debeat: vt hac ratione

Quid sit sentiendū de Episcopis primitivæ Ecclesiæ?

e *secundum ordinem.*

f *præpositura.*

ne omnis g ἀταξία atque etiam h ἀναρχία, perniciosæ Ecclesiarum pestes, ab Ecclesia arceantur. Cæterùm imprimis cavendum est, ne per hanc i προεστωσίαν multo perniciores in Ecclesiam pestes introducantur, dominium scilicet in collegas, & tyrannis, quæ admodum sollicitè, & strictè à Christo Ecclesiarum Ministris fuerunt interdicta: præsertim cum experientia ipsa ante multa secula evidentissimè docuerit, quàm periculosum fuerit Ecclesiæ hoc humanum consilium, cum Superioritas illa primò degeneraverit in l ὀλιγαρχίαν, ac deinde paulatim in m μοναρχίαν & manifestam tyrannidem, & tandem in Ecclesiam invexerit pestilentissimum hunc Papatum, & totam illam Hierarchiam Papisticam, quæ Ecclesiam penitus pessundedit. Ex his enim Episcopis postea nati sunt Archiepiscopi, ex istis Patriarchæ, ex quibus denique Pontifex ille summus, qui hodie in templo DEI tanquam DEUS sedet, ostentans seipsum esse DEUM.

g *confusio.*
h *ex defectu regiminis soluta licentia.*
i *præposituram.*
l *paucorũ dominatũ.*
m *unius imperium.*

IV.

Secundus ordo est *Presbyterorum*, seu seniorum in verbo non laborantium, qui non tam ab ætate, quam à munere, quod senilem prudentiam & gravitatem requirit, ita appellantur. Horum officium non est publicè verbum DEI prædicare, nam in verbo non laborant, sed unà cum Pastoribus Ecclesiæ disciplinam & totam politiam moderari, unde etiam n κυβερνήσεις, id est, κυβερνῆται appellantur, Pastorum & o συμπρεσβυτέρων doctrinam ac vitam observare, membrorum Ecclesiæ profectus & defectus notare, ægros invisere & cõsolari,

Qui sint secundi ordinis, & quod eorum officium.
n *gubernationes, id est, gubernatores.*
o *collegarum.*

ſolari, infirmos confirmare, inordinatè viventes officij admonere, pacem inter diſſidentes conciliare, atque omnia offendicula è medio tollere.

Qui ſint tertij ordinis, & quodeorũ officium?

Tertius ordo eſt *Diaconorum*, qui hoc nomine alioquin omnibus Miniſtris communi, ita peculiariter in ſacra Scriptura vocantur. Horum munus non eſt verbum publicè prædicare, aut Sacramenta adminiſtrare, aut Epiſcopo tantum miniſtrare, vt olim Levitę Sacerdotibus, aut ſacerdoti ad altare aſſiſtere, aut alijs frivolis ceremonijs vacare, ſed præeſſe ærario Eccleſiaſtico, quotidianas oblationes, & annuos proventus ſanctè colligere, & in veros vſus, inter quos pauperum ſuſtentatio præcipuus eſt, juſtè, prudenter, atque optima fide diſtribuere. His annumeramus *Diaconiſſas*. Inter has functiones, imparitatem & gradum dignitatis agnoſcimus quidem, ſed non inter collegas ejuſdem functionis. Prestat autem vt functionibus hiſce perpetuò, non autem ad tempus fungantur, quicunq; ad eas ab Eccleſia ſemel legitimè vocati ſunt, ſi Eccleſia ijs omnibus ſuſtentandis ſumptus ſuppeditare poteſt.

V.

Quid ſit ſentiẽdum de reliquis Pontificiorum ordinibus?

Pontificum ſummorum, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum, Archipreſbyterorum, Archidiaconorum, Suffraganeorum, Abbatum, Priorum, Monachorum, Canonicorum, Decanorum, Præbendariorum, Sacellanorum, Vicariorum, Sacrificorum, Sacerdotum, & ſimilium, & nomina & functiones, prout hodie in Papatu exercentur, ignoravit Apoſtolica & verè primativa Eccleſia. Oſtiariorum vero, Acoluthorum

Quid de

luthorum, Lectorum, Cantorum, & Hypodiaconorum ordines, in primitivâ Ecclesiâ, magis fuerunt rudimenta quædam tyronum, quibus olim in celebrioribus Ecclesijs adolescentes ad ministerium præparabantur, quam ordinariæ functiones, quæ veris Ecclesiæ ministerijs accenserentur. *Ostiarijs* enim aperiendi claudendique templi cura mandabatur, quæ hodie æedituis seu Custodibus templi incumbit. *Acoluthi* erant adultiores Sacræ Theologiæ studiosi, & sacri ministerij candidati, qui Episcopo in obsequijs domesticis aderant, vt sub ipsius ductu & auspicio peritiam rerum Ecclesiasticarum sibi compararent. *Lectores* S. Scripturam populo prælegebant, vt omnium conspectum ferre discerent, & populo innotescerent. *Cantores* præcinebant, populique cantum, tanquam phonasci moderabantur. *Hypodiaconi* adjuncti erant diaconis tanquam ministri, qui tamen in minùs frequentibus Ecclesijs vix reperiebantur.

Ostiarijs Acoluthis, lectoribus, cantoribus, & hypodiaconis?

VI.

Exorcistæ, qui Apostolorum tempore fuerunt, vocabantur non ab ordinariâ aliquâ in Ecclesiâ functione, sed ab extraordinario dono, quo nonnulli præditi, invocato Christi nomine, & manuum impositione, ab ° ἐνεργουμένοις dæmonia ejiciebant. Cum autem hæc dona cum reliquis miraculorum & sanationum donis defecerint, stultum est re sublatâ signum velle retinere, & ministerium fingere in Ecclesiâ, cujus nullus hodie effectus est, & ad quod obeundum nullus mortalium donis necessarijs hodie instructus invenitur. Quare Pontificij Exorcistæ non sunt publici Ecclesiæ Ministri, sed potius scenici ludi-

Quid de Exorcistis?

° *possessis.*

ones,

ones, qui nullum professionis suæ verum specimen edere possunt, & quorum imperiis tantum abest vt dæmones cedant, vt potius in ipsos, vtpote magiæ plerumque deditos, dæmones ipsi imperium habeant. *Cardinalium* barbarum nomen non tantum Scriptura, sed & primitiva Ecclesia per multa secula ignoravit, ejusque etymon ne ipsi quidem Pontificii certò assignare possunt. Officium autem, quo hodie Romani Cardinales cum fastu planè regio funguntur, neque à Christo aut Apostolis institutum, neque à veteribus Romanæ Ecclesiæ Presbyteris vsurpatum fuit.

Quid de Cardinalibus?

Quid de Chorepiscopis?

Per *Chorepiscopos* si intelligantur Pastores, qui in certis & peculiaribus χώραις, hoc est, oppidis, aut pagis, ministerio funguntur, pascentes gregem qui penes ipsos est, si officium Episcoporum debitè faciunt, pro legitimis Ecclesiæ ministris agnoscimus, & sub primo ordine comprehendimus. Sin vero per eos intelliguntur, quos hodie in Papatu vocant Suffraganeos, vel Episcopos Titulares, quorum operâ vicariâ Episcopi vtuntur, eorum in Ecclesia ministerium neque licitum, neque necessarium est, cum singulis Episcopis mandatum sit, vt ipsi per se, atque operâ suâ, non per alios vicarios, aut substitutos, Ecclesiam pascant.

DISP

DISPVT. XXVI.

De Cœlibatu Ministrorum Ecclesiæ.

Thesis I.

QVicunque Divini Verbi Ministerio sunt consecrati, abstinere debent ab omnibus iis, quibus sanctissimæ hujus vocationis aut dignitas inquinatur, aut functio impeditur; inter quæ legitimum conjugium nequaquam reputari. acproinde neque Cœlibatus vt præcisè necessarius, ordinibus sacris annecti debet.

An Cœlibatus sit sacris ordinibus annexus?

II.

Conjugium enim legitimum non est inquinamentum, aut opus carnis, sed sanctum Dei institutum, & honestum adversus omnem animi & carnis immunditiem remedium, quod [a] ἐν πᾶσι τίμιος est, & in quo non minus castè atque [b] ἐγκρατῶς quam extra conjugium vivere licet. Quare vti olim in V. T. Sacerdotibus omni quidem pollutionum genere severè interdicebatur, sed legitimo conjugio nunquam fuit interdictum, ita neque Ministris Ecclesiarum Novi Testamenti conjugium vsquam in Scripturâ prohibetur, tametsi passim in eisdem [c] σωφροσύνη, ἁγιότης, ἐγκράτεια, & similes virtutes seriò requirantur.

An conjugium sit inquinamentum carnis, & Ministris prohibitum?

a *Heb.* 13. 4
b *continenter.*
c *temperantia, sanctitas, continentia.*

III.

An conjugij difficultates impediant Ministerij functionem?

a 1.Tim. 3.5.

Ac tametsi conjugium suas secum ferat sollicitudines, difficilibus præsertim temporibus, eæ tamen non sunt tales, vt functionem Ecclesiasticam impediant, cum Episcopus & *a* Ecclesiæ & domui suæ benè præesse simul possit: neque tantæ, quin longè majores molestias & difficultates coactus cœlibatus secum ferat. Habet & conjugium suas vicissim commoditates, quibus Ministri in laboriosissimo, ac molestissimo Ecclesiæ Ministerio subleventur & refocillentur.

IV.

An Apostoli vxores suas demiserint?

b vers.2.

c vers.4.

Quare Apostoli vxores, quas ante vocationem ad Apostolatum habuerunt, nusquam leguntur dimisisse, neque conjugium Ministrorum Ecclesiæ improbasse, aut prohibuisse. Sed contrà, suo exemplo palam ostenderunt, idipsum etiam in Novo Testamento Ministris Ecclesiæ liberum & licitum esse; conjugatos ad Ministerium admiserunt, & disertè docuerunt admitti posse viros *b* vnius vxoris, & qui *c* liberos habeant. Iure itaq; divino atque instituto Apostolico ad Ministerium ordinari possunt Conjugati, & qui cœlibes ordinati fuerunt, liberè & sine peccato possunt, si velint, conjugium contrahere.

V.

An in primitivâ Ecclesiâ conjugati Ministri fuerint?

Eadem fuit primitivæ Ecclesiæ praxis, quæ conjugium Ministris Ecclesiæ per aliquot secula liberum reliquit, & multos habuit præstantissimos Ecclesiarum Ministros atque Episcopos, qui mariti fuerunt, & in legitimo conjugio liberos

pro-

procrearunt, vti historiæ, Canones multorum Conciliorum, & exempla Chæremonis, Spiridionis, Polycratis, Gregorij Nazianzeni, atque aliorum clarissimè testantur. Tandem cœlibatus, cum tanquam status matrimonio longè perfectior & sanctior, in admiratione & veneratione esse inciperet, ita vt cœlibes à multis tanquam cælites suspicerentur, progressu temporis varijs artibus & prætextibus in ordinem Ministrorum irrepsit, ita vt cum prius liberæ esset observationis, tandem vim legis acciperet. Cæterum leges illæ, quibus Ministris Ecclesiæ conjugium interdicitur, & perpetuus cœlibatus imperatur, non tantum tyrannicæ sunt, contra omnem æquitatem, sed etiam impiæ, contra expressum Dei verbum introductæ, & meritò appellari possunt *d διδασκαλίαι δαιμονίων* quæ horrendam scelerum colluviem, & fructus execrabiles in Christianum orbem invexerunt.

d *doctrina dæmoniorum.* 1. *Tim.* 4.

VI.

An Digami ad Ministerium sint admittendi, vel in eo tolerandi?

Adulteri, Scortatores, concubinarij, & qui repudiatâ temerè vxore, & eâ adhuc superstite alteram duxerint, quod Apostolorum temporibus ex legis Mosaicæ licentiâ apud Iudæos sepe fiebat, neq; ad Ministerium ordinari, neq; ordinati in Ministerio tolerari debẽt. *Maritus omnis vivẽti vxori divinctus est per legem, ac proinde vivente vxore mœchus vocabitur, si fiat alterius vxoris: sin autem mortua fuerit vxor, liber est à lege illa, vt non sit mœchus si ad alias nuptias transeat, sed liberum & licitum ei sit iterum aliam vxorem ducere, quam velit: tantum in Domino. Idem licet etiam Ministris Ecclesiarum qui non tantum

* *Rom.* 7. 2. 3.

semel

semel matrimonium contrahere, sed demortuâ priore conjunge ad secundas nuptias transire possunt: ita vt Digami, qui successivè duas vel plures duxerunt vxores, ad Ministerium ordinari possint, & qui ordinati sunt, ijs in hac successivâ digamiâ vivere liceat. Quare detestanda est extrema illa & blasphema Pontificiorum impudentia, quâ Canonem hunc approbant, aut saltem tolerant, quo dicitur: *Secundam accipere secundum Apostoli præceptum licitum esse, secundum autem veritatis rationem verè esse fornicationem.*

Can. Hac ratione Causa 31. *Quæst.* 1.

DISPVT. XXVII.

De Stipendijs, et Immunitatibus Ministrorum Ecclesiæ.

THESIS I.

An Ecclesia Ministris debeat stipendia persolvere?

FVnctio Ministerij Evangelij tanti laboris & momenti est, vt integrum planè hominem nullis alijs occupationibus distractum requirat, qui cum huic functioni soli vacat atque incumbit, æquum esset ut huic operario *a ἡ τροφὴ αὐτοῦ*, quâ dignus est, suppeditetur, vtque is qui *b τὰ πνευματικὰ* seminat, *c τὰ σαρκικὰ* ab Ecclesia metat. Quare vt nemo stipendijs suis militat, *d* vt qui vineam plantat de fructu ejus edit: qui gregem pascit, de lacte ejus edit: qui arat, *e* sub spe arat: qui sacris operatur ex sacrificio vivit, sic eti-

a *victus ejus.*
b *spiritualia.*
c *carnalia.* 1.*Cor.*9.11
d 1.*Cor.*9.7.
e 1.*Cor.*9.13, 14.

am DEVS ordinavit, vt qui Evangelium prædicant, ex Evangelio vivant, vtque *f* ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον communicet τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Iure itaque Divino Ecclesia tenetur Ministris communicare ex bonis suis, quantum ijs ad frugalem honestamque vitæ & familiæ sustentationem erit necessarium.

f Gal. 6.6.

II.

An Ecclesia Christiana precisè teneatur ad Decimas Ministris persolvendas?

Modus hujus communicationis in Novo Testamento nullâ certâ lege est circumscriptus, sed cum charitas, pietas, & commoditas pro Ecclesiarum & temporum ratione optimè definiunt. Quare licet in Veteri Testamento DEVS cum lege definiverit, & Levitis decimam proventuum partem persolvi mandaverit, ea lex tamen hodie in Novo Testamento non est præcisè imperata, neque etiam necessaria, quamvis neque injusta est, sicubi Magistratus Christiani autoritate sancita fuerit, qui semper tenetur commodissimam fovendi Ministerii rationem inire, sive ex decimis, sive ex collectis, sive ex aliis proventibus, prout maximè ædificationi Ecclesiæ, & Ministerij dignitati serviturum pro Ecclesiæ, temporis, aut loci constitutione arbitratus fuerit. Ecclesia itaque Christiana hodie nec jure naturæ, nec jure Divino tenetur præcisè Decimas, seu decimam bonorum partem, Ministris persolvere.

III.

An Ministri ab oneribus Reipub. & ve-

Ministri Ecclesiarum, quia etiam cives sunt & pars Reipublicæ pari jure & jugo cum cæteris civibus onera Reipublicæ sustinere tenentur: neq; ab vllis civium oneribus jure divino eximun-

ctigalibus jure divino eximantur?

tur. Quare vt Christus pro se & Petro vectigal persolvit, ita subditis & civibus quibusvis mandavit, vt Cæsari dent, quæ sunt Cæsaris. Laudanda tamen est pietas Principum & Magistratuum Christianorum, qui Ministros verbi, vt tanto expeditius muneri suo vacare possint, à quibusdam oneribus personalibus puta militiâ, vigiliis, tutelis, & similibus, quibus à Ministerio avocarentur, aut ab oneribus sordidioribus, ne Ministerium vilescat, speciali privilegio, & benignâ indulgentiâ eximunt. Neque improbanda est pia Principum liberalitas, cum Ministros etiam à persolvendis tributis immunes esse volunt, vt subsidium ab Ecclesia collatum sustentandis eorum familijs tanto melius sufficiat. Præstat tamen vt potius stipendium illis tanto liberalius erogetur, quo possint in voluntariâ vectigalium persolutione reliquis civibus tanquam exemplaria præire & concives tanto efficacius ad vectigalium solutionem exhortari.

IV.

An Principes Christiani teneantur Ministros necessariò eximere ab oneribus Reip.?

An exemptio semel facta possit renovari?

Ad hanc exemptionem præstandam principes Christiani jure divino præcisè non obligantur. Quare eam ab invitis Magistratibus tanquam jure divino nitentem extorquere Ministri etiam non debent, quod ipsum in Papatu quidem vt egregium pro asserenda Ecclesiæ libertate facinus laudatur, revera tamen nihil aliud est quàm manifesta, atque intoleranda rebellio. Possunt etiam Principes Christiani hanc exemptionem semel factam justas ob causas, iterum revocare, quotiescunque idipsum ad Ecclesiæ aut Reipublicæ vtilitatem necessarium arbitrati fuerint, aut Mi-

nistri

nistri privilegiis hisce abutuntur. Cumque hodie Ministri Pontificii immunitatibus, quæ piorum Principum Privilegiis olim Ecclesiasticis personis concessæ fuerunt, tam fœdè ad ignaviam, luxum, & flagitia cum maximo Ecclesiæ & Reipublicæ detrimento abutantur, ipso jure hisce privilegiis exciderunt, & privari jamdudum sunt commeriti. Seriò itaque Principes Christiani cogitare tandem debent, an æquum sit in tanta bonorum Ecclesiasticorum affluentiâ istis immunitatibus tot otiosorum ventrium luxum atque ignaviam foveri, atque interim reliquos subditos tanto gravioribus vectigalibus onerari.

V.

An personæ Ministrorum Ecclesiæ sint jure divino exemptæ à jurisdictione Magistratus Politici?

Nec tantum communia cum reliquis civibus onera Ministri ferre tenentur, sed etiam communibus legibus obtemperare, & secundum easdem communibus judiciis subjecti esse debent, obligatione non tantum directivâ, sed etiam coërctivâ: non tantum quoad obedientiam, sed etiam quoad pœnam: neque tantùm in civilibus, sed etiam in criminalibus causis. Personæ itaque Ecclesiasticæ nullo jure nec divino, nec naturali, neque civili, à potestate & jurisdictione legitimi Magistratus politici eximuntur, aut eximi debent, sed vt a omnis anima potestatibus supereminentibus subjici, omnesque Christiani cuivis humanæ ordinationi, sive Regi, sive præsidibus, propter Dominum subditi esse debent, ita imprimis decet Ministros Christi atque Apostolorum exempla hac in parte imitari, & voluntaria subjectione atque obedientia reliquis civibus prælucere: neque vlla ratio est, quare ab

a. 1. *Cor.* 13.

hâc subjectione eximi vnquam debeant.

VI.

An Ministri Magistratibus subsint in causis Ecclesiasticis?

Causæ, in quibus personæ Ecclesiasticæ legitimis Magistratibus subsunt, aut sunt Ecclesiasticæ, aut Politicæ. In causis Ecclesiasticis Ministri Ecclesiarum judiciis aut mandatis Magistratuum Christianorum non sunt penitus exempti. Quamvis enim causæ, quæ merè sunt Ecclesiasticæ, quales sunt quæ ad Doctrinam, aut Disciplinam Ecclesiæ spectant, & tantum ad rationem conscientiæ pertinent, secundum jus divinum, & autoritatem Ecclesiæ DEI demandatam, non in Prætorio, aut coram politico tribunali, secundum leges civiles, sed in conventibus Ecclesiasticis, secundum verbum DEI, & Canones Ecclesiasticos ordinariè judicari debeant; tamen vt laudata piorum in V. T. Regum exempla docent, etiam Christiano Magistratui supremo competit huic ordini præesse, eumque tueri, ac moderari, ne quid in conventibus Ecclesiasticis præter aut contra verbum DEI âgatur, aut definiatur, & sententiam ibidem latam, si eam in conscientia sua approbare queat, judicio suo supremo confirmare, vt vim legis in Ecclesia publicè obtinere possit. In extraordinarijs Ecclesiarum reformationibus supremus Magistratus Christianus etiam causas merè Ecclesiasticas, ad doctrinam & disciplinam spectantes, tractare & judicare, atque Ecclesiis suis, quibus vt nutritor præest, docẽda & agenda secundũ DEI verbum præscribere potest. In causis politicis, sive eæ sint civiles, sive criminales, sive personas, sive bona Ecclesiasticorũ spectent, omni modo, & pari jure, atque obligatione, cum

An subsint in causis politicis?

cæteris civibus politici Magistratus judicijs & tribunalibus, Ministri Ecclesiarum quicunque tandem illi sint, jure Divino sunt subjecti: neque vllis Principum aut Imperatorum privilegijs, quæ juri Divino derogare nihil possunt, ab hâc subjectione eximi aut debent, aut legitimè possunt.

DISPVT. XXVIII.

De Monachis, & Eremitis.

Thesis I.

Ministrorum Ecclesiæ Novi Testam. ordinibus non debet accenseri ordo Monachorum & Eremitarum, qui hodie in Papatu reperiuntur, quorum nomina cum Veteris tum Novi Testamenti Scriptura planè ignorat. Institutum vero itidem tum in Iudaicâ, tum etiam in Apostolicâ Ecclesiâ penitus fuit incognitum, & demum post aliquot ab Apostolorum temporibus secula incepit. Occasionem vitæ Eremiticæ dederunt graves illæ in Ecclesiâ primitivâ Persecutiones, quibus pij viri in solitudines aufugere ibidemque commorari coacti, tandem necessitatem in voluntatem verterunt. Monasteria primitùs fuerunt instituta, ita vt in pijs procul ab hominum turbâ commodius sacri Ministerij candidati in sacris instituerentur, atque ad Ministerium Ecclesiasticum præpararentur.

Vnde institutũ Monachorum & Eremitarum originem habeat?

II.

An Eremitarum & Monachorum status sit perfectior?

Hodie extra periculum persecutionis quicunque in solitudinem aufugiunt, vt ibidem austeriori quadam vivendi ratione sponte susceptâ vitam æternam promereantur, illi DEUM hisce *a ἐθελοθρησκείαις* frustra colunt, Christi merita superstitioso hoc cultu abnegant, proximi dilectionem multis modis violant ac negligunt, officia pietatis & charitatis à DEO præscripta deserunt, & seipsos sine vllo DEI mandato multis periculis & tentationibus exponunt, & stulto atque inani labore frustra fatigant. Monachatus etiam, qui hodie in Papatu conspicitur, tantum abest vt sit status, qui homini conferat majorem sanctitatem aut perfectionem, nunc ita superstitionibus, idololatriâ, & variis impuritatibus inquinatus est, vt homini Christiano salvâ conscientiâ in eo permanere non liceat. Quin & hodierni Monachi cum antiquis illis Monachis, qui prioribus seculis vixerunt, vix aliquid, vel quod ad doctrinam, vel quod ad vitam, commune habent. Prisci enim Monachi in austeriore illo & solitario vivendi modo nullum meritum, aut satisfactionem pro peccatis ponebant, neq; de operibus supererogationis erroneam hanc opinionem habebant: neque etiam ex tribus illis essentialibus Monachorum votis vllum, nedum omnia simul, nuncupasse leguntur. Monasteria eorum ordinis Ecclesiastici erant quasi seminaria quædam, & pietatis *b ἀσκητήρια*, in quibus plærique omnes manibus suis laborabant. Hodierna vero Monasteria plæraque quid aliud sunt quàm lustra ganeonum, palestræ contentionum,

a *cultibus voluntariis.*

An hodierni Monachi aliquid commune habeant cum priscis?

b *exercitamenta.*

num, factionum, & rixarum, & haræ in quibus Epicuri de grege porci amplis reditibus saginantur? Quare rectè faciunt Principes Christiani, qui hæc lustra evertunt, & reditus in alios pios vsus convertunt.

III.

An diversa Monachorum secta sunt licita, & Ecclesia vtiles?

Sicut ipse totus Monachatus, ita etiam diversi Monachorum Ordines inventum sunt, idque recentius, hominum superstitiosorum, non tantum inutile Ecclesiæ, sed etiam gloriæ Christi, & vnitati Christianorum noxium. Cum enim fideles omnes Christi sint, & ab eo Christiani appellentur, & nemo in hominibus gloriari debeat, quemadmodum olim Apostolus Corinthios acriter reprehendit, quòd dicerent, c Ego sum Pauli, alii Ego sum Apollo; ita merito, ac multo magis, hodierni Monachi reprehendendi sunt, cum dicunt Ego sum Augustini, Ego sum Francisci, Ego sum Benedicti, Ego sum Dominici, &c. Diversæ Monachorum sectæ tempore Augustini nullæ adhuc fuerunt, sed longè post ejus tempora, seculo demum vndecimo, & circiter, Monachatus in sectas dividi cæpit, quæ sequentibus seculis à superstitiosis hominibus ita sunt multiplicatæ, vt Imperatores, atque ipsi tandem etiam Papæ Romani, coacti fuerint legibus latis multiplicationem eam severè inhibere. Nonnulli Ordines, qui hodie in Papatu in maximo sunt pretio, hominum memoria sunt inventi, quales sunt ordines Lajolitarum, qui sanctissimo Iesv nomine ad sectam suam mangonizandam blasphemè abutuntur, Capucinorum, & similium. Sunt autem omnes illæ

c 1. Cor. 3. 4.

Monachorum sectæ, quarum infinitus ferè numerus est, verè examina illa Locustarum Apocalypticarum, *d* quæ ex puteo abyssi prodierunt.

d *Apoc.* 9.

IV.

An Disciplina Monastica sit licita & meritoria?

Agnoscimus Christianis omnibus non tantum vtile, sed etiam mandatum esse, vt jejunijs, sobrietate, atque abstinentiâ ad ferventiores preces sese præparent, & carnis lasciviam doment: atq; officium Christianorum omnium esse corpus suum *e* ὑπωπιάζειν καὶ δουλαγωγεῖν, quò minus Spiritui rebellet. Sed corpus nimiis jejuniis, & vigiliis macerare, flagellare, loris constringere, nudis pedibus ambulare, certis cibis diebus certis, vel per omnem vitam, abstinere, & similia Monachorum exercitia, sunt præscripta ex præceptis & doctrinis hominum, quæ rationem quidem habent sapientiæ, *f* ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, καὶ ταπεινοφροσύνῃ, καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, sed nullius sunt pretii. Omnis enim *g* σωματικὴ γυμνασία ad pauca vtilis est. Neque DEVS ista ab eorum manibus requisivit. Cumque hæc omnia ab illis fiant opinione meriti & satisfactionis pro peccatis, non tantũ DEO non possunt placere, sed etiam quàm maximè displicent, vt profecta ex superstitione, quæ gloriæ divinæ & meritis Christi directè repugnat.

e 1. *Cor.* 9. 27.
f *Coloss.* 2. 23.
g 1 *Tim.* 4. 8. *corporalis exercitatio.*

V.

An habitus Monachorum conferat aliquam sanctitatem?

Decet Christianos omnes, vt se vestiant *h* ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης, μὴ ἐν ἱματισμῷ πολυτελεῖ: neq; etiam prorsus inconveniens arbitramur, vt Ecclesiarum Ministri (tametsi singulari morum & vitæ modestia ac gravitate precipuè id fieri debeat) etiam decoro, modesto,

h 1. *Tim.* 2. 9.

&

& gravi habitu à reliquis hominibus discernantur; nulla tamen sanctitas in externo habitu per se collocari debet, neque vllum est præceptum in V.T. quo speciatim præscribitur qua forma, quo colore, vel ex qua materia, habitus eorum constare debeat. Monachorum autem, qui Ecclesiarum legitimi Ministri non sunt, habitus ille alienus, ridiculus, & variegatus, nihil aliud est, quam hypocritica sanctitatis affectatio, & inanis superstitio, in quâ nulla sanctitas, nullum meritum, neque vllus cultus DEO gratus collocari potest. Mirum vt sit olim in Papatu etiam Principum & doctissimorum virorum animis hanc superstitionem tam altè insedisse, vt arbitrati fuerint animarum suarum saluti profuturum, si in cucullo Monachali sepelirentur. Tonsura verò coronalis in vertice nullum etiam neque mandatum, neque meritum habet, sed inanis est & stulta superstitio, qua non Sacerdotes Leviticos Veteris Testamenti, quibus tonsura illa expressè erat prohibita, sed Sacerdotes Baaliticos atque idololatras referunt, qui capita rasa, & resectas barbas habebant.

An tonsura coronalis?

VI.

An Monachis liceat vivere ex reditibus Monasteriorum?

Licet quidem Ministris Ecclesiarum ex Evangelio vivere, sed cum hodierni Monachi nullo neque in Ecclesia, neque in Schola, legitimo munere fungantur, sed inani boatu & superstitiosis ineptijs vitam in otio, desidiâ, & luxu plerumque transigant, non licet piis hominibus, salvâ conscientiâ, bonis & reditibus suis otiosos illos ventres sustentare, aut monasteria illorum hunc in finem dotare: multò minus licet Monachis ipsis aliorum

Chri-

Chriſtianorum laborem in otio & luxu abligurire. Ac cum olim ab hominibus ſuperſtitioſis reditus plerique Monaſteriis dati ſint in finem hunc, vt Monachorum precibus & Miſſificationibus animæ defunctorum redimantur, atque ex fictitio Purgatorio liberentur, officium Chriſtianorum Magiſtratuum eſt bona illa omnia in finem tam impium, & ad cultus tam ſuperſtitioſos atque idololatricos collata, in alios vſus pios convertere.

An ex mendicatione?

Nullo autem modo in Republicâ Chriſtianâ tolerari debet, vt quiſquam vivat ex mendicatione. Nam vt DEVS populo ſuo in V. T. illud ſeverè prohibuit, ita quoque indecorum eſt atque illicitum, vt fiat inter Chriſtianos, cum omnis mendicatio procedat, aut ex immiſericordia divitum, quæ Chriſtianis ſeverè interdicitur, aut ex otio & ignavia mendicantium, quibus Apoſtolus mandat, ſi manducare velint, vt laborent propriis manibus. Turpe vero eſt & probroſum Papiſtas permittere, vt Miniſtri Eccleſiæ ſuæ, homines, vt dicunt, ſancti, cogantur ſtipem rogare, & ex infami mendicitate vivere, quæ, tantum abeſt vt homini ſanctitatem aliquam conferat, vt inter pœnas impiorum in Sacra Scriptura recenſeatur. Principes itaque Chriſtiani non debent permittere, vt homines illi otioſi & validi mendicantes in Republica Chriſtiana conſpiciantur, & veris pauperibus eleemoſynas intercipiant, ſed cogere debent iſtos μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, vt cum quiete operantes ſuo pane veſcantur, quod priſci Monachi facere ſolebant.

i 2. Theſſ. 7. 11. 12.

DISPVTATIO XXIX.

De Votis Monasticis, Consilijs, Evangelicis, & Operibus Supererogationis.

Thesis I.

Fundamentum Monachatus est falsa illa & inanis opinio, quâ homines sibi persuadent, plura se & præstantiora posse præstare opera bona simpliciter indebita, quam quæ Devs in Lege & Evangelio à nobis requisivit: Ac per *Vota* & præstationem talium operum posse se pervenire ad majorem sanctitatis perfectionem, quàm quæ à Christianis communiter exigitur. Opera ista putant præscripta esse non præceptis quæ simpliciter obligant ad obedientiam, sed *Consilijs Evangelicis*, quibus aliquid tantum suadetur, sed nemini præcisè obedientia præscribitur. Præstita autem hæc opera, præsertim ex voto, vocant *Opera Supererogationis*, quasi ijs Deo super, vel potius præter id, quod ipsi debetur, cultus aliquis ipsi gratus erogetur. *Quomodo vota Monastica, Consilia Evangelica, & Opera Supererogationis sint fundamentum Monachatus?*

II.

Votum est promissio hominis Deo sponte & sanctè facta, quâ se obstringit ad aliquid vel faciendum, vel omittendum, animi & officij testandi causa. Estque duplex, Legitimum, & Illegitimum. In voto legitimo consideranda sunt *Quid & quotuplex sit votum?*

Res

Quid requiratur in voto legitimo?

Quales res voveri debeant?

a *indifferentia.*

Res quæ vovetur, *Perſona* cum vovens, tum cui vovetur, & *Finis*, propter quem vovetur. *Res* quæ voveri legitimè poteſt, debet eſſe licita, quæ non pugnet cum lege DEI, nec libertate Chriſtiana, & quæ in noſtra ſit poteſtate. Res licitæ aut ſunt à DEO *præcepta*, ac proinde etiam ſine voti obligatione neceſſariæ obſervatu, aut ſunt *res media*, quę *a ἀδιάφορα* vocantur, & noſtro arbitrio permittuntur. *Res* à DEO *præceptas* etiam vovere licet, vt ita duplici obligatione ac vinculo, cum præcepti, tum voti, tanto arctius ad obedientiam adſtringamur. Præſtantur autem hæc vota vel generatim, de obſervandis omnibus DEI præceptis, quale votum ab omnibus Chriſtianis fit in Baptiſmo, qui propterea vocatur *b συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν.* In eo enim non tantum DEI promiſſio gratiæ, ſed & noſtra obedientiæ reſtipulatio ſeu repromiſſio obſignatur, quæ rectè votum appellatur, & nuncupatur vel ab ipſis Catechumenis, vel à parentibus & ſuſceptoribus nomine infantium, qui illud, vbi adoleverint, ratum habent. Vel præſtantur etiam ſpeciatim, de vitando aliquo peccato, ad quod procliviores nos ſentimus, aut exercendâ aliquâ virtute, ad quam tardiores nos reperimus, vt ſpeciali hoc voto anſam peccandi nobis præcidamus, & pietatem languidiorem acrius excitemus. Hæc vota ad cultum DEI per ſe pertinent. *De rebus medijs* ſeu adiaphoris vota nuncupandi, vt ijs ad majorem perfectionem aſpiremus, nulla Chriſtianis incumbit neceſſitas, cum nullum ea de re mandatum in Novo fœdere exſtet, & DEVS eas res ita nobis ſubjecerit, atque in libertate noſtra conſtituerit, vt ijs pro noſtra commoditate, &

An promiſſio facta in Baptiſmo ſit votum?

b 1. *Pet.* 3. 21.

Quæ vota ad cultum Dei pertineant?

An vota de rebus medijs ſint Chriſtianis neceſſaria?

vocationis ratione, ad ædificationem; vti vel abstinere liceat quàm liberrimè. Neque est quod speremus Deo gratum fore officium, si beneficium libertatis, quod nobis contulit, negligamus, & rebus externis, quæ nobis adminiculo esse debent, in servitutem nos addicamus. Iudaica autem illa de rebus medijs vota, qualia fuerunt Nazaræatus, Rechabitarum, & similia, quia vmbræ fuerunt & typi rerum futurarum in N. T. implendarum, cum reliquis V. T. ceremoniis abrogata sunt, atque hodie Christianis sunt illicita. Non tamen omnem votorum de rebus medijs inter Christianos vsum damnamus. Nam nec invtile, neque Deo ingratum existimamus, si quis ebrietati deditus voveat se nunquam aut tabernas ingressurum, aut potum inebriantem bibiturum. Cæterum hæc vota, quæcunque tandem illa sint, ad cultum Dei directè non pertinent, sed media tantùm sunt, quæ nos ad virtutes Christianas, in quarum exercitio cultus Dei solùm consistit, excitent, aut aptiores reddant.

An sint licita?

An pertineant ad cultum Dei?

III.

Personę voventes debent esse juris atque arbitrij sui, voti sanctitatem & gravitatem intelligere, vires suas cognitas habere atque metiri, & vocationem suam religiosè intueri. Quare juniores seu minorennes pueri aut puellæ votum perpetuę continentiæ nuncupare non possunt, quia incerti sunt an Deus hoc donum ipsis sit largiturus. Neque etiam servi invitis Dominis, aut liberi sine parentum consensu, monachatum suscipere, ejusque votis se obstringere possunt. Multo minus mulier e [illegible], qui viventi

Quid in personis voventibus requiratur?

An juniores votum continentiæ vovere possint

An liberi sine parentum consensu monachatum suscipere possint?
An conjugium consummatũ per vota monastica vllo modo solvi possit?
d 1.*Cor.* 7. 5.
An conjugium ratũ, sed nondũ consummatum?
Cui vota sint nuncupanda?
In quem finem vota sint praestanda?

viro devincta est per legem, invito marito votum continentiæ vovere potest: vt neque maritus invitâ vxore. Immo ne quidem ex mutuo consensu conjuges matrimonij vinculum solvere, perpetuam in posterum continentiam vovere, & Monachatum suscipere possunt. Quamvis enim ex consensu ad tempus continere possint, vt vacent jejunio & precibus, tamen quia non semper opus est jejuniis & precibus extraordinariis, rursum simul convenire debent, *d* ne Satanas eos tentet propter incontinentiam ipsorum. Vota etiam particularia privatorum generalem DEI ordinationem & jus publicum non possunt infringere: neque homines separare, quod DEVS conjunxit. Quinetiam matrimonium legitimè tantùm contractum, etsi nondum fuerit consummatum, neque ex consensu mutuo, multo minus invitâ alterâ parte per vota monasticæ continentiæ dissolvi potest. Soli DEO vota esse nuncupanda & reddenda, docent ipsa expressa in Scriptura mandata DEI, & piorum in V. Testam. exempla. Is solus est, à quo beneficia omnia ad nos promanant, qui solus ad ea impetrandum invocari, & cui soli pro impetratis gratiæ agi debent. Sacrilegum itaque atque idololatricum est Angelis vel hominibus sive mortuis, vt Sanctis, sive viventibus, vt Cœnobiarchis, vota nuncupare religiosa, atque ita honorem soli DEO debitum creaturis tribuere. *Finis* ob quem vota præstanda sunt, non debet is esse, vt eorum præstatione vitam æternam promereamur, aut ad perfectiorem sanctimoniam perveniamus, quàm quæ à Christianis communiter requiratur, aut vt votis arbitrarijs per se DEO cultum

præste-

præſtemus, ſed in eum tantum finem ſunt præſtanda, vt nobis ſerviant tanquam media atque adminicula, quibus in cultu divino infirmitas atque imperfectio noſtra ſuffulciantur, noſq; ad DEVM ardentius colendum excitemur: vt ſint teſſeræ noſtræ erga DEVM pro acceptis beneficijs gratitudinis, diſciplinæ ac pœnitentiæ privatæ exercitamenta, virtutum & pietatis ſtimuli, & quaſi frœna, quibus caro laſciviens compeſcatur.

IV.

An tria illa eſſentialia Monachatus vota ſint legitima?

Tria itaque illa eſſentialia Monachatus vota, ſcilicet *Paupertatis* ſpontaneæ, *Obedientiæ* regularis, & *Continentiæ* perpetuæ, multis modis ſunt illegitima, DEI verbo contraria, ſuperſtitioſa, cum libertate Chriſtianâ pugnantia, & charitati, atque ipſi etiam veræ pietati inimica. Facultates enim ſuas, quas DEVS, in hujus vitæ ſubſidium, atque [e] *ἀπόλαυσιν*, [f] *πλουσίως* nobis conceſſit, ſine neceſſitate, aut ſpeciali vocatione abjicere, atque in voluntariam paupertatem ſe conjicere, eâ ſpe atque opinione, vt DEVM hac ratione tanquam cultu ipſi admodum accepto nobis promereamur, nec DEO gratum eſt, nec in Scripturis mandatum, ſed inanis ſuperſtitio, quæ fidei veræ ſolius Chriſti meritis acquieſcenti directè adverſatur, quæ inſignem erga DEVM ingratitudinem arguit, & quæ charitatem multis modis violat, cum erga ſe, tum erga proximum, quando media abjiciuntur, ſibi ſuiſque proſpiciendi, & proximo benefaciendi: & cum validi iſti mendicantes alieno pane veſcuntur, & veris pauperibus onus paupertatis aggravant, eleemoſynas ipſis debitas injuſtè & ſacrilegè ad ſe

[e] *oblectationem.*
[f] *abundè.*

rapi-

g *difficulter.* *Mat.* 19. 23.

h 1. *Tim.* 6 18.

i *Prov* 30. 8. 9.

rapientes. Divitiæ, quamvis multis propter abusum spinę sint, atque impedimenta, vt *g δυσκόλως* divites in regnum cœlorum ingrediantur, per se tamen ex Dei benedictione proveniunt, & possunt divites, non minus quàm pauperes *h ἀγαθοεργεῖν, καὶ πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς.* Paupertas contrà per se non est res appetenda, sed mala, & quæ sæpè ad mala hominem instigat. Prudentissimè itaque Sapiens Deum orat, *i* ne det ei aut paupertatem aut divitias, ne saturatus ementiatur, & dicat, quis est Iehova? neve pauper factus furetur & abutatur nomine Dei. Neque ipsi etiam Monachi votum hoc quod præstiterunt paupertatis, hodie servant In multis enim ac plerisque monasteriis non minus lautè vivitur, quam in Principum aulis: & deni sæpè monachi tam amplos abliguriunt reditus, vt ex ijs centenæ aliquot pauperum familiæ honestè sustentari possent. Ac notissimum est hodie monasteria à plerisque quæri non ex amore, sed ex fugâ paupertatis, vel, quod idem est, ex amore otij ignavi, & fugâ laborum: Parentes etiam prole numerosâ oneratos hodie in Papatu eum in finem liberos aliquot in monasteria detrudere, ne in paupertatem aliquando incidant. Apertissimè vero Lojolitæ impudentissimis hæreditatum aucupiis ostendunt, quàm non ament paupertatem. *Obedientiam* seu observationem regularum pietatis omnes Christiani in Baptismo vovent. Sed hæ regulæ tantum ex verbo Dei sunt petendæ, in quo omnes regulæ, quę ad cultum divinum, veram pietatem, & Christianam perfectionem pertinent, sufficientissimè continentur, & extra quod quæcun-

An votum Obedientiæ regularis sit legitimum?

que

que præſcribuntur regulæ, illæ omnes pro hominum *l* ἐντάλμασι, quibus DEUS fruſtrà colitur, ac pro vanis *m* ἐθελοθρησκείαις reputandæ ſunt. Chriſtiani enim non per cujuſdam Franciſci, Dominici, Ignatii, aut alterius ſuperſtitioſi hominis, ſed per ſolius Chriſti unici Religionis Chriſtianæ Magiſtri regulas ad perfectionem Chriſtianam aſpirare debent. Eſtque haud parum indecens atque ignominioſum pretioſiſſimo Chriſti ſanguine redemptis, ſi fiant hominum ſervi, & patiantur ſe *n* συλαγωγεῖσθαι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων. Regulæ itaque Monaſticæ nihil aliud ſunt, quàm ſtultæ & inanes hominum ſuperſtitioſorum præſcriptiones circa res ludicras, quibus DEUS neutiquam colitur, ſed quę vero DEI cultui adverſæ, & libertati Chriſtianæ ſunt contrariæ. Ac proinde obedientia illa ſecundum haſce regulas præſtita, præſertim illa cæca atque abſoluta, quæ non tantum contradicendi, ſed etiam de præceptorum juſtitia inquirēdi libertatem adimit, Deo grata eſſe, aut cum verā Chriſtianorum obedientia conſiſtere non poteſt, ſed eſt ſervitus Deo odioſa, Chriſto ignominioſa, & non tantum Chriſtiano ſed etiam homini indigna, ac merè pecuniina. Ad *Continentiam*, quâ corpus à ſcortatione purum ſervatur, & mens impollutam caſtitatem ſervat, omnes Chriſtiani generali, quod in Baptiſmo præſtatur, voto obligantur. Abſtinentia autem perpetua à nuptiis, quam illi Continentiam vocant, cum ſit res planè adiaphora, nec per ſe DEO grata, ſuperſtitioſè eum in finem vovetur, ut cultus eā ratione Deo præſtetur. Non minus enim ſanctè & purè in legitimo conjugio quàm extra illud DEUM

l *mandatis.*

m *cultibus voluntarijs*

n *Coloſſ.* 2. 8.

An votum perpetuæ Continentiæ ſit legitimum?

coli posse, exempla piorum conjugum in V. & N. Testam. abundè testantur. Cumque hæc abstinentia sit donum quod à viribus nostris non pendeat, & non tantum sit peculiare, sed etiam rarum, aliis ad tempus, aliis perpetuò concessum, perperam atque inconsideratè faciunt quicunque de hoc dono, ejusque perpetuâ duratione certò non persuasi, antequam se per ætatem nosse potuerint, perpetuum cœlibatum vovent, & temerè laqueum conscientiis suis induunt, seque in pericula ustionis conjiciunt, atque ejus remedium à DEO institutum & præceptum non tantum contumaci obstinatione contemnunt, sed etiam ad contemptum hunc impium sacramento se adigunt. Neque enim putandum est donum hoc ad nostras preces semper à DEO obtineri posse, cum DEUS idipsum nusquam promiserit, sed preces nostras semper voluntati ejus subjici velit. Atque inter Monachos quotusquisque hodie est qui votum hoc præstitum servat, & reipsa non ostendat quam temerè ad impossibilia se obligaverit? Quod si fortè quis ab externâ impuritate abstineat, quis est qui impudicitiæ malum intus non premat ac contineat? Obscœnitates, lasciviæ, scortationes, aliaque horrenda peccata, quæ in Monasteriis quotidie conspiciuntur & perpetrantur, evidenter docent melius esse o γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι. Quicunque autem per errorem imprudenter votum hoc præstiterunt, postquam se dono continentiæ non esse præditos sentiunt, possunt, immò debent, votum hoc bona cum conscientiâ retractare. Vota enim de impossibilibus inconsideratè suscepta illegitima sunt, ac proinde non tantum nihil obligant, sed etiam ne-

o 1. Cor. 7. 9.

An votum Continentiæ possit rescindi?

cessariò

cessariò sunt rescindenda: & quæ ab errore ac superstitione profecta sunt, vt apud DEVM nullius sunt momenti, sic nobis irrita esse debent ac deserenda sunt: neque vnquam adigimur ad ea præstanda, quæ DEVS à nobis minimè requirit. Rectè igitur faciunt Monachi, qui errore ac superstitione implicati votum hoc olim præstiterunt, quando agnito errore atque abjectâ superstitione laqueum hunc excutiunt, & carnis intemperantiæ ordinato à DEO remedio, ductâ legitimâ vxore, medentur, ac libertate Christianâ honestè & gratè fruuntur. Neque hanc ob causam violatæ fidei aut perjurii accusari jure possunt.

V.

An sint aliqua cõsilia Evangelica?

Studium contendendi ad perfectionem non est arbitrio nostro permissum, sed omnibus Christianis expressè imperatum, atque opera, quibus ad perfectionem contenditur, à Christo non tantum sunt demonstrata, sed etiam expressè præscripta & mandata. Cum enim homo sit obligatus ad DEVM ex toto corde, ex toto animo, & omnibus viribus colendum, & tum in corpore tum in anima, quæ DEI sunt, glorificandum, & cum præstare teneatur omnia, quæ ad DEI gloriam spectant, quæque justa, honesta, sancta, & laudabilia sunt, sequitur nullum opus per se & simpliciter bonum in Lege vel Evangelio præscribi, vt opus indebitum, sub ratione Consilii, sed omnia opera bona, quæcunque ab hominibus proficisci possunt, præcisè à DEO mandari, atque vt debita exigi. Quæcunque enim opera ita non exiguntur, ea simpli-

citer, & per se bona censeri nequeunt. Extant quidem alicubi in Scripturâ quædam de rebus prorsus adiaphoris Cõsilia, sed horum observatio aut est indifferens, aut cum circumstantiæ quædam speciales eam necessariam faciunt, non amplius sunt Consilia, sed in præcepta mutantur. Stultum verò est credere arbitraria quædam opera Deo magis esse accepta, quàm ea quæ ipse nobis præcepit: & planè superstitiosum est istis merendi vim attribuere, atque ista Deo pro cultu obtrudere. Debent enim omnes homines agnoscere, cum omnia fecerunt, quæ edicta sunt, se nihil fecisse, quod non debuerint facere.

VI.

An et quid sint opera Supererogationis?

Appellant autem Pontificii opera ista indebita, quæ quis sponte, sine mandato, ex talibus, vt vocant, Consiliis præstat, novâ ac vanâ voce *Opera Supererogationis* (rectiùs *Superarrogantia* appellarent) & docent ea coram DEO excellenter esse meritoria, non tantum pro ipsis, qui ea præstant, sed etiam pro aliis, quibus per Indulgentias Papales, aut alia ratione applicantur. Cæterùm hæc opera Supererogatoria nihil aliud sunt quàm inania hominum superbissimorum figmenta, qui, cum nc millesimam quidem Legis Divinæ partem perfectè servare possint, vanè tamen sibi persuadent plura se posse præstare opera bona, quàm quæ in Lege præcepta sunt, iisque majorem, quàm Lex à nobis exigit, perfectionem posse acquirere. Omnis enim perfectio Lege Dei præscripta est, ad quam nemo in hâc vitâ pervenire potest, prout à Lege exigitur, & præscribitur. Sunt itaque opera illa nihil aliud

quàm

quàm nugæ & superstitiosæ p ἐθελοθρησκείας, quas DEVS nec imperavit, nec approbat, nec cum ratio ipsi reddenda erit, acceptas feret; & quæ honori & meritis vnici Mediatoris nostri adversantur, & salutem hominum istis operibus fidentium impediunt, atque evertunt.

p cultus voluntarij.

DISPVTAT. XXX.

De Magistratu,

ET

Officio ejus circa Religionem.

THESIS I.

Quid sit Magistratus?

NOBILISSIMA Ecclesiæ visibilis membra sunt fideles Imperatores, Reges, Principes, & quicunq; in Republica Christianâ Magistratu legitimè funguntur. Magistratus est functio publica cũ potestate supereminenti à Deo ordinata ad societatẽ humanã gubernandam secundum honestas leges divinas & humanas, atq; ab eo armata adversus inobedientes gladio, seu potestate coactivâ. Hæc functio humano generi, in hac præsertim ejus corruptione, ita necessaria est, vt sine eâ societas humana in pace & justitiâ contineri nequeat: estque tam sancta, vt eam Christiani bonâ cum consci-

entiâ, secundum omnes ejus partes, obire atque administrare possint. Quinimò functionem hanc secundum institutionem divinam nemo ritè & legitimè obire potest, nisi Christianam Religionem amplectatur. Omnis autem anima tam Ecclesiasticorum quam Laicorum Magistratui legitimo subjectionem atque obedientiam præstare tenetur: neque vllæ censuræ Ecclesiasticæ, ne ipsius quidem Papæ Romani Magistratui legitimo potestatem in subditos supereminentem eripere, aut subditos ab hac subjectione, aut à juramento fidelitatis absolvere possunt.

II.

Quotuplex sit Magistratus?

Magistratus aut est Supremus in aliquo Imperio, Regno, aut Republicâ; aut est Inferior, seu *Supremo* subordinatus. Penes Magistratum Supremum est suprema atque architectonica potestas & cura procurandi omne bonum subditorum, tam spirituale, quam corporale. Inferior autem Magistratus nullam habet potestatem, nisi quam ex ordinatione Supremi accepit, cui subordinatus est, & cui administrationis suæ rationem reddere tenetur. Summus Magistratus non tantum Reipublicæ, sed ipsius etiam visibilis Ecclesiæ, quæ sub ejus ditione colligitur, Caput haud planè incommodè appellari potest: non quidem eo sensu, quo Christus Ecclesiæ suæ Caput mysticum appellatur. Hic enim honor soli Christo proprius est, nec potest vlli creaturæ communicari, aut sine horribili blasphemia attribui. Nec eo sensu, quo sibi Papa Romanus titulum Capitis Ecclesiæ sacrilegè, & blasphemè ascribit. Sed tantum eo sensu,

An Magistratus summus possit vocari caput Ecclesiæ?

quo

quo in Scriptura Saul caput tribuum Israëlis, & David caput gentium vocantur: quatenus nimirum non tantum primarium & nobilissimum est Ecclesiæ visibilis membrum, sed etiam ejusdem defensor, nutritor, & supremus inspector, qui autoritate suâ veritatem divinam, atque ordinem bonum in eâ stabiliat, conservet, & tueatur.

III.

Magistratus Christianus cum sit custos vtriusque tabulæ Legis divinæ, & minister DEI, ordinatus ad procurandum omne subditorum bonum, officium ejus versari debet non tantum circa res temporales, seu politicas, quæ ad Rempublicam, vitam civilem, justitiam, & pacem publicam spectant, sed etiam circa res spirituales seu Ecclesiasticas, quæ ad Religionem, & Ecclesiam spectant: & procurare debet vt subditi sub ejus imperio & cura tranquillam ac quietam vitam degant, non tantum ἐν πάσῃ σεμνότητι, a sed etiam ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ. Officium Magistratus circa res politicas versatur potissimùm in rectâ constitutione & sanctione honestarum legum civilium, earundemque legum justâ executione. Conscientiæ hominum licet per se, primariò, & immediatè solius DEI imperio & legibus sint subjectæ, tamen leges etiam civiles à Magistratu latæ & sancitæ, quando legibus divinis sunt consentaneæ, aut saltem tales, vt contrarium legibus divinis non sit mandatum, vel vetitum, secundariò conscientias subditorum ita obligant, vt iis ex animo obtemperare debeant, non tantum διὰ τὴν ὀργὴν, sed etiam διὰ τὴν συνείδησιν. Quare sine DEI

Quod & quotuplex sit officium Magistratus?

a 1. *Tim*. 2. 2.

Quod sit officium Magistratus circa res politicas?

An leges civiles obligent subditorum conscientias?

b *Rom*. 13. 5.

offenſione, ac proinde etiam ſine conſcientiæ læſione, violari non poſſunt, præſertim cum earum violatione ordo civilis & pax publica turbantur, aut aliis occaſio peccandi & ſcandalum præbentur. Executio legum civilium conſiſtit in exercitio judiciorum, quæ ſunt aut civilia, aut criminalia: vtraque Magiſtratus bonâ cum conſcientiâ exercere poteſt, ita vt enormia delicta non tantum exilio, fuſtuario, aut mulctâ pecuniariâ, ſed etiam gladio, quem c εἰκῆ οὐ φορεῖ, punire poſſit. Gladium hunc poteſt exercere non tantũ adverſus facineroſos ſubditos, ſed etiam adverſus publicos regni aut Reipublicæ hoſtes, atq; imprimis adverſus Eccleſiæ Chriſtianæ perſecutores, à quorum violentia atque injuſtâ oppreſſione eam armis defendere & poteſt, & debet. Bellum vero offenſivum adverſus Turcas, infideles, aut hæreticos propter ſolam Religionem ſuſcipere nunquam licet. Arma enim quibus Evangelium propagari debet, non ſunt d οὐ σαρκικὰ, ſed ſpiritualia: neque fides, quæ DEI donum eſt, externâ armorum vi, ſed cum externâ Evangelii prædicatione, tum internâ Spiritus Sancti efficaciâ animis hominum ingeneratur, & verbo non ferro plantatur. Religio vera non poteſt cogi, ſed debet ſuaderi, & propaganda eſt non per tortores, ſed per doctores, non minando, ſed monendo. Hypocritas multos, ſed nullum verum Chriſtianum vis externa efficere poteſt. Neque etiam quidquam eſſe injuſtius poteſt, quàm homines pacem & juſtitiam nobiſcum colere deſiderantes vi atque armis cogere, vt aut Religionem aliquam, quam animis approbare nec dum queunt, amplexantur, aut, ſi renuant, vitam ſuam & bona

c *non fruſtrà gerit. Rom. 13.4*

An liceat Magiſtratui bellum gerere propter Religionem?

d *carnalia.*

amittant,

amittant. Christus cum Apostolos ad Religionem Christianam per vniversum terrarum orbem propagandam ablegaret, non præcepit, vti Regum, & Principum armis, sed sola Evangelii prędicatione homines Christo subjicerent. Quare bella offensiva olim instinctu Papæ Romani, atque ex præpostero Principum Christianorum zelo adversus Infideles, ad Religionem Christianam armis propagandam, aut terram Sanctam recuperandam, suscepta, nequaquam *Sancta* appellari possunt, sed multis modis fuerunt injusta, illicita, & Christiano nomini indecora, atque ignominiosa.

IV.

Quod & quotuplex sit officium Magistratus Christiani circa Religionem & res Ecclesiasticas?

Officium Magistratus fidelis circa Religionem & res Ecclesiasticas dupliciter potest considerari, vel quatenus est Christianus, & veram Religionem Christianam publicè profitetur, vel quatenus insuper Magistratus est in Republicâ Christianâ. Quatenus Christianus est, habet ex vocatione generali officium cum omnibus piis commune, quod exigit vt abjecta omni idololatria, superstitione, atque impietate, puram Religionem Christianã amplectatur, & publicè profiteatur, prædicationem verbi Divini audiat, Sacramenta participet, publicis precibus intersit, Disciplinæ Ecclesiasticæ, & jugo Christi collum suum subdat, Deum cum reverentiâ colat, Filium ejus Iesum Christum exosculetur, ac denique hominis verè Christiani officio secundum omnes partes satisfaciat. Hujus officii respectu Magistratus Christiani etiam sunt oves, quæ juxta verbum Dei pastoribus suis propter conscientiam

obedire

obedire debent. Atque hac ratione inter Magistratum & privatum hominem nullum est discrimen. Quatenus verò Magistratum gerit in Rep. Christianâ, ex vocatione singulari proprium gerit officium, quod quousque se extendat circa Religionem & res Ecclesiasticas præcipuè controvertitur. Sollicitè hic distinguendum est inter officium & potestatem Magistratus Supremi, & Inferioris: seu inter potestatem Summam, & Subordinatam. Magistratui Supremo competit summa, atque architectonica inspectio, cura, & potestas promovendi, & procurandi quodvis Reipublicæ bonum, omnibus subditis leges præscribendi, & officia sua distribuendi. Bonum autem Reipublicæ Christianæ cum sit duplex, Spirituale, seu Supernaturale, circa quod versatur prima Legis Divinæ tabula, & Corporale, seu Naturale, circa quod secunda tabula versatur, cujus vtriusque tabulæ Magistratus summus etiam ex ordinatione divinâ custos & vindex est constitutus, sequitur summam curam, dispositionem, inspectionem, ac moderationem vtriusque ac maximè Spiritualis boni Supremæ atque Architectonicæ Potestati non tantum ex pietate, sed etiam ex officio proprio incumbere. Nam quo bonum aliquod præstantius est, eo magis & solicitiùs Potestas Suprema illud curare debet. Veræ autem Religionis bonum spirituale cum sit omnium excellentissimum, vtpote quod circa nobilissimum objectum versetur, finem habeat præstantissimum, & Subditos non tantum honestos & justos, sed etiam beatos reddat, illud imprimis ad curam Potestatis Supremæ pertinere nequaquam est am-

Quod sit officium Supremi Magistratus circa Religionem?

bigendum

bigendum. *e* Πρῶτον γάρ, ἡ περὶ θείων ἐπιμέλεια. Magiſtratus itaque Summi munus eſt curare vti in ditionibus ſuis vera Religio ſecundum DEI verbum obtineat & purè exerceatur, vt Miniſterium Eccleſiaſticum, ejuſque Seminaria rectè inſtituantur ac ſuſtententur, vti doctrina Evangelij purè in Eccleſiâ doceatur, Sacramenta legitimè adminiſtrentur, Diſciplina à Chriſto inſtituta debitè exerceatur, vti omnis Idololatria, omnes hæreſes, blaſphemiæ, ſacrilegia, omneſque Divini cultus & nominis prophanationes edictis, & pœnis impediantur, vti cultus DEI integer conſervetur, collapſus reſtauretur, atque vt pax & *f* εὐταξία in Eccleſia vigeant, & ſtabiliantur. Hunc in finem debet Magiſtratus Supremus Confeſſionem veræ fidei, vt ſolemnem Conſenſus in vera Religione Formulam, & publicum Ordinem de ritibus & officiis Eccleſiaſticis juxta normam Sacræ Scripturæ approbatione atque autoritate ſua ſancire, judicia Eccleſiaſtica cùm ordinaria, tum extraordinaria conſtituere, iiſdem perſonas idoneas ſecundum Chriſti & Apoſtolorum inſtitutionem præficere, Synodos majores & minores convocare, earumque actionem atque εὐταξίαν moderari, ac denique omnia media ſecundum Dei verbum procurare, omniaque adminicula adhibere, quibus vera Religio ſtabiliatur, conſervetur, defendatur, & propagetur.

e primùm cura divinis eſt habenda.

f ordo.

V.

Omnia hæc vt Magiſtratus Supremus non tantum debitè, ſecundum Dei verbum atque ordinationem, ſed etiam bonâ cum conſcientiâ

An Magiſtratus Supremus

præſtare

etiam possit de Religione judicare?

præstare possit, non tenetur in tuendâ & propagandâ Religione simpliciter & citra ulteriorem inquisitionem Conciliorum aut Episcoporum decretis acquiescere, neque ad nutum eorum credere, aut subditos ad fidem cogere, ita ut quicquid ab Ecclesiasticis ullo modo sit constitutum, fide implicita, & sine hæsitatione, aut inquisitione executioni mandare debeat. Sic enim Suprema Potestas in miseram & perniciosam servitutem transformaretur, & Supremi Domini vilia alienæ libidinis mancipia, accæci decretorum Ecclesiasticorum executores, seu carnifices constituerentur: quod ut Magistratus bona cum conscientia, quæ semper agit g ἐκ πίστεως, facere non potest; ita quilibet facilè videt, quàm sit Supremæ Potestati ignominiosum & contrarium. Sed debet Magistratus summus Religionem, quam defendendam suscipit, etiam cognoscere, in eam inquirere, de eâ judicare, eamque prius judicio suo non tantum apprehensivo, sed etiam discretivo comprobare. Omnem enim legitimam Religionis defensionem legitima ejus cognitio atque approbatio antecedere debet, neque iniquius, aut turpius quidquam esse potest, quàm Religionem aliquam tueri, de cujus veritate ipse nondum sis persuasus. Quare Magistratus Summus ut veram Religionem rectè agnoscat, debet ante omnia ardentibus precibus cœlestem hanc sapientiam à DEO h ἀδιαλείπτως petere, Verbum Divinum, ex quo solo hæc sapientia hauritur, assiduè legere & meditari Liber Sacræ Scripturæ ab ejus ore non debet recedere, sed omnibus diebus vitæ suæ in eo legere, & die ac nocte meditari ex mandato DEI tenetur. Neque sui unius judicio

g ex fide.

Quomodo de Religione judicare debeat?

h indesinenter.

cio in re tanti momenti fidere debet, vt pro arbitrio suo absolutè quidvis in doctrinâ, aut cultu DEI statuere aut innovare sibi licitum existimet, sed vt muneri & conscientiæ suæ satisfaciat, atque hîc cum insigni veræ Religionis, & Reipublicæ Christianæ detrimento non temerè erret(quod facilè fieri posse ipsa experientia nimis sæpè docuit) tenetur omnia illa media adhibere quibus judicium suum rectè informari, ac tandem etiam debitè formari possit. Inter hæc media præcipuum atque ordinarium est, vt in ordinariis difficultatibus, quæ circa Doctrinam, aut ordinem Ecclesiasticum in Ecclesiis suboriuntur, inquirat prius legitimum judicium Synodicum, seu judicium eorum, quos DEVS in Ecclesiis illis Doctrinæ, atque Ordini peculiariter præfecit, quibusque Regni cœlorum claves commisit, in Synodo legitimâ debitè formatum, cui judicio quamvis non teneatur præcisè acquiescere, tamen idipsum non debet etiam temerè aut præterire, aut repudiare. In extraordinariis Ecclesiarum reformationibus, cum DEI cultus plane collapsus repurgandus est, quia hoc medium commodè vsurpari non potest, debet peritos, pios, atque orthodoxos Theologos, quoscunque in negotiis Religionis præ cæteris maximè versatos noverit, & vel ex suis, vel ex aliis ditionibus habere poterit, in Consilium adhibere.

VI.

Quotuplex potestas Suprema sit subordinata?

Sicuti autem duplex est Subditorum bonum, Spirituale, & Corporale, ita etiam Potestati Supremæ, quæ de vtroque bono disponit, duæ Inferiores Potestates subordinantur, quæ maximè

circa

circa alterutrum bonum versantur, & quarum ministerio & consilio Potestas Suprema in procuratione utriusque boni juvatur & dirigitur. Circa bonum Spirituale versatur potestas Ecclesiastica propriè ita dicta, cujus proprium officium est verbum DEI prædicare, Sacramenta administrare, Disciplinam Ecclesiasticam exercere, Ministros Ecclesiæ ordinare, de controversiis Ecclesiasticis, quæ circa Doctrinam aut Regimen Ecclesiæ intercidunt, ordinariè judicare, & de ritibus adiaphoris ad ordinem, decorum, atque ædificationem Ecclesiæ pertinentibus Canones, seu Leges Ecclesiasticas, constituere. Circa bonum Corporale versatur Potestas Politica Inferior, cujus proprium munus est leges à Supremo Magistratu acceptas, & sancitas, promulgare, tueri, atque executioni mandare, de rebus civilibus levioribus, quæ publicum Reipub. statum non attingunt, honestas leges condere, judiciis publicis tum civilibus, tum criminalibus præesse, eadem secundum normam legum civilium exercere, minoribus Reipub. muneribus idoneos homines præficere, ac denique omnia procurare secundum vocationis uniuscujusque gradum, quæcunque ad bonum politiæ, societatis humanæ, & vitæ civilis pertinent. Hæ duæ potestates inter se quidem coordinantur, & diverso respectu secundum objectorum, circa quæ versantur, diversitatem sibi invicem etiam reciprocè subordinantur, sed utraque Supremæ Potestati subordinatur tanquam inferior, cujus utriusque Suprema summam habet inspectionem, eique utraque functionum suarum rationem reddere tenetur. Neutra Supremæ Potestati collateralis

Qua in re consistat Potestas Ecclesiastica?

Qua in re consistat Inferior Potestas Politica?

seu

ſeu coæqualis ſtatui debet. Hæ Poteſtates inferiores ita diſtincta habent munia vt Supremus Magiſtratus vni eidemque homini vtramque poteſtatem ſecundum Dei ordinationem committere non debeat, ſed vt olim laudatiſſimus à pietate & ſapientiâ Rex Ioſaphatus *i* conſtituit Amariam in omni negotio Iehovæ, & Zebadiam in omni negotio regio, ita etiam pii Principes Chriſtiani aliis perſonis rerum Eccleſiaſticarum, aliis verò rerum civilium & politicarum curam committere debent. Vtraque Poteſtas ſubordinata vocationis ſuæ terminis contenta eſſe, & ſe continere debet. Neutra in alterius munus temerè involaverit. Miniſtri Eccleſiarum non debent ſe immiſcere rebus politicis, aut eas tractare; neque Conſules oppidani, aut præfecti pagorum, aut judices cauſarum civilium ſumere ſibi partes Miniſterii proprias. Hac enim ratione non modo Dei ordinatio fœdè violaretur, ſed etiam perniciosiſſima in Eccleſiam Dei, & Rempublicam ipſam confuſio inveheretur. Nec tamen propterea ipſi etiam inferiori Magiſtratui omnis circa res Eccleſiaſticas poteſtas, cura, atque inſpectio eſt adimenda. Religioſè enim eſt diſtinguendum eſt inter ipſam poteſtatem Eccleſiaſticam propriè ſic dictam, quæ ſolis Eccleſiarum Miniſtris & gubernatoribus ex Dei ordinatione competit, & quæ proinde non eſt ab Inferiore, immò ne quidem à Supremo Magiſtratu ordinariè vſurpanda: & inter Poteſtatem circa res Eccleſiaſticas verſantem, quam vt Supremo Magiſtratui ſummam ſuprà aſſignavimus, ita eandem Inferiori Magiſtratui etiam ſuo gradu, ſecundum muneris ſui, quod in Re-

i 2. Chron 19. 11.

An Magiſtratus Inferiores habeant Poteſtatem Eccleſiaſticam?

Quid ſit diſcrimen inter Poteſtatem Eccleſiaſticam, & verſantem circa Eccleſiaſticam?

publicâ

publicâ obtinet, rationem, competere non negamus, sed tantam ei ascribimus, quantam ex ordinatione Supremi Magistratus à quo omnem potestatem habet, secundum Dei verbum accepit.

DISPUT. XXXI.

De Pace Religionis,
ET
De Hæreticis.

THESIS I.

Quid sit Magistratus Christiani officium erga Subditos à verâ Religione alienos?

MAgistratus Christiani officium præcipuè versari circa Religionis Christianæ, & veri cultus divini curam, protectionem, ac propagationem, eamque sine ejusdem Religionis notitia, inquisitione, approbatione, & professione debitè ab eo institui non posse, superiori disputatione fuit demonstratum. Cum autem omnes ejus Subditi non semper veram Religionem Christianam agnoscant, aut amplectantur, & multi sæpè loco sinceri cultus divini, cultus profanos, Idololatricos, aut adulterinos sequantur, aut exerceant, haud levis momenti quæstio hic exurgit, quomodo Magistratus Christianus, secundum DEI verbum, se gerere debeat erga eos, qui sub ejus ditione à vero DEI cultu vel prorsus, vel aliquâ ex parte sunt alieni.

De

De hâc quæstione itaque jam porro paucis erit despiciendum.

II.

Principio distinguendum hîc est inter eos, qui à verâ Religione Christianâ sunt alieni. Prout enim hi diversi sunt, ita etiam Magistratus Christianus diversimodè se erga tales gerere debet. Horum alii à Religione Christianâ penitùs sunt alieni, quales sunt Ethnici, Iudæi, Turcæ, & similes, qui simpliciter *Infideles* vocantur. Alii nomen quidem Christianum profitentur, sed aut in nonnullis fidei Christianæ capitibus errant, aut Deum illegitimo & adulterino cultu venerantur, & vulgò vocantur *Hæretici*. *Infideles* vivunt sub Imperio Principum aut Infidelium, aut Christianorum. Infideles, qui sub alieno imperio vivunt, externa armorum vi ad amplectendam Religionem Christianam cogi nec posse, nec debere, suprà asseruimus. Qui verò sub Christiani Magistratus ditione vivunt, omnibus quidem honestis & idoneis mediis ad fidem Christianam sunt alliciendi, sed per vim externam nunquam ad eam adigendi, neque ob solam rerum divinarum ignorantiam, ob quam commiseratione potius quàm pœnâ digni sunt, ex Christianorum ditionibus, multò verò minus ex hâc rerum naturâ sunt exterminandi. Imprimis autem *Iudæi*, quos ad æmulationem provocare debemus, inter Christianos non ignominiosè, aut creduliter, sed benignè & humaniter sunt habendi, & de iis potiùs lucrifaciendis, quàm cruciandis aut exterminandis Magistratus Christiani cogitare debent. Coërcendi tamen sunt omnes certis legum re-

Quotuplices sint alieni à verâ Religione Christianâ?

Quomodo Magistratus Christianus agere debeat cum Infidelibus?

Quomodo cum Iudæis?

pagulis, ne Domino nostro Iesu Christo blasphemè maledicant, Religionem Christianam ludibrio afficiant, aut fidem Christianorum malis artibus labefactent.

III.

Qui, & quotuplices sint Haeretici?

Haeretici vocantur ab Hæresi, quæ latiore significatione etiam in bonam partem aliquando accipitur, pro qualibet doctrinæ seu disciplinæ formula, quam quis sibi elegit; sed strictiore significatione non nisi in vitio ponitur, & significat errorem, quem quis amplectitur & sectatur, non quemlibet leviorem, sed talem, qui fundamentum Religionis Christianæ labefactat, aut penitùs evertit. Ab hac significatione appellantur communiter Hæretici, non qui simpliciter errant in aliquo fidei articulo, quod fieri potest ex mera simplicitate atque ignorantia, sed qui à recepta sana doctrina ita aberrant, vt contempto Dei & Ecclesiæ ipsius judicio, in errore fundamentali ex Sacra Scriptura demonstrato pertinaciter persistunt. Horum alii leviùs, alii graviùs errant: alii minùs, alii plùs errorum habent: alii tantum sibi errant, alii etiam alios in errorem inducunt, aut inducere conantur, cùm viva voce, tùm scriptis, atque introductione & disseminatione hæresium & sectarum exitialium Ecclesiarum pacem atque ædificationem violant & perturbant. Priores tantùm errones, posteriores etiam turbones appellari possunt. Illi privatim & sibi tantum malè sentiunt, hi non sibi tantum, sed & publico peccant & noxii sunt. Diversimodè ergo cum vtrisque Magistratui Christiano agendum erit.

IV.

Hæretici, qui introductione aut propagatione errorum fundamentalium adversus receptam sanam doctrinam Ecclesiæ concordiam violant, non tantum debent coërceri censuris Ecclesiasticis, quibus ex Ecclesiis Orthodoxis, earumque ministeriis ejiciantur, sed quandoque etiam à Magistratu Christiano, vt publicæ pacis & Ecclesiarum benè constitutarum turbatores, pœnis corporalibus, puta, carceribus, mulctis, relegationibus, exiliis, vel similibus, puniri possunt, & compesci debent. Nec tamen legitimæ, qua regnum Christi propagari debet, rationi, aut Christianæ lenitati convenire arbitramur, vt Magistratus Christianus propter solum hæreseos crimen quemquam afficiat supplicio capitali, nisi fortè horrendæ atque intolerandæ in Deum blasphemiæ, vel manifestæ seditionis aut perduellionis crimen accedat. Scripta & libri, quibus hæreses suas propagant, ne passim temerè & impunè disseminentur Magistratus Christianus etiam præcavere debet. Non tamen eorum lectio promiscuè & planè debet interdici, cum illa etiam cum fructu institui possit ab ijs, qui sensus in Scriptura exercitatos, & Spiritum discretionis habent, vt ita strophas & effugia hæreticorum noscant, veritatem tanto clarius in lucem eruant atque accuratius defendant, vtque omnia probent, & quod bonum est retineant. Libri verò manifestè impii, blasphemi, & pestilentes vltricibus flammis omninò aboleri debent. Homines autem à sanâ doctrinâ aberrantes, & ab Hæreticis seductos, tametsi in hæ-

Quomodo Magistratus Christianus agere debeat cum Hæreticis seductoribus?

An sint occidendi?

Quomodo cum eorum libris?

Quomodo cum Hæreticis seductis?

resi deprehensi ab erroribus absistere nolint, modo justè & quietè in Republicâ vivant, non putamus vi aliquâ externâ, aut pœnis corporalibus, ad veram fidem adigendos, multo minus crudelibus suppliciis excruciandos aut extirpandos. Fides enim, quæ Dei donum est, suadenda est, non imperanda, & quicunque ab ea deviant, non verberibus sed verbis, non armis sed argumentis, non tortoribus sed doctoribus, non gladio externo colla hominum penetrante, sed gladio illo Spiritus, vivo & efficace Dei sermone, qui pertingit vsque ad divisionem animæ simul ac spiritus, non ignitis lignorum fascibus, sed igneâ linguarum persuasione ab erroribus in viam sunt revocandi.

V.

An Magistratus Christianus vnam tantum Religionē debeat tueri?

Cum hodie in orbe Christiano (quod sanè vehementer deplorandum est) tot tamque multiplices reperiantur Sectæ, quæ veram quidem Religionem Christianam singulæ prætendunt, ab ejus tamen sinceritate, aliæ minùs, aliæ magis, abscedunt, Magistratus Christiani officium postulat, vt ex omnibus illis eam tantum tueatur & publicè exerceri curet ac permittat Religionem, quæ recta, sincera, & secundum Divini Verbi normam optimè instituta est, & quam ipse pro tali agnoscit, & profitetur. Reliquas sectas, præsertim eas, quæ à sinceritate veræ Religionis haud longè absunt, non debet tamen tyrannicè persequi & insectari, sed vt omnibus subditis credendi libertatem permittere debet (solus enim DEVS mentium Rex est) ita etiam talibus sectis, publicæ pacis causâ, etiam privati aut clande-

An et quatenus pacem Religionis concedere possit?

ſtini exercitij libertatem indulgere poteſt, eaſque ſub ditione ſuâ pacificè ſe gerentes tolerare. Nunquam verò ſub prætextu pacis mixturam erronearum Religionum cum vera admittere aut introducere debet, aut etiam tolerare in ditionibus ſuis exercitium, vel clandeſtinum, talis Religionis, quæ exerceri non poteſt ſine horrenda blaſphemia, aut ſine manifeſta idololatria. Vtramque enim Magiſtratus Chriſtianus ex ditionibus ſuis quam longiſſimè, & quam ſeveriſſimè exterminare tenetur, neque ad altervtram bona cum conſcientia, ne quidem pacis publicæ cauſâ, vnquam connivere poteſt.

VI.

An ſpes ſit Pontificios vnquam poſſe conciliari cum Proteſtantibus?

Quando Pontificiorum non tantum manifeſtam Idololatriam, & Superſtitiones multiplices, ſed etiam graviſſimos & fundamentales errores circa præcipuos fidei Chriſtianæ articulos, quibus à Proteſtantibus diſſident, & ſimul obſtinatam in iis defendendis pertinaciam conſideramus: quotieſcunq; etiam efferatam illam & barbaram Pontificiorum adverſus Proteſtantes crudelitatem, animorum acerbitatem, & odium plus quam Vatinianum intuemur: quamdiu etiam Pontificii credunt Papam Romanum ſupremum eſſe Eccleſiæ viſibilis Caput, cui omnia mẽbra de neceſſitate ſalutis obedire tenentur, habere omnia jura divina in ſcrinio pectoris ſui, decreta ejus eſſe a ἀναμάρτητα καὶ ἀνεξέλεγκτα, Eccleſiam, ſeu Concilia, non poſſe errare; & quamdiu nolunt vt controverſiæ ex ſolo Dei verbo, vnica fidei & dogmatum norma, decidantur, vix apparet ſpes vlla futurum vt aliqua inter

a infallibilia & indubitata.

Pontificios & Protestantes conciliatio sententiarum institui aliquando possit. Debent tamen Principes Christiani de hoc negotio non planè desperare, sed operam dare vtrinque vt omnia media adhibeantur, quibus idipsum aliqua saltem ratione paulatim præparari, & veritas magis magisque in apertum proferri possit. Atque imprimis, si sententiarum nondum potest, vt animorum saltem conciliatio inter vtramque partem procuretur, pax externa & politica vigeat ac colatur, atque vt omissis illis acerbissimis persecutionibus, invectivis, criminationibus, & scriptionibus, quibus malum magis ac magis exasperatur, amicis collationibus, & moderatis scriptionibus causa vtrinque in posterum ventiletur, & tandem aliquando in liberâ & legitimâ Synodo Oecumenicâ ex verbo Dei terminetur, & decidatur.

DISPVT. XXXII.

De Purgatorio.

THESIS I.

An sit Ecclesia in Purgatorio?

ECclesiæ Christi membra aut militant in his terris, contra Diabolum, Mundum, & carnem suam; aut peractâ militiâ, in cœlis, coronantur, & de hostibus devictis triumphant. In Inferno autem, seu loco reprobis cruciandis destinato, Christus nullum membrum habet:

ſicuti neque in vllo alio loco ſubterraneo, in quo tanquam in carcere animæ poſt hanc vitam purgentur, quæ in hac vitâ non plenè purgatæ fuerunt, quem locum vtopicum Pontificij conficto & Scripturis ignorato nomine *Purgatorium* indigitant.

II.

Quot ſint loca, in qua animæ hominum poſt mortem commigrant?

Animas hominum, quando ex corporibus ſuis excedunt, non interire, ſed in certa quædam & diverſa loca commigrare, apud omnes Chriſtianos extra omnem controverſiam ponitur. Quot autem ſint loca iſta, inter nos & Pontificios controvertitur. Nos in Sacra Scriptura duo tantum loca invenimus, nimirum, *Cælum*, quod etiam Paradiſus cœleſtis, Sinus Abrahæ, cœleſtis & nova Hieruſalem, Domus Patris, b in qua μοναὶ πολλαί ſunt, & Domus c ἀχειροποίητος αἰώνιος ἐν τοῖς οὐρανοῖς appellatur, in quem locum animæ fidelium recipiuntur; & *Infernum*, in quem infidelium animæ æternis cruciatibus torquendæ detruduntur; & ex quo nulla vnquam erit liberatio. Præter hæc duo loca Bellarminus nonnulla alia fabricatur & comminiſcitur, vnum pro animabus juſtorum, qui ante Chriſti paſſionem defuncti fuerunt, in quo illæ fuerint aſſervatæ vſque ad Chriſti in cœlum aſcenſionem, qui proinde nunc ſit vacuus, & vocat eum *Limbum Patrum*: alterum pro animabus infantum, qui ſine Baptiſmo mortui ſunt, quos in eo loco pœnam non ſenſus, ſed damni perpeti nugatur, & vocat *Limbum Puerorum*: tertium pro animabus fidelium qui cum peccatis venialibus hinc diſceſſerunt ſine ſatisfactione pro iis per pœnas

b *Ioh.* 14.2
c 2.*Cor*. 5. 1.

corporales ab ipsis præstita, in quo loco animas illas ab istis peccatis atrocissimis corporei ignis pœnis purgari atque expiari fabulatur, & vocat hunc locum *Purgatorium*, cui adiungit quartum locum, *Partum*, scilicet, florentissimum, lucidissimum, odoratum, amœnum, (Elysios designat campos) qui locus sit quasi carcer quidam senatorius atque honoratus, in quo animæ non solùm beatitudine careant, sed etiam ex dilatione beatitudinis affligantur, & torqueantur. Sed hæc omnia sunt impudentissima hominum superstitiosorum atque avarissimorum commenta ad turpem quæstum conficta, quæ non ex Dei verbo, cui directè adversantur, sed ex Poëtarum fabulis, & Philosophorum Ethnicorum figmentis, atque ipso denique Mahumeti Alcorano deprompta, & nullis vnquam solidis argumentis, sed tantum vanis insomnijs, atque illusionibus Diabolicis confirmata sunt.

III.

Vbi sit Purgatorium?

Purgatorium itaque cum nullum tale vspiam existat, & non-entis nulla dari possint accidentia, non est mirum Pontificios certum Purgatorij locum non posse assignare. Alij enim statuunt animas purgari in illis locis, in quibus peccarunt, alij in corporibus suis, tanquam in carceribus, alij in balneis, alij sub folijs arborum, alij sub glacie, alij locum Purgatorij collocant in aëre, in quo Dæmones versantur, alij in valle Iosaphat, alij in Siciliâ in monte Ætnâ, alij in Hiberniâ in antro Patricij, alij in Islandiâ in monte Heclâ, alij deniq; in visceribus terræ propè ipsam Gehennam. Hæc opinionum diversitas figmenti

vanita-

vanitatem magis magisque arguit. In Vtopiâ qui locum hunc quærunt, ibidem certissimè invenient. Ejusdem farinæ & momenti sunt reliquæ quæstiones, quæ de hoc non-ente frustrâ & ridiculè à Pontificijs disputantur, quales hæ sunt: An in Purgatorio etiam sit aqua? An & qualis ibi sit ignis? Quomodo ignis corporeus animas, quæ simplices & spirituales sunt substantiæ, vrere, in easque agere possit? Qualis sit pœna, qua animę ibi afficiuntur? An sit tam atrox, vt nulla pœna hujus vitæ cum illa sit comparanda? An hæc pœna animabus à Dæmonibus infligatur? Quamdiu hæ pœnæ sint duraturæ? Quibus medijs animæ ab istis pœnis liberari possint? An Animæ ex Purgatorio possint exire, ædes amicorum aberrare, & in Purgatorium denuò redire? Quibus personis Purgatorium conveniat? An omnes boni & mali per hunc ignem sint purgandi? An vero soli illi qui quasi mediæ sortis sunt, non planè impij, neque etiam satis expiati? An sit aliquis ordo Monachorum, qui hoc privilegiũ habeant, vt aut nunquam in Purgatorium veniant, aut quam certissimè ex eo liberentur? An animæ in Purgatorio possint benè & malè operari? An ibi de salute sua certæ sint? Hujusmodi quæstiones vanè, ineptè, ridiculè, & insigni cum impudentiâ de re, quæ in rerũ naturâ nunquam extitit, neq; vnquam existet, non tantum disceptantur, sed audaces etiam de plerisque assertiones tanquam de re compertissimâ temerè pro fidei articulis obtruduntur. Ad omnes autem has quæstiones *ἀσυντόμως* respondemus, cùm Non-entis nullæ sint causæ, operationes, affectiones, aut accidẽtia, omnes illas quęstiones non tantum vanas esse, sed

Quid sit sentiendũ de reliquis quæstionibus Pontificiorum circa Purgatorium?

d *compendiosè.*

etiam

etiam ſtolidas, ad quarum nullam ex verbo Dei reſponderi poſſit, atque aſſertiones illas eſſe mera vigilantium ſomnia, ac deliria.

IV.

An peccata per ignem purgatorium expientur & purgentur?

Verùm enimverò cum Pontificii omninò atque obſtinatè vſtulari velint, hæc ipſis ſtultitia permitti poſſet, vt terriculamentis iſtis propriam ſtoliditatem plectant, niſi cauſa ob quam hunc ignem purgatorium commenti ſunt, planè impia eſſet, crucē & beneficia Chriſti evacuaret, & fides Purgatorij fidem in Ieſum Chriſtum prorſus everteret. Cum enim Sacra Scriptura apertiſſimè doceat peccata noſtra omnia purgari atque expiari ſolius Ieſu Chriſti abſolutiſſima ſatisfactione, perfectiſſimo *e* λύτρῳ, paſſione, morte, & ſanguine: Deum Chriſtum ſolum conſtituiſſe *f* ἱλαστήριον per fidem in ſanguine ipſius; Chriſtum ſeipſum expoſuiſſe pro Eccleſia, vt eam ſanctificaret *g* ab eo purgatam lavacro aquæ per verbum, vt ſiſteret eam ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, ſed ſanctam & inculpatam: & ſemetipſum pro nobis dediſſe, vt redimeret *h* nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populum peculiarem: Deum nobis credentibus peccata omnia ſive ante, ſive poſt Baptiſmum commiſſa, eorumque non tantum culpam, ſed & pœnam omnem temporalem atque æternam, non propter noſtram ipſorum ſatisfactionem, ſed noſtri reſpectu omninò *i* δωρεὰν, τῇ αὐτοῦ χάριτι, per redemptionem factam in Chriſto Ieſu, condonare, ſequitur Chriſti merita everti atque abnegari, & non ferendam gratuitæ Dei miſericordiæ contumeliam irrogari, cum docetur peccata

e *redemptionis pretio.*
f *propitiatorium.*
g *Eph. 5. 26.27.*
h *Tit. 2. 14.*
i *gratis, ipſius gratia.*

cata nostra per ignem aliquem corporeum purgari, eaque à Deo nobis non remitti, nisi pro iis ipsi perpessionibus acerbissimorum cruciatuum post hanc vitam satisfaciamus. Nec juvat Pontificios, sed blasphemias accumulant, cum purgationem peccatorum inter Christum & hunc fictitium ignem dividunt, & Christo purgationem culpæ, igni autem huic purgationem pœnæ attribuunt. Apertam enim injustitiam Deo ascribunt, cum hoc modo docent Deum punire eum, qui culpam non habeat, delicta peccatori remittere, & peccatorem nihilominus punire, pro vno peccato duplicem exigere satisfactionem, vnam à Christo, alteram ab ipso peccatore. Quinetiam manifestè *l* ἀσύστατα ponunt. Pœna enim, quæ non est macula, quomodo potest purgari? Et pœna si ibi purgatur, hoc est aufertur, quomodo potest simul inferri? Fatemur quidem nihil inquinatum in cœlum esse ingressurum, sed omnia fidelium inquinamenta non igne purgatorio post hanc vitam, sed sanguine Iesu Christi in hâc vitâ perfectissimè eluuntur & perpurgantur; atque ita fideles lotis in sanguine Agni vestibus suis coram Deo immaculati comparent.

An Deus remissâ culpâ pœnam peccatori adhuc infligat?

l *incompetibilia.*

V.

Fidelium sub V. Testamento animas non fuisse post mortem in ignem aliquem Purgatorium detrusas clarè testantur Prophetæ, cum docent, mortem *a* Sanctorum pretiosam esse in conspectu Domini, piorum spiritum *b* ad Deum redire, Deum spiritum eorum suscipere, cum justi & benigni homines recipiuntur, eorum animas

An fuerit Purgatoriũ tempore Veteris Testamenti?

a *Psal.* 116. 15.
b *Eccles.* 12. 7.

ingredi

ingredi pacem, & corpora in cubilibus suis requiescere, quocunque in statu homines moriantur, in eodem semper esse futuros, & secundum eum judicandos. Ac propterea etiam DEUS, cum tot diversa Sacrificiorum & precationum genera in V.T. ad expiationem omnis generis peccatorum & pollutionum instituerit, nullum tamen sacrificium expiatorium, nullas satisfactiones, nec preces pro animabus defunctorum ordinavit. Neque in omnibus illis historijs, in quibus piorum obitus & sepulturæ describuntur, ulla vel levissima mentio fit de sacrificijs aut precibus pro mortuis institutis. Nullum etiam hujus Purgatorij indicium aut vestigium reperimus in Novo Testamento, in quo Apostoli atque Evangelistæ expressè docent, animas fidelium, quando ex corporibus excedunt, eo ipso die cum Christo esse in Paradiso, à Christo suscipi, in pace dimitti, in judicium non venire, ab Angelis deferri in sinum Abrahæ, esse cum Christo, *d* αὐθήμερον esse beatas, repositam esse illis coronam gloriæ, & simulac terrestris hujus domus tabernaculum *e* dissolutum fuerit, ædificium ex DEO habituras, domicilium non manu factum, æternum in cœlis. Docetque passim tota Sacra Scriptura cum V.tum N. Testamenti duo tantum esse hominum genera, fidelium & infidelium, duplicem tantum hominum mortuorum statum, beatum & miserum, duplex tantum post mortem judicium, justificationis, & condemnationis, duplex tantum animarum separatarum receptaculum, cœlum & infernum, locum consolationis, & locum cruciatus; & denique duplex tantum esse tempus, in hac vitâ, in quâ tempus est operandi, certandi, currendi,

An sit Purgatorium nunc in Novo Testamento?

d *statim.*

e 1.*Cor.* 5. 1.

&

& ſeminandi, & poſt hanc vitam, quando nox venit, in quâ nemo operari poteſt, & tempus tantum eſt præmiorum ac pœnarum. Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus. Hîc vita aut acquiritur, aut amittitur.

VI.

Purgatorium itaque Papiſticum nullum in Sacra Scriptura fundamentum habet, ſed purum putum humani cerebri figmentum eſt, quod toti Sacræ Scripturæ & beneficijs Domini noſtri Ieſu Chriſti directè adverſatur, atque ab hominibus avariſſimis non ad mortuorum animas à peccatis, ſed ad vivorum crumenas à nummis perpurgandas eſt excogitatum. Fabricârunt autem hunc ardentem carcerem Papæ Romani, vt ipſi illius eſſent f δεσμοφύλακες, atque ex illo nullas animas niſi numeratâ pecuniâ emitterent. Ac proinde commentum hoc & vanum, impium, & blaſphemum à Chriſtianis omnibus meritò eſt rejiciendum atq; explodendum: tantùm abeſt, vt eſſe poſſit dogma fidei Chriſtianæ creditu ad ſalutem ita neceſſarium, vt qui Purgatorium hoc non credat, in Gehennâ ſempiterno igne ſit cruciandus. Niſi fortè Pontificij dogmata fidei ſuæ extra & contra Scripturam, ex Homeri Odyſſeâ, Virgilij Æneide, Platonis Gorgia & Phædone, Ciceronis ſomnio Scipionis, Mahumeti Alcorano, atque ipſius Diaboli illuſionibus, ex quibus omnibus Purgatorium hoc fabricatum eſt, extruere velint, quæ dogmata, talibus innixa fundamentis, ipſis Pontificiis credenda libenter relinquimus, atque vnum hoc credimus Bel-

An Purgatorij cõfeſſio ſit dogma fidei Chriſtianæ ad ſalutem creditu neceſſarium?

f carceris cuſtodes.

larminum de Purgatorio verè tradidisse, cum docet, eum qui non credit Purgatorium esse, ad illud nunquam esse perventurum.

DISPVT. XXXIII.

De Suffragijs seu Orationibus Vivorum pro Mortuis, ET *De Mortuorum Sepulturâ.*

THESIS I.

An et quomodo animæ defunctorum à vivis juvari poßint? a vno absurdo dato, inde sequuntur multa.

ERror mirè fœcundus est, vnus plurimos parit & trahit: ἃ καὶ ἑνὸς ἀτόπου δοθέντος τὰ πολλὰ συμβαίνει. Confictâ Purgatorij fabricâ Pontificij videntur porrò admodum solliciti esse, quomodo misellæ animæ ex diris illis cruciatibus liberari, aut saltem in mediis flammis aliquo modo refocillari possint, cum reverâ solliciti tantum sint, quomodo hoc figmento loculos viventium exhaurire, & sub prætextu precum pro mortuis, viduarum domos excedere queant: ac proinde confingunt animas ex Purgatorio liberari, aut saltem cruciatus illis mitigari, ordinariè per Missas, per preces viventium, & per opera pænalia à viventibus mortuorum nomine præstita: & extraordinariè per Indulgentias Papales. Sed hæc omnia eodem, quo

ipsum

ipſum Purgatorium, nituntur fundamento, & mera ſunt ac vana ſuperſtitioſorum hominum figmenta, ad turpem quæſtum adinventa, quæ animabus mortuorum nullo modo prodeſſe poſſunt. Si enim, quod confitetur ipſe Bellarminus, non proſunt nec beatis, nec damnatis animabus, & tertius animarum poſt hanc vitam ſtatus non detur, vti ſuperiori diſputatione fuit demonſtratum, neceſſe eſt, deſtructo & refutato Purgatorio, omnia hæc *b* θεοκαπηλικὰ figmenta ſimul etiam corruere.

b *quibus Deum cauponantur.*

I I.

An per Miſſas?

Miſſæ vocabulo ſi Pontificij ſignificare volunt Cœnam Dominicam, nihil ex Scripturis certius atque evidentius patet, quàm Cœnam hanc myſticam à Chriſto inſtitutam eſſe tantum pro fidelibus adhuc viventibus, & Sacramentum hoc legitimè vſurpantibus, ad confirmationem fidei eorum per commemorationem mortis Domini, & per beneficiorum hac morte illis acquiſitorum obſignationem. Mortui vero vt de pane hoc non poſſunt edere, neque de poculo hoc bibere, ita neque pro illis hoc Sacramentum inſtitutum eſſe potuit. Neque neceſſe eſt illis beneficia obſignari, qui ea jam poſſident, aut fidem confirmari, poſtquam *c* τὸ τέλειον advenerit. Fingere autem Cœnæ Domini adminiſtrationem eſſe Sacrificium propitiatorium pro vivis & mortuis, eſt vnicum & perfectiſſimum Sacrificium *d* ἱλαστικὴν Ieſu Chriſti ſemel in arâ Crucis peractum, quâ vnicâ oblatione conſummavit in perpetuum eos qui ſanctificantur, & Cujus in cœnâ *e* ἀνάμνησις inſtituitur, blaſphemè abnegare, & Sacramentum

c *quod perfectum eſt.* 1. *Cor.* 13. 10.

d *propitiatorium.*

e *recordatio.*

in Sacrificium convertere, cujus tantum est discrimen, quantum inter accipere & dare. Ludicris verò Sacrificij seu Missifici gesticulationibus à Christo non institutis, sed ab hominibus diversis temporibus excogitatis, affingere eam vim, vt ex opere operato etiam mortuis remissionem peccatorum impetrare atque applicare possint, sacrilega est audacia, qua meritum Christi evertitur, & Religio Christiana in ludibrium vertitur.

III.

An per preces viventium pro mortuis?

Mandatum DEI, Charitas, communio Sanctorum, & communicatio, quæ inter membra vnius corporis intercedere debet, simul exigunt, vt fideles pro se mutuò apud DEVM precibus intercedant, sed idipsum tantum pro vivorum necessitatibus fieri debet. Pro mortuis autem intercedere non tantum DEVS non mandavit, sed etiam planè frustraneum est. Fidelium enim animæ è corporibus migrantes illicò ad Christum caput suum in cœlum assumuntur, ibidemque supremæ beatitudinis participes nihil boni in eo statu ampliùs egent aut desiderant, ita vt non necesse sit majorem pro illis beatitudinem postulare: Infidelium verò animæ illicò in infernum detruduntur, vnde nulla in æternum dabitur liberatio, ita vt impossibile sit precibus nostris vel illas inde liberare, vel mitiora illis supplicia impetrare. Purgatorium autem quia nullum vspiam est, in eo etiam nec animæ, nec supplicia esse possunt, ac proinde vanum est ablationem vel mitigationem suppliciorum pro animabus in Purgatorio laborantibus petere. Quod autem nonnulli ex veteribus olim pro

Quare nonnulli

mortuis

mortuos oraſſe leguntur, provenit etiam ex errore, non quo crediderunt eſſe ignem aliquem purgatorium, quibus animæ fidelium poſt hanc vitam excrucientur, vnde precibus liberari poſſint, ſed quo ſtatuerunt animas fidelium ante Reſurrectionem nondum frui beata Dei viſione, ſed vel ſomno quodam detineri, vel in abditis terræ receptaculis, aut in cœleſtis palatii quaſi procœtone quodam contineri, ac proinde nihil aliud precibus ſuis poſtularunt, quàm vt Chriſtus adventu ſuo, & beata corporum reſuſcitatione animarum iſtarum beatitudinem complere, eaſque cum corporibus denuò vnitas in plenariam cœleſtis gaudij poſſeſſionem introducere vellet. Sed tales preces etſi diu in vſu fuerint, tamen nec ab Apoſtolis inſtitutæ aut vſurpatæ, nec illis viventibus in Eccleſia vſitatæ fuerunt.

veteres pro mortuis orarint?

IV.

Multò minus proſunt animabus defunctorum opera, vt vocant, pœnalia à vivis in gratiam mortuorum ſuſcepta, & præſtita, qualia ſunt, jejunia, peregrinationes, humi-cubationes, corporum flagellationes, & ſimilia. Nam *f* vnuſquiſque ſuum onus portabit, *g* vnuſquiſque ſuam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem, & *h* fratrem nullo modo quiſquam redimere poteſt. Suntque hæc opera nihil aliud quàm vanæ, invtiles, & ridiculæ ſuperſtitiones, quibus cum affingitur vis pro peccatis aliorum ſatisfaciendi, ſacrilegè homines iſti munus ſoli Chriſto proprium ſibi attribuunt, & doctrinam de meritis & ſatisfactione Chriſti turpiſſimè depravant, atque evertunt. Nec magis proſunt indulgentiæ quæ à

An per opera pœnalia?

f *Gal.* 6. 5.
g *Apoc.* 22. 12.
h *Pſal.* 49. 7.

An per Indulgentias Papales?

Papa Romano ex Ecclesiæ quodam Thesauro eundem ad quæstum blasphemè confictо, pecuniam numerantibus erogantur, vt animæ vel eorum qui pecuniam numerant, cum in Purgatorium erunt venturæ, vel amicorum, quæ jam in Purgatorio torrentur & torquentur, citius ex illis cruciatibus per eas liberentur. Hanc potestatem cum Papæ Romano ascribunt Pontificij, nimirum posse illum indulgentijs suis quascunque voluerit animas, & quandocunque libuerit, ex Purgatorio liberare, non vident stolidi homines quantam, quàm barbaram, efferatam & plus quam Cyclopicam crudelitatem Patri suo ascribant, quòd patiatur filios suos immanissimis & durissimis tormentis non ad exiguum tempus, sed ad multas annorum centurias excruciari, si eos ex ejusmodi cruciatibus tam facilè liberare posset. Cæterum omnia hæc figmenta sunt istorum i ψευδοδιδασκάλων, qui homines ἐν πλεονεξίᾳ πλαστοῖς λόγοις ἐμπορεύονται, & turpes ac sacrilegæ imposturæ, quæ non defunctis hominibus, sed viventibus Sacrificulis vehementer prosunt; ac proinde non est mirum quòd pro hisce focis suis tam acriter dimicent.

i 1. Pet. 2. 3.

V.

An et quatenus Sepultura mortuorum sit necessaria?

Quamvis animabus fidelium defunctorum nihil prodesse aut obesse possit, sive cadavera eorum sepeliantur, sive inhumata relinquantur. (Nam capit omnia tellus, quæ genuit, cœlo tegitur, qui non habet vrnam) atque vt pretiosa sepultura impijs non prodest, ita etiam pijs obesse non possit aut vilis, aut nulla: Tamen non tantum ipsa naturalis honestas, & politica commo-

ditas,

ditas, sed imprimis etiam Christiana pietas & charitas postulant, vt corpora illa, *l* quæ templa & organa fuerunt Spiritus Sancti, & quæ Christiani credunt ad cœlestem gloriam resuscitanda, *m* ac glorioso corpori Christi conformanda, tanquam grana frumenti, honestâ & moderatâ funeratione terræ mandentur, in spem beatæ resurrectionis. Laudabile itaque charitatis & pietatis opus est cadavera fidelium sepulchris mandare, sed nulla est ratio quare meritum aliquod in isto opere collocari debeat. Quid enim possunt mereri creaturæ de Creatore, & servi de Domino, qui cum omnia fecerint, quæ edicta sunt, *n* confiteri debent se fecisse tantum, quod facere debuerint? Hominum bonis operibus quicumque meritum ascribunt, illi gratiam Dei, & merita Christi planè evacuant, atque abnegant.

l 1. *Cor.* 6. 19.

m *Phil.* 3. 21.

An sit opus meritorium?

n *Luc.* 17. 10.

VI.

Populus Dei in V. Testam. mortuos solet sepelire extra civitates, in agris, hortis, speluncis, & aliis locis quibuslibet, quos omnes sepulturæ æquè idoneos semper crediderunt. Quod autem Patriarchæ non in Ægypto, sed in terrâ promissâ sepeliri voluerint, non est factum propter aliquam loci istius sanctitatem, quæ animabus ipsorum prodesset, sed vt hac publicâ testificatione ostenderent fidem suam de promissâ populi Dei ex Ægypto liberatione, nostrique per Messiam redemptione, cujus illa typus fuit. Veteres Christiani etiam extra civitates solent mortuos terræ mandare, prout expressis Imperatorum legibus erat statutum: sed crescente post modum atque invalescente superstitione,

Vbi corpora mortuorum sint sepelienda?

An tantum in locis consecratis?

Templa, atque areæ templis vicinæ magicis quibusdam consecrationibus sepulturæ destinari cœperunt, & persuasum fuit credulo populo multum prodesse defunctorum animabus, si corpora in locis ejusmodi consecratis sepeliantur. Quę sanè persuasio vana est, & superstitio populo noxia, sed Sacrificulis quæstuosa. Cujusmodi farinæ etiam sunt cæteri ritus in funerationibus à Pontificiis vsitati quales sunt Cereos in funere accendere, cruces præferre, aquam benedictam sepulchro inspergere, nænias funebres cantare, & siquæ aliæ superstitiosæ ceremoniæ adhibentur, quas defunctis animabus prodesse sibi persuadent. Sacrificia verò pro mortuis in ipso funere, vel statis diebus, vel anniversaria offerre, non tantum vanum & superstitiosum, sed & planè impium est, nec tantum in verbo Dei non præscriptum, sed eidem verbo, & Domini nostri Iesu Christi officio atque vnico Sacrificio propitiatorio directè contrarium. Cadavera abluere, vnguere, & aromatibus condire, etsi in V. Testam. à fidelibus vsurpatum fuerit, ad fidem de beata Resurrectione his ceremoniis fovendam, hodie in N. Testam. in quo hic fidei articulus testatissimus est, & Christi capitis Resurrectione abundè confirmatus, non opus est eum in finem ceremonias istas adhibere. Modus funerationis pro diverso personarum & regionum statu variè observari potest, & in se planè adiaphorus est. Piam & frequentem funeris deductionem comitatis & charitatis opus esse agnoscimus, sed quod animæ mortui nequaquam prosit. Eleemosynas in funere pauperibus erogare eum in finem, vt pro animâ defuncti orent, pauperibus quidem, sed nihil de-

Quomodo debeant sepeliri?

functorum

functorum animabus prodest, & superstitionem arguit, aut sapit. Conciones funebres in exequiis mortuorum habere non improbamus, quando illæ ita instituuntur, vt viventes hac occasione admoneantur mortalitatis suæ, vt cogitent eodem modo sibi aliquando esse excedendum, vtque ad eum excessum maturè & seriò se preparent. Monumentorum vero constructio & titulorum in memoriam & honorem defunctorum erectio, sunt vivorum quali cunque solatia, non mortuorum subsidia.

DE ECCLESIA TRIVMPHANTE.

DISPVT. XXXIV.

De Sanctorum mortuorum Beatitudine,

ET

Canonizatione.

Thesis I.

Spiritus justorum, seu animæ fidelium, postquam ex corporibus excesserunt, *An animæ fidelium*

à corporibus separata statim cœlesti beatitudine fruantur?
a 2. Cor. 5. 1.

runt, non asservantur in abdito quodam & incognito loco, in quo vsque ad diem Resurrectionis detineantur, aut dormiant, sed illicò simulac *a* terrestris hujus domus tabernaculum dissolutum fuerit, ad Christum caput suum, in domum Patris ejus, quæ est domus non manu facta, æterna in cœlis, in sinum Abrahæ, in Paradisum cœlestem, seu in cœlum Beatorum assumuntur, & innumerabilium Angelorum conventui aggregantur, ibidemque cœlesti beatitudine perfruuntur.

II.

Qualis & quanta sit illa beatitudo, qua animæ separata à corporibus fruuntur?
b *Angelis æquales, & Christo similes.*

Beatitudo hæc, quâ fidelium animæ à corporibus separatæ in cœlis fruuntur, non quidem tam perfecta aut tanta est, quanta erit post beatam corporum resurrectionem, cum glorificatis corporibus iterum erunt vnitæ; tum demum enim fideles erunt, *b* ἰσάγγελοι, καὶ Χριστῷ ὅμοιοι: est tamen perfectissima secundum eum modum, cujus animæ à corporibus separatæ capaces sunt, & consistit non tantum in vacuitate ab omni dolore, sed etiam in præsenti fruitione claræ visionis Dei, sensus divini favoris, gaudij, gloriæ, & cœlestis beatitudinis, in qua beatam corporum resurrectionem certò ac infallibiliter expectant.

III.

An beatæ animæ omnes nostras necessitates noverint, et ijs subvenire possint?

Quamvis autem hæc beatitudo secundum eum modum, qui separatis à corpore animabus competere potest, sit absolutissima, atque ita eximia, vt in viventis hominis cogitationem non ascenderit, tamen beatis animabus non confert talem scientiam, vt omnia nostra hîc in terris

norint, neque talem potentiam, vt omnibus nostris necessitatibus subvenire possint. Hæc enim beatitudo soli Deo propria est, & sine manifesta blasphemia creaturis attribui non potest. Pontificii ergo cum tantam animabus fidelium defunctorum beatitudinem attribuunt, honorem Deo soli debitum sacrilegè & blasphemè ad creaturas transferunt, vt super hoc figmentum cultum Sanctorum religiosum, atque idololatricam eorundum invocationem superstruant.

IV.

Quicunque fidem Christianam profitentur, & in pietate vocationi congruenter ambulant, ex vsu Sacræ Scripturæ etiam in hac vitâ *Sancti* appellantur, & à nobis ex charitatis judicio pro Sanctis haberi debent, tametsi eorum Sanctitas, quamdiu in hac carne versantur, imperfecta maneat, ac tum demum perficiatur, cum Christus eos sibi in cœlo sistet gloriosos non habenteꝗ maculam aut rugam. Iidem omnes postquam ex eâdem professione ex hac vita discesserunt, ex eodem charitatis judicio, à nobis sunt habendi pro *Beatis*. Sunt enim omnes beati, c qui in Domino moriuntur, & d mors justorum pretiosa est in oculis Dei. Tamen vt nemo in hac vita infallibilem ac firmam certitudinem habere potest de alterius fidei & pietatis sinceritate, quæ soli Deo e καρδιογνώστῃ nota est, ita neque talem certitudinem habere potest de vllius hominis mortui certissima beatitudine, nisi tantum de quorum beato post hanc vitam statu expressa in Sacra Scriptura extant testimonia.

Qui sint habendi pro Sanctis?

Qui sint habedi pro Beatis?

c *Apoc.* 14. 13.
d *Ps.* 116. 15.

An et quatenus de alicujus mortui beatitudine certi esse possimus?

e *cordium scrutatori.*

V.

An Papa Romani judicium in Canonizatione sit infallibile?

Præter hosce igitur mortuos, de quorum beatitudine Scriptura testatur, non potest Ecclesia aut Papa Romanus ulli homini defuncto publicum atque infallibile dare testimonium de verâ ejus in hac vitâ sanctitate, aut certâ ejus post hanc vitam beatitudine. Neque hujus certitudinis miracula sunt testimonia sufficientia, cùm extremo illo die *f* Christus multis sit dicturus, Nunquam novi vos, discedite à me, qui tamen per nomen Christi multas virtutes ediderunt. Quare Papa Romanus referens aliquos in Catalogum Sanctorum seu Beatorum, non tantum errare potest, sed etiam sicut plurimos verè Sanctos viventes igni cum temporali tum æterno injustissimè adjudicavit, ita etiam Beatorum numero sæpius immeritò ascribit multos mortuos, de quorum beatitudine nullam planè habuit certitudinem, multos qui in rerum natura nunquam extiterunt, multos etiam, quos manifestè constat fuisse parricidas, rebelles, proditores, idololatras: multosque hîc in terris pro Sanctis cœli mandavit, quorum animæ fortè in Gehennâ torquentur.

f Matt. 7. 22. 23.

VI.

An Ecclesia possit Canonizare Sanctos?

Multò minus aut Ecclesiæ, aut Papæ Romano fas est quenquam viventem aut mortuum eum in finem in Sanctorum Catalogum referre, ut religiosus ei honor & cultus exhibeantur, aut mandare, ut quisquam vel in universâ Ecclesiâ vel in una aliquâ provinciâ, pro Sancto & Beato habeatur, & invocatione, votis, peregrinationibus ad ejus sepulchrum, asservatione reliquiarum

ejus, erectione templorum & statuarum in ejus honorem, observatione dierum festorum, publice & religiosè colatur, atque hac ratione memoria ejus in Ecclesiâ celebretur. Agnoscimus quidem memoriam Sanctorum, de quorum verâ sanctitate, & certâ beatitudine, non ex fabulosis Legendis, sed ex verbo Dei constat, in Ecclesiâ semper benedictam & venerandam esse debere, eorumque virtutes, dotes, & laudes Ecclesiæ utiliter ad imitationem proponi posse, ac debere: sed isto modo memoriam eorum celebrare, nihil aliud est quàm Deo suum honorem sacrilegè detrahere, eumque ad creaturas blasphemè transferre. Quare Pontificia hæc Sanctorum Canonizatio nec pia, nec licita, nec verbo Dei consentanea est, sed multis modis est impia, expressè vetita, idololatrica, verbo Dei & praxi Iudaicæ, Apostolicæ, & primitivæ Ecclesiæ contraria, Deo injuria, Sanctis ignominiosa, & demùm post multa ab Apostolorum temporibus secula, fatente ipso Bellarmino, in Ecclesiam à Papis Romanis introducta.

DISPVTAT. XXXV.

De cultu & Invocatione Sanctorum mortuorum.

Thesis I.

Cultus quo aliquis honoratur, duplex est, alius est quo Creatorem debemus venerari; *Quotuplex sit cultus?*

rari;

tarij; & vocatur cultus Religionis, seu Religiosus & divinus: alius quo Creaturas honoramus, & vocatur cultus civilis, seu humanus. Prior in primâ Legis divinæ tabulâ, posterior in secundâ præscribitur. Cultus Religiosus soli Deo debetur, & ad creaturas quantumvis excellentes sine manifesta Idololatria transferri non potest. Exprimitur autem in Sacra Scriptura promiscuè tam δουλείας quàm λατρείας nomine, quemadmodum etiam prophani autores Græci vocabulis δουλεύειν & λατρεύειν in vna eademque significatione vtuntur. Immò plus est δουλεύειν, quàm λατρεύειν si verborum proprietatem spectemus. Servimus enim propriè majoribus & Dominis, & colimus etiam pares. Neque in Sacra Scriptura cultus λατρείας major statuitur cultu δουλείας religiosæ: sed hæc vbique non minus quàm cultus λατρείας soli Deo, nullis verò vspiam creaturis, attribuitur. Cultus civilis est, qui creaturis exhibetur propter earum excellentiam. Estque vel Angelicus, qui præsentibus Angelis præstatur: vel humanus, qui hominibus exhibetur. Tertium genus cultus, qui sit quasi intermedius, major civili & minor divino, & peculari δουλείας nomine à Pontificijs exprimitur, non agnoscit Scriptura. Omnis enim δουλεία aut est religiosa, quæ soli Deo competit, & rebus sacris, Angelis, aut hominibus quantumvis sanctissimis non potest sine sacrilegio attribui: Injustissimum enim est honorem Regi, aut Patri debitum, ad Servos, aut ad Fratres transferre: Estque hæc eadem cum λατρεία religiosa. Aut est civilis, quæ propriè majoribus, impropriè autem ac sæpè etiam minoribus ex charitatis lege præstatur. Quartum

An sit discrimen inter cultum λατρείας & δουλείας religiosa?

An cultus δουλείας possit Creaturis attribui?

tum genus cultus, quem vocant ὑπερδουλείας, & humanæ Christi naturæ, ac beatæ Matri ejus competere dicunt, Sacra Scriptura itidem ignorat.

II.

Qualis cultus Angelis exhiberi debeat?

a adorationem.

Qualis cultus debeat exhiberi hominibus viventibus?

b Col. 2. 18.

Qualis hominibus mortuis?

Angelos bonos ad ministerium nostrum emissos, cum præsentiam suam clarè nobis testantur, cùm propter naturæ, tùm propter officij & ministerii excellentiam licet nobis, immò nos decet, omni cultu civili venerari, verùm religiosam illorum *a* θρησκείαν non tantum *b* Scriptura expressè damnat, sed & ipsi Angeli nec appetunt, nec vnquam sibi exhiberi passi sunt. Cultus humanus aut est merè civilis, qui verbis aut gestibus exhibetur, atque etiam exhiberi debet, hominibus viventibus propter singularem sanctitatem, aut alias dotes, aut propter officij, quod in Ecclesiâ, aut Republicâ gerunt, præstantiam excellentibus. Aut est cultus quasi civilis, qui hominibus sanctis jam mortuis impendi non tantum potest, sed etiam suo modo debet. Modus autem hujus cultus potissimum consistit in eo, vt honorificè de illis sentiamus & loquamur, vt eorum dotes & virtutes, quibus ornati vixerunt, aliisque præluxerunt privatim & publicè suspiciamus & deprædicemus, vt eorum exemplo alios ad virtutem excitemus, atque imprimis vt piâ imitatione virtutes eorum ipsi exprimamus. Hoc modo Sancti maximè honorantur, neque alium aut majorem honorem ipsi vnquam expetiverunt, aut pij homines in V. & N. Testam. ipsis attribuerunt. Hoc modo eos in Ecclesiis nostris honoramus, & honorandos esse docemus. Quare nobis haud levem injuriam

faciunt

faciunt Pontificii, cum clamitant nos omnem honorem, reverentiam, & cultum sanctis Angelis, aliisque Dei servis, & Sanctis detrahere. Tribuimus enim illis cultum omnem, qui ipsis debetur, ita tamen vt Deo etiam suus cultus integer reservetur. Pontificii verò dum immodico, illegitimo, & indebito cultu Sanctos venerantur, Dei cultum multis modis violant, atque ita Deum, atque ipsos Sanctos maximâ afficiunt contumeliâ.

III.

An Sancti mortui noverint nostras necessitates & preces?

Sancti mortui quamvis cœlesti beatitudine & clarâ Dei visione in cœlis fruantur, non tamen præditi sunt eâ scientiâ, vt omnes nostras necessitates noverint, atque omnes gemitus & preces quovis loco & tempore exaudire possint. Solius enim Dei, qui solus est omniscius atque immensus, proprium est omnia dicta & facta quovis loco & tempore distinctè cognoscere. Quod autem nugantur eos in Deo tanquam in speculo omnia intueri, neque in Scripturâ neq; in ratione ipsa fundamentum habet. Non enim qui Solis lucem intuetur, propterea omnia videt, quæ Sol perlustrat. Nec credibile est Angelos ipsis omnia illa revelare, cum Angeli non nisi vno in loco adsint, & ordinariè in cœlis sint, atque ad nos tantum extraordinariè emittantur, vt sint nuntij non hominum ad Deum aut ad Sanctos, sed Dei ad homines. Quinimmò S. Scriptura expressè testatur Sanctos mortuos ignorare ea, quæ hîc in terris fiunt, etiam liberorum suorum statum, & non tantum vulgares Sanctos, sed ipsos etiam a Patriarchas mortuos nos nescire. Fru-

a *Esa.* 63. 16.

ſtraneum itaque eſt atque invtile, illis preces fundere, eorumque opem in neceſſitatibus noſtris implorare.

IV.

An et quatenus Sancti mortui in cœlis pro nobis orent?

Veriſimile quidem eſt Sanctos mortuos in cœlis cum Chriſto nunc regnantes ac triumphantes, pro eâ charitate, quâ Eccleſiam in terris adhuc militantem proſecuti ſunt, atque etiam nunc proſequuntur, & pro communione, quæ inter Sanctos Militantis & Triumphantis Eccleſiæ incedit, defenſionem ac liberationem Eccleſiæ Militantis deſiderare, & pro ea communiter vota facere, & in genere Deum orare, ſed tamen hâc de re nihil expreſſè S. Scriptura teſtatur. In particulari autem eos pro hoc vel iſto homine, pro hiſce vel iſtis neceſſitatibus orare, nuſquam Sacra Scriptura vel leviter innuit, aut vllo idoneo exemplo demonſtrari poteſt.

V.

An Sancti mortui piè & vtiliter poſſint invocari?

Quare Sanctos mortuos religioſè adorare, & in neceſſitatibus ſive corporalibus, ſive ſpiritualibus invocare, vel vt autores beneficiorum, vel vt Interceſſores apud Deum, vt ſuffragiis & meritis ſuis beneficia hæc à Deo pro hominibus impetrent, nuſquam in tota Sacra Scriptura mandatur, ſed contra diverſis in locis expreſſè & ſeverè interdicitur, quotieſcunque DEVS mandat vt eum ſolum adoremus, & vetat in neceſſitatibus noſtris ad Creaturas confugere. Nulli etiam pij vnquam in V. aut N. Teſtamento mortuos invocaſſe leguntur, aut aliis hanc invocationem ſuaſiſſe. Honor enim invocationis, quæ ſine fide fieri non poteſt, ſoli DEO, vt omnipotenti,

omni-

omnipræsenti, atque omniscio [b] *καρδιογνώστῃ* proprius est, & nulli creaturæ licet excellentissimæ, nisi cum insigni sacrilegio, blasphemia, atque idololatria, tribui potest. Solus etiam Dominus noster Iesus Christus non tantum Redemptionis, sed etiam Intercessionis apud Deum, vnicus est Mediator, atque Advocatus noster per quem habemus libertatem & aditum cum fiducia ad Deum accedendi per fidem ipsius. Invocatio itaque mortuorum non tantum frustranea est, sed etiam impia, atque idololatrica, Deo gloriam suam eripit, Christi vnicam intercessionem abolet, Dei verbo directè adversatur, & quicunque Sanctos mortuos in necessitatibus suis invocant, illi duo mala faciunt; Deum [d] perennium aquarum scaturiginem derelinquunt, & fodiunt sibi cisternas, quæ aquas non capiunt.

b *cordis scrutatori.*

d *Ier.* 2. 13.

VI.

An Papistæ mortuos Sanctos invocando committant Idololatriam?

Ac proinde Pontificij cum Sanctos demortuos religiosè adorant, atque vt intercessores apud Deum invocant, à manifesta & turpi Idololatria excusari nequeunt. Cultum enim religiosum soli Deo debitum creaturis impiè exhibent, iisque ascribunt eas proprietates, quæ soli Deo essentiales sunt, & creaturis communicari nequeunt. Atque hoc nihil aliud est quàm ex creatura sibi Idolum fabricari. Præsertim cum manifestè constet illos etiam invocare mera figmenta atque idola mentium, quæ in rerum natura nunquam extiterunt, cujusmodi sunt Georgius, Christophorus, Catharina, & similes in Romanum Martyrologium relati Tragelaphi. Atque imprimis cum sanctissimæ virgini &

matri Mariæ titulos & honores planè divinos attribuunt, eamque Domino Iesu Christo, vnico Mediatori, & Redemptori nostro, non tantum exæquant, sed etiam præferunt, & proprium Christi munus ad eam transferunt. Etenim quando eam appellant Dominam & Reginam, Reginam mundi & cœli, Ianuam Paradisi, Advocatam, Mediatricem, matrem misericordiæ, Salutem, vitam, & spem nostram: cum docent illam Serpentis caput conculcasse, nostra scelera piare, jure matris Redemptori nostro imperare, & Deum regnum suum cum ipsa divisisse, ita vt retenta sibi justitiæ procuratione, misericordiæ administrationem illi concesserit; ac proinde à foro justitiæ Patris, ad forum gratiæ Matris esse provocandum: cum se potius ad Matris vbera, quàm ad Filii vulnera convertunt: cum denique eam vt talem invocant, & non tantum ejus intercessionem, sed & opem immediatam implorant, quo colore à manifesta Idololatria excusare se poterunt? Omnem autem impudentiam & blasphemiam superat, cum ex Psalterio nomen Domini & Dei passim eraserunt, & in ejus locum nomen Dominæ & Mariæ reposuerunt, atque ita quicquid Deo vel ipsius Christo Spiritus Sanctus attribuit, id omne ad humilem ejus ancillam blasphemè transferunt. Huc accedit Pontificios Ethnicorum Idololatriam planè imitari, ac quodam modo renovare. Nam vt olim gentiles regionibus, vrbibus, domibus, elementis, negotijs, & artibus singulis divos quosdam tutelares præficiebant, ita Pontificij divis istis tutelaribus Sanctos mortuos substituerunt. Iunoni cœli Reginæ Mariam,

Iunoni

Iunoni Lucinæ Margaritam, Marti Georgium, Herculi Christophorum, Castori & Polluci Nicholaum, Dianæ Eustochium, Minervæ Catharinam. Præfecerunt Galliæ Dionysium, Hispaniæ Iacobum, Venetijs Marcum. Apud eos Apollonia sanat dolores dentium, Otilia oculos læsos, Rochus pestem, Antonius ignem sacrum, Quirinus fistulas. Infinitam denique talium Divorum, Divarumque multitudinem Pontificij pro necessitatum diversitate palam constituunt, habent, colunt, atque invocant, haud secus vt olim Iudæi pro civitatum numero DEOS diversos habebant. Non est itaque dubitandum, quin hoc modo Sanctos mortuos colentes atque invocantes manifestæ Idololatriæ se reos faciant, & DEVM, qui honorem suum alteri non dabit, gravissime ostendant.

DISPVTAT. XXXVI.

De Cultu Reliquiarum.

THESIS I.

Quomodo cadavera Sanctorum mortuorũ sint honoranda?

PONtificij non tantum animas Sanctorum mortuorum religiosa invocatione adorant, sed etiam eorundem cadavera atque ossa, immo & vestes, ac supellectilem, religioso cultu venerantur, atque ita crassissimam Idololatriam coram toto mundo magis magisque palam manifestant. Fatemur quidem corpora Sanctorum

de-

defunctorum, ac præsertim sanctorum Martyrum, quia viva Christi membra, & Spiritus Sancti templa fuerunt, atque ad æternam gloriam sunt resuscitanda, non sordidè nedum contumeliosè tractanda esse, sed honestè sepelienda, & ab omnibus contumeliis vindicanda, sed ea religioso aliquo cultu venerari, aut quocunque modo adorare fas esse pernegamus. Nullus enim cultus religiosus sine manifesta Idololatria rebus inanimatis exhiberi potest. Neque legimus usquam in V. aut N. Testamento præter honestam funerationem corporibus Sanctorum mortuorum, ne ipsius quidem Christi, Stephani protomartyris, aut aliorum sanctissimorum hominum, quicquam honoris fuisse habitum, multò minus religiosum honorem exhibitum.

II.

Quomodo Pontificij Reliquias Sanctorum colant?

Corpora verò Sanctorum mortuorum, vel quædam membra, sepulchris eruere, pretiosis capsis in[...]ere, byssino & holoserico involvere, publicè in templis sub altaribus asservare, vel supra altaria in locis conspicuis collocare, in processionibus seu gratiarum actionis seu rogationum causâ institutis cum pompâ circumgestare, candelis, lampadibus, & aliis anathematis venerari, cereos coram ijs accendere, suppliciter ante ea procumbere, & religiosa veneratione ea deosculari, dies festos ad eorum cultum consecrare, templa & basilicas ijs extruere, votivas peregrinationes ad loca, in quibus asservantur, instituere, thura ijs adolere, juramenta super ea præstare, non tantum superstitiosum, sed etiam manifestè Idololatricum est. Nullum ejusmodi cultus in Sacra

An cultus ille sit Idololatricus?

Scriptura mandatum aut exemplum extat. Quin ipse Deus propterea corpus Mosis, ejusque sepulchrum, proculdubiò hanc præcipuè ob causam coram populo abscondidit, ne Iudæi aliquando ad talem Idololatricum cultum abuterentur. Elisæi ossa etsi contactu suo ad confirmandam Prophetæ doctrinam mortuum resuscitarint, non tamen propterea è sepulchro fuerunt eruta, neque à populo Dei genibus flexis, osculis, aut sacrificijs venerata. Sudaria & semicinctia Apostolorum etsi ægros sanaverint, non tamen ad cultum religiosum fuerunt asservata. Ipsi tamen Sancti vivi noluerunt eos admittere honores, qui à Pontificijs nunc eorum cadaveribus atque ossibus exhibentur.

III.

An Reliquiæ Sanctorum habeant virtutem aliquam Spiritualem?

Impietas longè major est, cum Pontificij sibi persuadent, Reliquias istas singulari aliquâ divinâ aut spirituali virtute esse præditas, quâ possint nos nostraque sanctificare, dæmones expellere vel arcere, morbos sanare, & cum hac opinione & fiduciâ freti ad obtinendam animæ sanctificationem, vel corporis sanitatem, religiosè coram iis se prosternunt, easq; non tantum deosculantur, & salutant, sed etiam palam adorant, ab ijsque petunt, vt pijs Justitiam augeant, & reis veniam donent. Quis enim hanc esse crassissimam Idololatriam vel dubitaverit, vel negaverit?

IV.

An omnia ossa quæ Pontificij

Impostura autem est pudenda, atque in orbe Christiano nequaquam toleranda, quam passim & quotidie Pontificij non tantum privatim, sed

etiam

etiam publicè, lucri causa impudentissimè exercent, cum credulo popello ossa quædam tanquam martyris aut Sancti cujusdam veneranda proponunt, de quibus non tantum nullam planè habent certitudinem, sed quæ fortè vel latronis cujusdam, vel etiam asini aut canis fuerint. Et proculdubiò multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ torquentur in Gehennâ. Atque hanc imposturam Pontificij toti mundo manifestè detegunt, & agnoscere ipsi coguntur, cum multos Sanctos suos tricorpores, aut tricipites faciunt, atque vnius alicujus Sancti corpus, aut vestes, aut supellectilem, aut singularia quædam membra multis diversis in locis ostentant, & in singulis locis supposititias hasce merces pro genuinis venditant.

veneran-tur, sint vera Reliquiæ Sanctorum?

V.

Impudentia denique stupenda est, cum non verentur, in tanta præsertim Evangelij luce, palam pro Reliquijs Sanctorum venditare, non tantum ea quę manifestè constat non potuisse esse asservata, qualia sunt sanguis, præputium, vmbilicus, dentes, capilli, lintea, cunæ, subucula, calcei, & vestes Christi, lac, capilli, interula, cingugum, crepidæ, & pectines Mariæ, caligæ Iosephi, lignum crucis, clavis, lancea, spongia, & similia sexcenta: sed quæ etiam in rerum natura extare non possunt, qualia sunt pennæ ex alis Angeli Gabrielis, sonitus campanarum templi Hierosolymitani, anhelitus Iosephi ligna findentis, & similes fraudes tam crassæ, vt in densissimis Paganismi tenebris crassiores nunquam fuerint inventæ. Ita solet DEVS ignominiam

An Pontificij colant Reliquias confictas & supposititias?

sanctissimo nomini suo illatam vlcisci incredulis sensum & mentem auferendo, atque eos efficacibus erroribus tradendo.

VI.

An Reliquiæ Sanctorum possint edere miracula?

Quamvis ad contactum corporis aut vestium Christi & Sanctorum viventium, vel aliquando etiam mortuorum, miracula nonnulla fuerint edita, non tamen inde sequitur eadem corpora, aut easdem vestes, vel aliorum etiam Sanctorum jam mortuorum, eandem vim semper retinere, aut propterea religioso cultu veneranda esse. Vis enim, qua miracula ista fuerunt edita non processit ab attactis corporibus aut vestibus, sed à solâ Dei virtute, qui instrumentis istis vti voluit tantùm ad confirmandam doctrinam, quam docebant aut docuerant isti, quorum hæc corpora, aut hæ vestes erant, non autem ad cultum aliquem talium corporum aut vestium religiosum stabiliendum. Doctrina autem Propheticis & Apostolicis libris comprehensa cum olim miraculis satis sit confirmata, non est necesse, vt novis miraculis per reliquias Sanctorum confirmetur. Sunt verò miracula illa omnia, quæ hodie Pontificij à Sanctorum Reliquiis fieri asseverant, aut conficta, aut [a] *σημεῖα καὶ τέρατα ψεύδους, κατ' ἐνέργειαν τοῦ Σατανᾶ.*

a 2. Thes. 2. 9.

DISP.

DISPUTAT. XXXVII.

De Cultu Imaginum,

ET

De Signo Crucis.

THESIS I.

IDololatria Pontificiorum nondum hîc subsistit. Neque enim sufficit illis Sanctorum mortuorum animas religiosè adorare, & corporum reliquias cultu religioso venerari, sed nec eos pudet mutas quoque, ac inanimas cum Dei tum Sanctorum Imagines religiosâ veneratione colere, atq; ita etiam secundum ipsam etymologiam manifestam Idololatriam committere. *Idolum* enim secundum Græcam vocis originem, significat omne id quod nobis rei alicujus vel fictæ vel verę formam seu speciem repræsentat, sive internè in animo, sive externè sensibus, ac præcipuè visui: atque in hac significatione apud idoneos autores Græcos semper usurpatur. Secundum Scripturam atque Ecclesiasticos Scriptores, Idolum significat aut ipsum fictitiū numen, quod homines religiose colunt, aut simulachrum aliquod, quo numen sive verum sive fictitium exprimitur, & quod religioso & illicito cultu afficitur. Atque ita plerunque in malam partem accipitur. *Imago*, vox Latina, quâ εἴδωλον transfertur, secundum ety- *Quid sit Idolum?* *Quid sit Imago?*

mologiam ab Idolo vix differt. Secundum vsum etiam vulgatæ versionis Latinæ, quam Pontificij pro authenticâ habent, quamlibet figuram tam illicitam quàm licitam, tam rerum non existentium quàm existentium significat, atque in vtramque partem, tam malam quàm bonam, accipitur. Differunt itaque secundum communem loquendi vsum Idolum & Imago, tantum in eo, quod illud ferè semper in malam partem & angustiùs, hæc etiam in bonam partem & latiùs sumatur: non autem in eo, vt Bellarminus contra sanam rationem, contra omnium bonorum autorum, etiam Pontificiorum, judicium, & contra ipsas sacras literas audacter, atque imperitè asserit, quòd Idolum tantum significet simulachrum, quo res ficta atque in rerum natura non existens exprimitur, & imago, quo res vera repræsentatur: ac propterea Imaginem rei veræ atque existentis, licet religiosè colatur, Idolum dici non posse. Sic enim illi, qui simulachra Solis, Lunæ, hominum, vitulorum, piscium, avium, & similium rerum existentium colunt, nullo Idololatriæ crimine tenerentur: cum tamen ejusmodi simulacra inter Idola in S. Scripturâ disertè referantur. Omnis autem Imago, sive rem veram sive rem fictam exprimat, quæ illicito & religioso cultu afficitur, rectè atque vsitatè Idolum appellatur, ita vt Imago non quælibet, sed cultu religioso affecta, vel ei destinata, & Idolum æquipolleant. Quinetiam Imago quamvis in finem licitum aut etiam bonum primitùs efformata, si postmodùm religiosus ei accesserit cultus, transit in Idolum, quod Serpenti æneo olim DEI jussu & Mosis ministerio erecto

Quid sit discrimen inter Idolum & Imaginem?

accidisse

accidisse Scriptura clarè testatur, atque hanc ob causam à Rege Ezechia, cujus munus erat idola tollere, meritò fuisse a sublatum. Quare imagines Dei, Christi, & Sanctorum, cultus gratia à Pontificijs erectæ, & veneratione religiosâ ab ijs cultæ, rectè Idola appellantur, & cultores istarum imaginum Græcâ voce εἰδωλολάτραι propriè & justissimè vocantur.

a 2. Reg. 18. 4.

II.

Quotuplex sit vsus imaginum? Quis sit vsus licitus? Quis vsus Ecclesiasticus?

Non tamen omnes promiscuè Imagines, illicitas, aut Idolorum nomine insigniendas esse dicimus, sed tantum eas, quæ ad cultum religiosum efformantur, atque habentur. Duplex enim est Imaginum vsus, licitus & illicitus. Vsus imaginum licitus est aut Ecclesiasticus, aut Politicus. Vsus Ecclesiasticus fuit in V. Testamento imaginum, quæ jussu Dei expressæ, & in Tabernaculo & Templo Hierosolymitano collocatæ fuerunt, non vt religiosa veneratione colerentur, sed vt istis figuris atque vmbris res in N. Testamento implendæ præfigurarentur, qui vsus Typicus appellatur, & in N. Testamento, in quo omnes typi impleti, ac proinde etiam abrogati sunt, locum habere non potest. Fatemur quidem imagines sanctorum & præstantium hominum in N. Testamento privatim haberi posse non tantum ad memoriam, sed etiam ad vsum aliquem moralem, vt aspectu imaginis ad imitandas eorum virtutes subinde excitemur, sed imagines Sanctorum in N. Testamento in Templis collocare, vt sint libri Laicorum, neque necessarium, neque vtile, neque decorum existimamus. Primitiva enim Ecclesia sine vllâ pietatis atque institutionis jacturâ quingentis circiter

An in N. Testamento aliquis vsus sit Imaginum Ecclesiasticus?

An Imagines vt libri Laicorũ in templis haberi possint?

citer annis, quibus magis adhuc florebat religio, & sincerior doctrina vigebat, imaginibus caruit, & sine ijs vniversus Dei cultus in N. Testamento ritè peragi potest. Deus non mutis simulacris sed vivâ prædicatione verbi sui Ecclesiam erudiri vult: neque nos Deo sapientiores esse decet. Quinetiam ad docendum in Religione populum imagines non sunt idoneæ. Est enim eruditio ligni, a eruditio vanitatum, & fusile doctor falsi. Quid quæso discet Laicus ab imaginibus Mariæ, qualis in Pontificiorum templis conspiciuntur, quàm superbiam & luxum, cum videbit eas ita ornatas, vt lupanaria pudicius & modestius cultas meretrices ostendant? Quid imagines Dei aliud quàm crassas & erroneas de Deo conceptiones atque opiniones docere poterunt? Vtri præceptores meliores sunt, vivi, an mortui? loquentes, an muti? Et cum illa pinguntur, quæ fabulosa sunt & conficta, quid docebunt, quàm mendacia? Vnde ista inter Pontificios apud Laicos stupiditas, nisi quod illi, qui Ecclesijs præsunt, docendi vices idolis resignarunt? Accedit evidens Idololatriæ periculum, & certum infirmorum offendiculum. Nec quicquam in Christianorum templis magis indecorum cerni potest, quàm si instar fanorum gentilium statuis atque idolis exornata conspiciantur: quemadmodum notum est Turcas hodie nullam aliam ob causam à Religione Christiana magis abhorrere, & alienos manere, quàm quod Templa Pontificiorum imaginibus repleta videant. Politicus imaginum vsus licitus est, cum imagines aut statuæ non in templis, sed in aliis locis exercitio Religionis non destinatis, publicè vel privatim habentur, vel ad

a Ier. 10. 8.

Quis sit vsus Imaginum Politicus?

amicorum

amicorum aut præstantium virorum memoriam, vel ad modestum ornatum, vel ad honestam recreationem, vel ad institutionem in humanioribus disciplinis, vel ad alium quemvis vsum politicum, qui honestati, modestiæ Christianæ, & bonis moribus non sit contrarius.

III.

Quotuplices sint imagines?

Imagines sunt duplices, aliæ sunt quibus Deus, seu Sancta Trinitas, corporea aliqua figura exprimitur, aliæ sunt imagines creaturarum visibilium aut invisibilium. Imagine aliquâ corporeâ naturam finitam ac compositam repræsentante, Deum & S. Trinitatem exprimere, non tantum impossibile est, cum sit essentia spiritualis, infinita, immensa, & incomprehensibilis, quæ corporeâ & finita effigie exprimi nequit, sed etiam Majestati Divinæ planè indignum est *b* τὴν δόξαν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν ἀλλάξειν. Ingenerent etiam tales imagines falsas, erroneas, & crassas de Dei natura in animis hominum conceptiones, & manifestum Idololatriæ periculum secum trahunt. Ac propterea Deus in verbo suo expressè interdixit, ne vlla imagine à quoquam exprimatur, & severè mandavit, vt ab hoc peccato imprimis & sollicitè nobis caveamus. Fideles etiam in V. & N. Testamento huic mandato Dei paruerunt, & nusquam leguntur tales imagines vnquam fecisse aut habuisse. Quare imagines Pontificiorum, quibus exprimere volunt S. Trinitatem, cum pingunt vel vnum virum cum tribus vultibus, vel virum bicipitem, aut bifrontem, additâ columbâ,

An Imagines Dei et S. Trinitatis fingi aut haberi debeant?

b *Rom.* 1. 23.

vel

vel Patrem depingunt effigie viri senis, Filium juvenis, vel agni, & Spiritum Sanctum columbæ, non tantum ineptæ & monstrosæ, sed etiam Deo ignominiosæ sunt, & contra expressum Dei mandatum efformantur, atque habentur. Aliæ sunt imagines Creaturarum, quas simpliciter non damnamus, sed ad honestum vsum politicum efformari atque haberi posse agnoscimus: ad religiosum autem vsum ac cultum effingere aut habere vllas imagines nefas existimamus.

IV.

An et quatenus imagines Sanctorum adorari & coli possint?

Sanctorum itaque vel etiam ipsius Dei & Christi imagines cultu religioso λατρείας vel δουλείας venerari, ante eas religionis ergô procumbere, genua flectere, preces fundere, cereos accendere, capita aperire, thura adolere, eas deosculari, cum pompa circumgestare, suppliciter adorare, iisque divinam aliquam virtutem ascribere, secundo Decalogi præcepto clarè interdicitur, cum Deus vetat ne nos incurvando honorem imaginibus vllis exhibeamus, neque eas colamus. Hoc præceptum perpetuum atque immutabile Dei ipsius ore promulgatum, & digito in tabulis lapideis scriptum, à Mose Ecclesiæ fideliter traditum, ab Ecclesiâ tum Iudaicâ semper, tum Christianâ primis seculis purioribus retentum, & à Christo non abrogatum, Pontificij ad occultandam Idololatriam suam ex catalogo præceptorum Legis divinæ audaci cum impudentiâ eradentes sacrilegæ impietatis, & violatarum Dei tabularum manifestè convincuntur. Cumq; isto modo imagines hodie publicè colant, nequaquam ambigendum est quin horribilem &

An secundum præceptum de Imaginibus ex Decalogo auferri possit?

An Pontificij cultu

crassam Idololatriam committant, à qua nequaquam eos excusat, quod prætendant se cultum hunc religiosum propriè, directè, & precipuè imaginum prototypis exhibere; impropriè autem, indirectè, & per accidens ipsis imaginibus, atque honorem hunc non in imaginibus, sed in prototypis terminari. Deus enim per imagines coli nec vult, nec potest. Imaginum verò, quæ Sanctos repræsentant, prototypi ipsi cum religioso cultu sine idololatriâ affici nequeant, multò minus possunt eorum imagines. Atque ipsa Pontificiorum cum doctrina tum praxis evidenter testantur, imagines Dei & Sanctorum etiam propriè, directè, & per se ab illis adorari & religiosè coli, atque imperitum vulgus subtiles hasce doctorum distinctiones neque intelligere, neque curare. Gentiles ipsi prudentiores sciebant statuas ipsas non esse numina, & quis dubitat tamen quin eas colendo, turpem commiserint Idololatriam? Iudæi statuas & imagines colentes, tametsi etiam honorem hunc præcipuè ad Deum tanquam prototypum simulachris illis repræsentatum referrent, nihilominus tamen Idololatriæ simpliciter à Prophetis damnantur.

imaginum committant Idololatriam?

V.

Atque hinc etiam apparet in Templis Christianorum, alijsque locis cultus divini exercitio publico destinatis Imagines collocari non debere, non tantum propter Iudæorum & Turcarum offendiculum, qui à Christianorum Templis imaginibus instructis, tanquam ab Idolo latriæ officinis, abhorrent, sed imprimis propter

An Imagines in Tēplis ad cultum collocari debeant?

ma-

manifestum apud Christianos Idololatriæ periculum, quod circumstantia sacrorum istorum locorum plerumque secum trahit, vt ipsa experientia in Papatu plus satis docuit. Neque simulacris mutis, sed vivis Dei imaginibus ad audiendum Dei verbum, ad Sacramentorum vsurpationem, & ad preces publicas frequenti numero congregatis Templa Christianorum optimè exornantur. Templa Christianorum in primitiva Ecclesia per multa secula ab imaginibus communiter vacua fuerunt, & rectè Patribus olim placuit in Templis non haberi picturas: ne quod colitur vel adoratur in parietibus pingatur. Qui primi simulacra in Templa induxerunt, illi metum dempserunt, & errorem addiderunt. Vbicunque autem imagines contra Dei verbum introducta sunt, præsertim cum homines ijs ad cultum Idololatricum abutuntur, quemadmodum olim sanctissimus Rex Ezechias serpentem æneum comminuit, & Moses vitulum conflatum fregit, multique olim pij Principes & Episcopi imagines ex templis ejecerunt, ita hodie autoritate Magistratus Christiani, aut totius Ecclesiæ, si commodè fieri possit, imagines ex templis atque oculis Christianorum tolli debent. Quod cum pij Principes faciunt, non possunt sacrilegij aut violatæ Religionis accusari, sed opus muneri ipsorum conveniens, & in Scripturâ laudatum præstant. Scriptura enim vt *c* εἰκονοπλάστας damnat, ita *d* εἰκονοκλάστας laudat, & Magistratibus mandat, non tantum vt ipsam Idololatriam, sed omnia etiam Idololatriæ instrumenta è medio tollant.

An et quomodo ex templis sint tollenda?

c *formatores imaginum.*

d *effractores imaginum.*

VI.

Lignum illud crucis, in quo D.N. Iesus Christus olim pependit, an verè sit olim ab Helena Constantini M. Imperatoris matre inventum nolumus contendere, cum Religioni Christianæ nihil vel accedat vel decedat, sive illa vera fuerit crux Christi, sive supposititia: præsertim cum rationes multæ sint, ob quas de veritate totius historiæ meritò quis dubitare possit. Illud certum est, hodie illud lignum ita multiplicatum esse inter Pontificios, vt vel maxima navis oneraria schidia omnia, quæ ab illis ostentantur, vix possit capere. Ac licet certò nobis constare possit, veram illam crucem hodie superesse, tamen neque divino, neque religioso cultu affici, aut adorari posset sine manifesta Idololatria, quam apertissimè Pontificij committunt, quando hanc crucem ita invocant: O crux ave, spes vnica, Hoc passionis tempore. Auge piis justitiam, Reisque dona veniam, &c. Idem est sentiendum de lanceis, clavis, virgis, baculis, columna, spongia, spinis & ceteris instrumentis, quibus Christus ab hostibus crudeliter fuit excarnificatus. Imago autem Crucis sive sculpta sive picta, tametsi verum illud crucis dominicæ lignum repræsentet, non potest tamen, vt neque imagines cæteræ, cultu aliquo religioso sine Idololatriæ crimine affici. Cruces istæ effictæ nihil prosunt, sed sola crux seu passio Christi nobis vtilis est. Signum deniq; Crucis manu vel digito in aëre vel aliquâ in re aliâ formatum, in se quidem res est adiaphora, quæ fortè olim à veteribus Christianis tanquam symbolū professionis Christianæ & mutuę

An lignū Crucis sit adorandum.

An Imago Crucis sit religiosè veneranda?

An signum Crucis aliquam habeat efficaciam?

fratrum

frattum agnitionis non malè vsurpata fuit, sed magicum & superstitiosum est hunc signo tribuere efficaciam spiritualem ac divinam nos & res nostras sanctificandi, dæmones fugandi, & morbos curandi. Quare vsus iste hujus signi, licet in se indifferens sit, propter hunc superstitiosum & verè magicum abusum meritò abrogari debet. Arma, quibus Diabolus profligatur, non sunt externa aut carnalia, sed merè spiritualia: ac tum demum probè muniti sumus contra potestatem Diaboli, non cum frons aut pectus signo crucis signantur, sed cum cor nostrum vera fide ipsum crucifixum amplectitur. Et Scriptura disertè docet, cibos nostros non externo crucis signo, sed *e* per verbum & preces sanctificari.

e 1.*Tim.* 4.5.

DISPVT. XXXVIII.

De cultu rerum Consecratarum.

THESIS I.

An et quomodo creatura consecrari possint?

OMnes Creaturæ Dei, quamvis bonæ & in vsus hominum primitus sint creatæ, & sine discrimine nunc in Novo Testamento à mundis vt mundæ vsurpari possint, tamen quia sine speciali Dei benedictione nobis nec obveniunt, nec prodesse possunt, si debitè & salutariter iis vti velimus, debeamus easdem non nisi cum gratiarum actione & precibus ad Deum

prius ſanctificatas, & conſecratas vſurpare. Perſonæ, quæ ad ſacra Eccleſiæ miniſteria ordinantur, precibus, admonitionibus, & ritibus impoſitionis manuum, aut ſimilibus muneri huic ſancto inaugurari & quaſi conſecrari poſſunt, & debent. Loca etiam, in quibus publicus Dei cultus exercendus eſt, per ſolemnes preces & conciones inaugurales huic ſancto vſui quaſi conſecrari poſſunt. Elementa denique, quæ in Sacramentorum adminiſtratione adhibentur, per inſtitutionis & promiſſionis divinæ verbum & preces publicas, ab vſu communi ad hunc ſacrum transferri, eique deſtinari, atque ita conſecrari poſſe & debere vltrò confitemur: atque his modis creaturas aliquas etiam in Eccleſijs noſtris ſanctè conſecramus, ſed nullas propterea religioſè veneramur, aut venerandas eſſe arbitramur.

II.

An Pontificij in cultu rerum conſecratarum Idololatriam committant?

Pontificij verò non contenti ingenti illâ ac penè infinitâ Idolorum multitudine, quæ ex Sanctis ipſis, atque ex ipſorum Reliquijs, & Imaginibus, ſibi fabricarunt, ex quibuſlibet ferè creaturis innumera adhuc reliquis Idola adjungunt, cum demurmurationibus & ceremonijs quibuſdam non à Deo mandatis aut inſtitutis, ſed ab hominibus ſuperſtitioſis inventis, & verè magicis, res diverſas conſecrant, iiſque conſecrationibus divinam quandam virtutem, qua Dæmones fugari, morbi curari, & homines expiari, ſanctificari, ac ſervari queant, rebus illis imprimi docent & credunt, eaſque res conſecratas proinde religioſè venerantur, in ijs fi-

duciam suam collocant, & beneficia, tum corporalia, tum etiam spiritualia ab ijs expectant, & nonnunquam etiam pro istis beneficijs eas religiosè adorant. Cum enim Idololatria nihil aliud sit, quam honorem soli Deo debitum, & virtutes Deo proprias creaturis attribuere, manifestum est omnes illos, quicunque creaturis, ac maximè rebus inanimis, proprietates divinas, & propria Dei aut Christi effecta ac beneficia ascribunt, manifestè ex illis idola facere, & quicunque hæc beneficia ab illis expetunt aut expectant, crassam Idololatriam committere. Quinetiam magicum est & superstitiosum quibusdam verborum demurmurationibus virtutem divinam & supernaturalem rebus inanimatis velle imprimere: quem in finem cùm verbum Dei adhibetur, fœda insuper nominis & verbi divini prophanatio committitur.

III.

An Pontificij Sacramenta consecrata in idola convertant?

Imprimis autem externa elementa, quę Christus instituit, vt ijs beneficia sua nobis significet atque obsignet, & Sacramenta in Ecclesia appellantur, in manifesta Idola à Pontificijs convertuntur. Panem enim Eucharisticum per consecrationem converti & transsubstantiari docent in ipsum Christi corpus, atque ita consecratum vt Deum & Christum cultu merè divino suppliciter adorandum atque invocandum esse. Quod ipsum etiam palam faciunt, cum panem hunc consecratum in templis elevatum, aut per plateas delatum, genibus flexis, aut toto corpore in terram prostrato, adorant, invocant, & omni cultu divino afficiunt: cum festum

in honorem hujus panis institutum quotannis celebrant, in quo panis hic solemniter cum pompâ splendidâ circumgestatur adhibitis luminibus, crucibus, vexillis, instrumentis musicis, aliisque publicæ lætitiæ signis, & palam ab omnibus obvijs adoratur. Simile idolum fabricarunt ex consecratâ Baptismi aquâ, cum quâ manifestam etiam Idololatriam committunt, cum docent & credunt externæ huic elementari aquæ ritibus Pontificijs jam consecratæ, inesse virtutem divinam peccata omnia præcedentia expurgandi, hominem totum regenerandi, & Spiritus Sancti gratiam in eum effundendi, idque etiam ex solo opere operato.

IV.

An Aqua Benedicta, Oleũ, Chrisma, Agni Dei, &c. vim aliquam divinam habeant?

His addunt plures alias res non ex Christi aut Apostolorum, sed ex hominum superstitiosorum institutione consecratas, quibus Idolorum numerum magis magisque multiplicant. Nam ridiculis & superstitiosis quibusdam ritibus consecrant Aquam benedictam aut lustralem, oleum, sal, cineres, cereos Paschales, thura, ramos palmarum, imagunculas cereas, quas vocant Agnos Dei, & sexcenta alia, quibus post hanc consecrationem attribuunt virtutem planè divinam; & certâ animi fiduciâ credunt, has res consecratas, cum illis inunguntur, aut asperguntur, vel cum eas de collo suspensas gerunt, aut in ædibus asservant, omnia peccata saltem venialia dolere, atque expiare, dæmones expellere, se suaque sanctificare, gratiam Spiritus Sancti conferre & multiplicare, à tempestatibus, fulguribus, incendijs, naufragijs, & maleficijs immunes præservare,

bona multiplicare, insidias Diaboli & infortunia avertere, morbos curare, aut alia beneficia corporalia & spiritualia conferre. Hæc beneficia cum homines à rebus consecratis petunt atque expectant, non tantum stultâ & superstitiosâ credulitate seipsos fallunt, sed etiam fœdissimâ se commaculant Idololatriâ. Nulla enim superstitiosis istis consecrationibus vis supernaturalis ad hæc beneficia conferenda rebus istis impressa est, aut imprimi potest. Et quicunque beneficia soli Christo propria, ad creaturas brutas atque inanimatas transferunt, eaque non à solo Christo, sed ab illis expectant, neque in solius Christi meritis, sed in istis rebus consecratis fiduciam collocant, easque religiosè venerantur, eos omnes grande sacrilegium, & horribilem Idololatriam committere neutiquam est ambigendum.

V.

An liceat res aliquas consecrare?

Sine speciali Dei instituto & mandato non licet vllam creaturam ceremonijs quibusdam consecrare ad effectum aliquem supernaturalem nobis vel significandum, vel obsignandum. Quare nulli mortalium licet nova Sacramenta propriè dicta in Ecclesia instituere, quæ à Christo non sint instituta. Multò minus licet creaturas rituali aliqua benedictione ab hominibus superstitiosis inventa, sine Dei ordinatione, consecrare, vt effectus aliquis divinus aut supernaturalis per eas producatur. Hoc enim planè magicum est, & honori divino, qui ad creaturas hoc modo impiè transfertur, maximè injurium. Quare consecrationes Pontificiæ quæ hunc in finem fiunt, manifestam Idololatriam & magiam sapiunt, in-

ventæ

ventæ ſunt ab hominibus ſuperſtitioſis, & ex Gentiliſmo profectæ, iiſque honor Dei & Chriſti fœdiſſimè commaculatur, & ſimplicitas ac puritas Religionis Chriſtianæ, quæ à rituum multitudine abhorret, contra Dei voluntatem, cum maximo ſcandalo, & nominis Chriſtiani dedecore, conſpurcatur, & in ſuperſtitionem planè gentilem convertitur.

VI.

Quid ſit ſentiendum de Pontificiorum Pane benedicto?

Panem aliquem benedictum præter panem Eucharisticum in Eccleſia ad vſus religioſos conſecrare, conſecratumque populo diſtribuere eum in finem, vt quicunque eum vſurpaverint, illo præmuniantur adverſus Diaboli inſidias & corporis morbos, æquè ſuperſtitioſum eſt, & nec à Chriſto aut Apoſtolis inſtitutum, nec in Eccleſia primitiva vſitatum. Hominis itaque Chriſtiani officium eſt, non tantum in rebus illis conſecratis nullam fiduciam collocare, ſed etiam ab illarum conſecratione magica, & conſecratarum vſurpatione ſuperſtitioſa atque idololatrica prorſus abſtinere, & beneficia iſta corporalia ac ſpiritualia à ſolo Deo expetere atque expectare, eaque non rebus iſtis brutis & inanimis, ſed ſolius Ieſu Chriſti meritis, accepta ferre, ac denique contra Diaboli vim atque inſidias non vanis iſtis amuletis, ſed verâ ac conſtanti fide, atque ardentibus ac continuis ad Deum precibus, ſe præmunire.

DISPVT. XXXIX.

De Templis.

THESIS I.

An et quatenus Templa Christianis sint necessaria?

DEVS non tantum privatim, sed etiam publicè coli debet in cœtibus & conventibus fidelium, qui in privatis ædibus, cœnaculis, horreis, atque etiam in sylvis, campis, cœmiterijs, & speluncis, aliisve locis quibuslibet non minùs religiosè quàm in Templis haberi possunt. Religio enim Christiana & vera Ecclesia sine Templis consistere potest. Præstat tamen, si Deus illorum vsum concedat, & per Magistratum liceat, certa quædam ædificia publica huic fini peculiariter extrui & destinari, quæ haud incommodè Oratoria, Templa, ædes Κυριακαὶ, id est Dominicæ, & a καταχρηστικῶς etiam Ecclesiæ appellari possunt.

a *abusivè.*

II.

Quem in finem Tẽpla erigi debeant?

Sacra hæc ædificia nunc in novo Testamento non debent erigi ad externum aliquod & propitiatorium Sacrificium Deo offerendum, cum in novo Testamento nullum habeamus Sacrificium propitiatorium præter vnicum illud D. N. Iesu Christi cruentum Sacrificium semel in cruce peractum. Neque eum etiam in finem vt Sanctorum Reliquiæ in ijs asserventur cultus gratia, aut vt in ijs Sanctorum statuæ ad cultum

collocentur. Omnem enim ejusmodi cultum Idololatricum esse, & Christianis severè interdictum, superioribus disputationibus demonstratum fuit. Legitimus verò Templorum vsus est, vt populus Christianus in ijs conveniat ad audiendam diuini verbi prædicationem, ad præces publicas, ad religiosam Sacramentorum perceptionem, & ad offerendum Deo oblationes tantum spirituales, eleemosynas scilicet, & vitulos labiorum.

III.

De forma externa, qua Templa extrui hodie in Novo Testamento debeant, in Sacra Scriptura nihil omninò præscriptum est: quemadmodum neque de materia. Quare adiaphorum planè est, sive hac, sive ista forma extruantur, modo absit superstitio, & Iudaica [b] κακοζηλία. Præstat tamen ea forma Templa ædificare, quæ principali fini, id est, verbi divini prædicationi, est accommodatissima. Superstitiosum verò est & Iudaicum cum Pontificij, ad similitudinem Templi Salomonis, vt dicunt, Templa sua in tres partes distinguunt, scilicet in πρόναον, ναὸν, & βῆμα, sive ἱερατεῖον, id est, vestibulum, navim, seu medium templum, & Sacrarium, seu chorum. Templi enim Salomonis structura fuit typus legalis, qui cum per Christum impletus sit, eum nunc cum reliquis abrogatum esse, & in Novo Testamento retineri non debere, certum est. Vt ergo ratio, commoditas, aut vsus dari non potest, quare Templis Chori nunc adjungi debeant, ita neque vlla ratio est, quare chori semper spectare & ædificari debeant ad Orientem, seu orientale Templi latus. Mera enim superstitio est, quod Pontificij oraturi

Quâ formâ Templa debeant extrui?

b *mala æmulatio.*

An Chorus semper debeat ad Orientem spectare,

& oraturi in Templis ad Chorum & ad Orientem se convertere?

facies convertant in Templis ad Chorum, & ad Orientem, quasi hic ritus preces Deo gratiores redderet. Scriptura enim Christianis hac de re nihil planè vel præscribit, vel consulit. Et Pontificij dum à Iudæis, qui oraturi Legis mandato ad Occidentem se convertebant, differre volunt non vident se Ethnicorum superstitionem iterum manifestè imitari, qui oraturi etiam ad Orientem spectabant, & nonnulli etiam Solem orientem adorabant. Æquè superstitiosum est, cum sibi persuadent Chorum reliquis Templi partibus longè sanctiorem esse, ac propterea locum illum cancellis à reliquis partibus seclusum Sacerdotibus & Cantoribus tantùm servant, exclusis Laicis, quibus in medio templi locum suum assignant peculiarem, vt minus sanctum, atque ita congregationem dirimunt. Aut cum credulo populo persuadetur, si quis in Choro sepeliatur, ac præcipuè sub altari, magnoperè hoc defuncti animæ ad peccatorum expiationem profuturum.

An Chorus sit locus reliquis Templi partibus sanctior?

IV.

Quibus Templa debeant dedicari?

An Sanctis mortuis?

Templa cum tantum ad divini cultus exercitium publicum ædificentur, in iisque Solus Deus coli atque invocari debeat, sequitur etiam soli Deo esse dedicanda. Quare Christiani Templa in honorem aut ad cultum Sanctorum extruere, aut ea Sanctis vt Patronis & protectoribus dedicare, atque hanc ob causam à Sanctis denominare sine manifesta impietate atque Idololatria non possunt. Veteres Christiani etiam Martyribus Templa non constituebant, quoniam non ipsi, sed Deus eorum illis Deus erat, & is solus ab illis in Templis colebatur. Recens extructa aut

ab Idololatriæ sordibus repurgata Templa publicis gratiarum actionibus, solemnibus precibus, & concione inaugurali, Deo, ejusque vero cultui, consecrare, atque ita à profanis locis segregare, non inutile, neque inconveniens arbitramur. Modus autem, qui hodie à Pontificijs in Templorum consecratione adhibetur, nullo Dei mandato, aut promisso, & nullo Sanctorum exemplo nititur, neque quicquam ad ædificationem facit, cum peragatur lingua ignota, & ceremonijs non tantum à superstitiosis hominibus inventis, sed etiam ludicris, ineptis, frivolis, partim Iudaicis, partim Ethnicis, & populo Christiano neutiquam decoris. Magicum verò est cum ejusmodi ritus adhibent eum in finem, vt hac consecratione Dæmones ex templis expellant, aut locis istis consecratis peculiarem quandam & efficacem sanctitatem imprimant.

An, et quomodo debeant consecrari?

V.

Preces publicæ in Templis, aut alijs locis publicis, in quibus fideles convenerunt, institui debent, vnde Templa etiam nostra* domus orationis haud incommodè appellari possunt. Privatæ etiam preces, cum domi fieri nequeunt, in Templis rectè possunt institui, modo adsit sincera veraque animi affectio, quæ in cordis arcano habitet, & facessat ostentatio, & humanæ gloriæ aucupium. Rectius tamen & commodius ex mandato & consilio Domini privatim in a cubiculis & conclavibus nostris, quàm in Templis aut alijs locis publicis concipiuntur. Cogitationes enim orantis ijs in locis magis distrahuntur, & affectio animi interna aliorum inter-

An preces privatæ in Templis fieri debeant, & ibidem sint efficaciores?

* *Esa. 56. 7.*

a *Mat. 6. 6.*

ventu aut præsentiâ, interturbatur. Sapit etiam hypocriticam Pharisæorum ambitionem, qui amabant in conventibus orare, vt apparerent hominibus. Hæc ambitio Christianos minimè decet, & à Christo expressè nobis interdicta est. Superstitiosum verò est credere preces privatas in consecratis Templis conceptas multò sanctiores, Deo gratiores, & efficaciores esse, quàm quæ alijs ex locis ad Deum funduntur, ac propterea in Templis eas concipere, quasi Deus in Templis * manufactis tantum habitaret, atque illis magis esset præsens, quàm alibi. Locus enim preces non commendat, sed precantis affectio. Neque locus preces, sed preces locum sanctificant. Quod autem in Vet. Testam. Deus promisit se exauditurum preces eorum, qui vel in Templo, vel versus locum hunc adorabant, typicum fuit, & in Christo cujus typus Templum erat, impletum est, ita vt veri adoratores nunc in Novo Testamento quovis in loco *b* Patrem in spiritu & veritate adorare, puras manus ad eum attollere, & preces Deo gratas offerre possunt.

* *Act.* 7. 48. *Isa.* 66. 1. 2

b *Ioh.* 4. 23.

VI.

An et quomodo Templa sint ornanda?

Templa, quia destinata sunt divino cultui, quem reverenter & decorè à Christianis exhiberi convenit, debent etiam sanctè & mundè haberi, neque profanis vsibus aut sordibus contaminari, aut in domum mercatus, aut latronum speluncam converti. Ornatus autem Templorum vt mundus, ita etiam simplex esse debet, qui neque luxum habeat, neque idololatriæ periculo obnoxius, esse possit: & consistit in moderata parietum, pavimenti, & subselliorum munditia,

&

& præcipuè in magna populi Christiani frequentia ad publicum Dei cultum in ijs honestè congregata. Imaginibus verò statuis, picturis, altaribus, anthematis, lampadibus, auleis, crucibus, vexillis, vasis, ciborijs, & vestibus pretiosis, splendore & luxu plane theatrico, Templa exornare, vti in Papatu hodie fit, & conspicitur, simplicitati & modestiæ Christianæ adversatur, Idololatriæ causam præbet, eamque fovet, mentes hominum superstitione implet, à spiritualibus cogitationibus abstrahit, devotionem animi imminuit, vero Dei cultui inutile, & veræ pietati noxium est: ac proinde nec à Christo mandatum, nec ab Apostolis præceptum, neque à veteribus Christianis, quamdiu inter eos simplicitas & puritas cultus divini integra mansit, vsitatum aut laudatum, sed gravissimè semper reprehensum. Sumptus illi immensi, quos Pontificij in hunc theatricum atque idololatricum Templorum ornatum expendunt, rectiùs in vivas Dei imagines, & viva Spiritus Sancti * Templa, collocantur. Christus enim in illo die non exprobrabit cuiquam, quod imagines in templis non vestiverit, aut bona sua in templorum immodicum ornatum non profuderit, sed quod c ipsi in membris suis esurienti, sitienti, & vestibus nudato cibum, potum, aut vestes non præbuerit.

* 1. Cor. 3. 16.

c Mat. 25. 44. 45.

DISP.

DISPVTAT. XL.

De Peregrinationibus, ET De Processionibus.

THESIS I.

Quotuplices sint Peregrinationes?

Civiles Peregrinationes an sint licitæ?

PEregrinationes aliæ sunt Civiles, aliæ Religiosæ. Civiles sunt, quæ instituuntur, vel ad honestam animi recreationem, quæ ex contemplatione diversarum gentium, regionum, vrbium, sylvarum, camporum, fluminum, & populorum existit, vel ad sanitatem corporis acquirendam, vel ad prudentiam civilem comparandam, vel ad negotiationem ac mercaturam exercendam, vel denique ad politica quædam negotia expedienda. Hasce peregrinationes Christianis non tantum vtiles & licitas, sed aliquando etiam necessarias esse nemo dubitat.

II.

Religiosæ Peregrinationes an sint licitæ?

Religiosæ Peregrinationes sunt, quæ cultus divini, & Religionis causa instituuntur Has omnes simpliciter non damnamus, sed quasdam fidelibus esse vtiles, quasdam etiam illis aliquando necessarias esse arbitramur. Vtiles sunt peregrinationes S. S. Theologiæ Studiosis, & S. Ministerij candidatis, vt externas Ecclesias & Academias invisant, non tantum ad civilem

prudentiam comparandam, sed etiam vt vivos sanctos, & cognitione divini verbi præstantes viros audire, ab ijs in eâdem erudiri, & variatum Ecclesiarum constitutiones perspicere, atq; hac ratione ad Religionem Christianam propagandam, & Ministerium verbi majori cum dexteritate, ædificatione, & fructu obeundum, meliùs præparari possint. Necessariæ sunt peregrinationes fidelibus, cum extra patriam Idololatricis cultibus prorsus deditâ cum * Abrahamo proficisci coguntur, vt alibi in pietate rectius instrui aut magis proficere, Deumque incontaminata conscientiâ in Ecclesiâ suâ sincere colere, & publicè sine periculo invocare queant: imprimis etiam cum persecutionis tempore, ne se idololatricis cultibus contaminent, aut periculis non necessarijs temerè objiciant, ex vnâ vrbe in aliam, aut ex vnâ regione in aliam fugere coguntur. Necessaria quoque fuit olim Apostolis peregrinatio, cum ex mandato Domini in * vniversum orbem iverunt, omnesque orbis regiones ad Religionem Christianam propagandam peragrarunt. Atque omnes hæ peregrinationes Religionis causâ institutæ, & Religiosæ appellari meritò possunt.

* *Gen.* 12. 1.

* *Mat.* 28. 19.

III.

An liceat invisere loca Sancta?

Neque etiam planè improbamus, si quis vel ex occasione, vel etiam ex destinato, invisit loca in quibus olim vel Patriarchæ, vel Prophetæ, vel ipse Christus, vel Apostoli, vel Martyres, vel alij sancti homines versati fuerunt, vt coram ea contemplando, circumstantias Sacræ Historiæ meliùs intelligere, atque eâ ratione in veritatis cognitione proficere, & ad pietatem aliquatenus

An loca in quibus Sancti olim versati sunt, aliis locis sunt sanctiora?

tenus excitari queat: modo fiat sine superstitione. Neque enim existimandum est loca illa in quibus Christus, aut alij sancti homines olim versati sunt, aut in quibus eorum sepulchra habentur, præ aliis locis in quibus Deus colitur, peculiari quadam sanctitate esse prædita, quæ preces nostras illis in locis conceptas Deo gratiores, aut nos cum illis locis versamur, aut ad illa proficiscimur, Deo commendatiores reddat. Vocantur quidem loca quædam *sancta* quando & quamdiu ijs in locis aut Deus præsentiæ suę signa aliqua ostendit, aut cultus Dei verus exercetur, sed sanctitas illa perpetuò in illis locis propterea non continuatur. Fieri enim potest, & quotidie fieri videmus, vt locus qui hanc ob causam olim sanctus fuit, in locum maximè profanum propter Idololatricos, aut alios profanos & impios abusus, commutetur. Bethel in Bethaven, & mons Maschchæ, id est, vnctionis, seu oliveti, in montem Maschchith, id est, corruptionis mutari potest. Religio vera, ejusque exercitium, commendant locum, non locus Religionem. Non Hierosolymam vidisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Tempus illud jamdudum advenit, in quo verbum Domini impletum est dicentis: Venit tempus, a quando neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis Patrem: sed veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.

a *Ioh.* 4: 23.

IV.

Quid sit sentiẽdum de Peregrinationibus Pontificijs?

Peregrinationes itaque quæ hodie in Papatu religionis causâ instituuntur, cum Hierosolymam Romam, Lauretum, Compostellam, Hallam, aut ad templa, & sepulchra Sanctorum mortuorum,

rum, aut alia quævis loca, profectiones suscipiunt, eo animo & fine, vt laborioso hoc tanquam pœnali aut pœnitiali opere pro commissis peccatis luant & satisfaciant, aut vt preces eorum illis in locis tanquam sanctioribus efficaciores sint, & faciliùs exaudiantur, aut vt ibidem Sanctis mortuis cultum aliquem votivum & religiosum præstent, eorumque opem implorent, ab ijs beneficia quædam corporalia miraculosè impetrent, aut anthemata illis suspendant, & gratias pro acceptis beneficijs agant, non tantùm vanum, invtile, superfluum, temerarium, & stultum est, sed etiam superstitiosum, & planè Idololatricum. Nam cum omnis Sanctorum cultus religiosus damnetur, non possunt etiam ejusmodi peregrinationes, quæ vt media ad talem finem adhibentur, vllo modo probari. Deus vbique adest nomen ejus rectè invocantibus, ita vt peregrina loca magno cum sumptu & periculo non necesse sit eum in finem adire. Nec devotio animi vagationibus illis augetur, sed potius extinguitur. Cœlum enim non animum mutant, qui trans mare currunt. Vbique carnem suam atque affectus circumferunt, ac sæpenumerò à longis peregrinationibus multò deteriores revertuntur. Ejusmodi itaque Peregrinationes Christianis invtiles, indecoræ, noxiæ, & illicitæ sunt: neque de ijs vllum in Sacra Scriptura mandatum, aut promissum Dei, aut vllum sanctorum hominum exemplum habemus.

V.

Quandocunque gravis aliqua nos premit necessitas, vel spiritualis vel corporalis, vel publica

An liceat Sanctis

lica

mortuis Vota præstare?

lica vel privata, ad solum Deum vindicem & protectorem nostrum, ex ejus mandato confugere debeamus precibus nostris, quibus vota de præstandâ pro liberatione gratitudine adjungere non tantùm possumus, sed etiam debemus. Vt autem hæc gratitudo Deo ritè & gratè non potest præstari suspensionibus anthematum, ambulationibus ad loca peregrina, spontaneis corporis afflictionibus, aut aliis ejusmodi nugis, sed tantum veræ pietatis & charitatis operibus, ita hæc tantum, non autem istæ nugæ Deo voveri debent. Et votum, cum sit actus religionis, qui soli Deo debetur, cumque præstetur ad testificandam gratitudinem pro acceptis beneficijs, quæ ad nos à solâ Dei benignitate promanant, apparet soli Deo, nullis autem creaturis præstari debere. Quare Pontificij cum Sanctis mortuis vota nuncupant, eum præsertim in finem, vt beneficia aliqua temporalia aut spiritualia ab ipsis vel ipsorum intercessione à Deo impetrent, atque vt hâc ratione cultum ipsis religiosum præstent, manifestam committunt Idololatriam: Ac quando Sanctis cereos, imagunculas, vestes pretiosas aut alia anthemata vovent, Ethnicam superstitionem stultè, & ridiculè imitantur, quasi Sancti mortui ijs nugis opus habeant, aut delectentur.

a 1. *Cor.* 11. 24.

Quid sit sentiẽdum de Processionibus Pontificiorum?

VI.

Panem Eucharisticum Christus mandavit in conventibus Ecclesiasticis à fidelibus manducari cum *a* gratiarum actione, non autem cum pompâ quadam theatricâ, per plateas circumgestari. Horribilis itaque institutionis divinæ est profa-

natio

natio conjuncta cùm manifestâ Idololatriâ, cum Panis ille tanquam Idolum Ethnicum splendidâ cum solemnitate & publico jubilo in supplicationibus publicis circumfertur, atque ab obvio populo religiosè adoratur. Quotiescunque Ecclesiæ aut Reipublicæ calamitas gravior & publica, puta, belli, pestis, famis, sterilitatis, inundationum, tempestatum, aut similis, à Deo immissa est, aut impendet, vtile & necessarium judicamus, vt ad iram Dei avertendam aut mitigandam, & opem ejus impetrandum, publicæ instituantur ad Deum Supplicationes: quemadmodum etiam vt pro publicis & extraordinarijs Dei erga Ecclesiam aut Rempubl. beneficijs & liberationibus, publicæ gratiarum actiones habeantur. Sed Supplicationes istæ aut gratiarum actiones non debent ad Sanctos mortuos, sed ad solum Deum viventem institui, neque peragi obambulationibus quibusdam per civitatem aut agros, in quibus panis eucharisticus, Imagines aut reliquiæ Sanctorum, funalia, aut similia quædam superstitiosè circumgestentur. Ejusmodi enim obambulationes, & circumgestationes, quas Pontificij *Processiones* vocant, nec anniversarias, nec extraordinarias Deus vspiam in N. Testamento mandavit, aut sibi gratas esse significavit, sed vanæ sunt, superstitiosæ, atque idololatricæ, quibus non tantum Iudaicæ ceremoniæ, sed ipsissima etiam Ethnicorum Sacra Amburbialia, & Ambarvalia, in Ecclesiam Christianam manifestè introducuntur. Quare non licet homini Christiano bonâ cum conscientiâ Processionibus illis Pontificijs interesse, aut eas comitatu suo celebrare. Publicè

autem

autem Supplicationes, aut Gratiarum actiones vt secundum Apostolicæ ac verè primitivæ Ecclesiæ institutum atque exemplum ritè peragantur, debet populus Christianus, cum publicis jejunijs, in sacris locis, in quibus cultus divinus exercetur, religiosè convenire, vt ibidem de veris publicarum calamitatum causis & remedijs, aut de beneficiorum divinorum magnitudine & multitudine, & debitâ gratitudine nostrâ ex verbo Dei probè institui, & pijs exhortationibus ad seriam ad Deum conversionem, aut ad gratitudinem excitari queat, ibidemque vt communibus votis publicæ ad solum Deum preces, deprecationes aut gratiarum actiones concipiantur, atque instituantur.

DISPVTAT. XLI.

De Festis Christianorum.

THESIS I.

An et quatenus dies festi sint necessarij?
a 1. *Cor.* 14 33.

DEvs cum non tantum privatim, sed etiam publicè coli debeat in conventibus fidelium, in quibus omnia decenter & ordine fieri convenit, vt confusio omnis, cujus a Deus author non est, vitetur, non tantum vtile & decorum, sed etiam quodammodò necessarium est, vt certa ac stata sint in Ecclesia tempora publicis Ecclesiæ congressibus dicata, in quibus homines ab operibus servilibus feriantes, publico Dei

cultui

cultui planè vacent, ad eumque legitimè celebrandum conveniant. Sunt autem hæc tempora vel hebdomadaria, vel menstrua, vel anniversaria: vel ordinaria: vel extraordinaria: vel V. vel N. Testamenti. Postremus seu septimus hebdomadis dies à Deo huic fini, etiam in ipso mundi exordio statim post creationem, destinatus fuit, cui instituto postea in V. Testam. accessit ceremonialis & typica rerum spiritualium adumbratio: & superaddita ex institutione divinâ alia quædam festa menstrua & anniversaria, quæ cum vmbra fuerint rerum futurarum, quæ in Christo sunt impletæ, ac propterea cum reliquis V. Test. ceremonijs typicis abrogatæ, Christiani dies & menses, & tempora, & annos observare, aut diem præ die æstimare non debent: neque quisquam *b* eos debet judicare in parte diei festi, aut novilunij, aut Sabbathorum. Mutato enim sacerdotio, legis hujus ceremonialis mutatio facta est. Quare fideles in Novo Testamento neque ad circumstantiam diei septimi; neque ad quietem illam præcisam, neque ad reliquorum Mosaicorum seu Iudaicorum festorum observationem obligantur: neque etiam festa illa Iudaica in Ecclesiam Christianam revocare debent.

An et quatenus Festa V. T. sint abrogata?

b *Col.* 2. 16.

II.

Quicquid tamen in hac Festorum institutione ἠθικὸν, seu morale est, scilicet vt aliquod certum tempus cultui divino, concionibus, precibus, & liturgijs publicis tribuatur; vt familiæ ac jumentis certum à laboribus quietis & respirationis tempus concedatur, illud perpetuò durat, & conscientias fidelium ab initio mundi ad finem vs-

An et quatenus in N. Testamento festa sint habenda et celebrāda?

que, ac propterea etiam in Novo Testamento obligat. Publica enim Dei celebratio & sanctificatio perpetuò in Ecclesia vigere debet, quæ non potest fieri nisi in fidelium à laboribus quiescentium congressibus, qui haberi non possunt sine confusione nisi statis diebus. Vt autem fideles in Novo Testamento intelligerent se à jugo legis ceremonialis esse liberatos, & discrimen esset inter Christianos & Iudæos infideles legi etiamnum frustrà addictos, Apostoli non septimum sed primum hebdomadis diem celebrandis sacris congressibus destinarunt, eumque diem propter memoriam resurrectionis Dominicæ vocarunt *Diem Dominicum*. Quod institutum vel ab ipso Christo profectum, vel saltem ab ipso approbabatum esse non obscurè patet, cum Evangelica historia testatur eum post resurrectionem hoc die in Discipulorum conventibus sæpius comparuisse. Hunc itaque diem Christiani singulis hebdomadibus divino cultui destinare, atque impendere, non tantum possunt, sed etiam debent, modò fiat sine superstitione, aut Iudaicæ necessitatis opinione.

Quare Dies Dominicus debeat observari?

III.

Præter hunc diem Dominicum non est illicitum nec libertati Christianæ omninò repugnans, si de communi Ecclesiæ consensu alij adhuc stati quidam dies in Ecclesia Christiana observentur, vel extraordinariè, vt in ijs solemnes in publicis calamitatibus Supplicationes instituantur: vel ordinariè, vt in ijs quotannis solemniter commemorentur, & celebrentur insignia quædam Dei beneficia, sive temporalia populo alicui præstita

An Ecclesia præter Diem Dominicum alia festa instituere possit, aut observare debeat?

(quam

(quam ob causam institutum olim erat festum Purim) sive spiritualia in totam Ecclesiam collata à Domino nostro Iesu Christo. Vtile enim est, & Ecclesiæ ædificationi insigniter servit, præcipuas Dei patefactiones, & maximè insignia in Ecclesiam beneficia, vt in recenti semper sint memoria, populo quotannis stato tempore repetere, & solemniter inculcare. Hunc in finem cum jam inde ab Apostolorum temporibus primitiva Ecclesia memoriam Nativitatis, Mortis, Resurrectionis, & Ascensionis Domini, & Missionis Spiritus Sancti in die Pentecostes statis diebus anniversariè celebraverit, rectè faciunt qui in hac re non tantum adiaphorâ, sed etiam ad ædificationem valdè vtili, praxin Ecclesiæ primitivę imitantur & retinent: modo ne superstitiosè diebus illis aliquam per se sanctitatem affingant, aut contra libertatem Evangelicam absolutæ necessitatis laqueum animis Christianorum injiciant.

IV.

An et quatenus dies festi N. Testamenti necessarij sint, & alijs diebus Sanctiores?

Festi hi dies non sunt in Ecclesia Christiana ita præcisè necessarij, vt simpliciter illis Ecclesia carere non possit: aut vt mutari, & in alios dies transferri non queant ob graves causas: aut vt eorum observatio nunquam omitti possit sine læsione conscientiæ, etiam extra casum scandali. Neque etiam sunt alijs diebus profestis sanctiores in se, ita vt per se sint pars cultus divini, sed tantùm respectu vsus, qui cum sit sanctus, dies illi etiam *Sancti* ab hoc vsu appellantur, quia sanctis meditationibus, studijs, exercitijs, & actibus sunt destinati, & peragi debent. Neque debent institui aut celebrari ratione mysterij

alicujus, propter quod alijs diebus per se sint sacratiores, sed tantùm ordinis & politiæ causâ ad fines supradictos.

V.

An dies festi Sanctorũ mortuorũ cultui consecrari possint?

Sanctorum Apostolorum aut insignium Martyrum memoriam anniversariam in Ecclesia historicè & dogmaticè populo ex verbo Dei, & probatissimis historijs, non autem ex fabulosis Legendis, repetere, vt eorum exemplo in fide & pietate confirmentur, non illicitum, neque inutile judicamus. Cæterùm quod Patres nonnulli sanctorum Martyrum memoriam panegyricis anniversarijs cum periculosis prosopopœijs, & apostrophis, alijsque rhetoricationibus olim celebrarint, etsi à Pontificiorum praxi longè absuerint, tamen modum in eo excesserunt, & potius ex ethnicâ imitatione, quam ex instituto divino hoc fecerunt. Ad cultum autem mortuis Sanctis religiosum præstandum, sive per invocationem, sive per theatricam statuarum exornationem aut circumgestationem, cum is sit planè idololatricus, nulli in Ecclesia Christiana, à quâ omnis Idololatria quam longissimè exulare debet, dies festi institui aut celebrari debent. Festum autem quod Pontificij vocant *Corporis Christi*, cum à Papa Romano in gratiam superstitiosæ mulierculæ sit institutum non tantùm ad monstrosum de Transubstantiatione dogma stabiliendum, sed etiam ad horribilem in Ecclesiam Idololatriam in adoratione panis introducendam, manifestè impium est, atque abominandum.

An Festum Corporis Christi in Ecclesia possit celebrari?

VI.

Memoria Resurrectionis Dominicæ vt certo anni die circa illud anni tempus, quo contigit, quotannis in Ecclesia celebretur, ædificationis & ordinis ratio postulat, sed nulla est solida ratio, quare vel hoc potius vel illo die, puta vel decimâ quartâ Lunâ post æquinoctium vernum, sive in ipso pleni-lunio verni æquinoctij, vel dominicâ primâ proximè sequente post illud plenilunium, præcisè & necessariò observari debeat. Quare Victor Episcopus Romanus ob hanc rem adiaphoram injustè olim Ecclesias Asiaticas excommunicavit, & Ecclesiam funesto, & minimè necessario scismate turbavit. Quartadecimani etiam, etsi circa hanc illius festi adiaphoram circumstantiam fuerint olim superstitiosiores, immeritò tamen propterea pro Hæreticis habiti fuerunt.

An Papa Romanus rectè olim Ecclesias Asiaticas excommunicaverit propter celebrationē diversam diei Paschatis?

DE SACRAMENTIS.

DISPVT. XLII.

De Sacramentorum Naturâ.

THESIS I.

Quid sint Sacramenta?

SACRAMENTA, quæ vsitatâ in Ecclesiâ voce ita Latinè vocantur, sunt sacri & visibiles ritus externi à Deo in Ecclesiâ circa certa quædam externa elementa, seu res terrenas visibiles, præscripti, verbique ejus prædicationi annexi, vt secundum institutionem Dei à verbi divini Ministris legitimè administrati, & à fidelibus piè vsurpati, Signa sint & Sigilla, quibus Deus promissiones gratuiti fœderis de remissione peccatorum in verbo revelatas fidelibus declarat & obsignat, ad fidei ipsorum confirmationem: ipsique vicissim ad fidem & pietatem suam testandam ac fovendam, se Deo ad fidei obedientiam obstringunt, atque hac ratione à non fœderatis publicè discernuntur. Atq; hæc definitio omnibus tam Veteris quàm Novi Testamenti Sacramentis est communis.

II.

Quoniam autem Sacramenta hæc, promissiones

An solus Deus habeat potestatem instituendi Sacramenta?

siones Evangelij, quas solus Deus promittit & confert, significant & obsignant: & ad cultum divinum, cujus regulam præscribere solius Dei est, pertinent, à solo Deo tantùm possunt institui. In omni itaque Sacramento requiritur necessariò divina institutio, quæ continetur gemino verbo, Mandati, quo præscribitur legitima Sacramenti tum administratio per Ministrum, tum perceptio à fidelibus: & Promissionis rei signatæ in vsu legitimo. Horum si primum desit, non erit fœderis Signum, si secundum, non erit fœderis Sigillum. Atque hæc institutio divina omnium Sacramentorum verbo Dei scripto, a quod hominem Dei, seu Ministrum Evangelij, ad omne opus bonum perfectè instituit, perspicuè continetur: adeò vt tantum pro Sacramentis genuinis sint habenda, quæ Scriptura disertè testatur à Deo ipso & Domino nostro Iesu Christo esse instituta: ac quicquid ad doctrinam Sacramentariam spectat, ex sola Sacra Scriptura non autem ex vllis non scriptis Traditionibus eruendum sit, & confirmandum.

An institutio divina omnium Sacramentorum in verbo Dei scripto contineatur?
a 2.*Tim.* 2.17.

III.

Quæ & quotuplex sit materia Sacramentorum?
b *eorum quæ ad aliquid sunt.*

Materia Sacramenti est elementum externum, & tota illa externa ac mystica circa hoc elementum tum administrantis Ministri, tum percipientis fidelis actio: quod elementum & quæ actiones cum Signa sint rerum spiritualium, & signa omnia, ex naturâ *b τῶν πρός τι*, rerum signatarum vel significatarum sint signa, hinc fit vt in omni Sacramento duplices semper Res sint considerandæ: *Res terrena*, quæ est signum; & *Res Spiritualis* seu *Cælestis*, quæ signatum. Hæ

An Sacramenta sint tãtùm nuda Signa?

autem duæ Res in vsu legitimo ita sunt conjunctæ, vt fideles non nuda tantùm signa percipiant, sed vtrumque & signum & signatum simul, tametsi non similiter. Hoc enim fide tantum, illud verò corporeis organis & sensibus percipitur.

IV.

Quæ & quotuplex sit forma Sacramētorum?

Consecratio quomodo fieri debeat?

Quæ sit ejus efficacia?

c participationem.

Vnde ejus dignitas, aut vis pendeat?

Forma Sacramentorum duplex est: externa, & interna. Forma externa consistit in legitimâ eorundum, secundum institutionem Dei, administratione ac perceptione. Administratio legitima competit solis Verbi divini, cujus appendices sunt Sacramenta, Ministris, qui vt illa secundum institutionem Dei legitime administrent, debent prius symbola illa externa non conceptis quibusdam super elementa muta demurmurationibus, sed clarâ & intelligibili recitatione atque explicatione tum vtriusque hujus verbi & Mandati & Promissionis, tum finis atque vsus legitimi, atque invocatione nominis divini, sacro huic vsui destinare, ac quasi consecrare: atque ita consecrata fœderatis exhibere. Hac consecratione vsus quidem naturalis externorum Symbolorum mutatur in supernaturalem & mysticum, sed nulla fit vel essentiæ illorum per c *μετουσίαν*, vel insitarum qualitatum per novæ qualitatis infusionem mutatio. Quare consecrationi huic vim ejusmodi occultam ac mirificam attribuere, atque eum in finem præscriptis quibusdam consecratorijs verbis, quæ nec mutare, nec quibus analoga substituere liceat, præcisè eam alligare, non tantùm superstitiosum, sed etiam magicum est. Dignitas autem atque efficacitas hujus consecrationis non pendet à dignitate Ministri,

ſed ab inſtitutione divinâ, ſi cum eâ conveniat: etſi Miniſter fortè nec internam fidem & probitatem, nec etiam intentionem debitam habeat. Requiritur tamen ex inſtitutione divinâ in Miniſtro externa fidei profeſſio, & vita non omninò flagitioſa, ſine quâ nec Miniſter Verbi eſſe poteſt, ac proinde nec Sacramenta adminiſtrare.

An ab intentione Miniſtri?

V.

Forma interna Sacramentorum conſiſtit in relatione Signi ad Rem ſignatam, ſeu in ordinatione ſigni externi ad gratiam fœderis divini tum convenienti analogiâ ſignificandam, tum certò obſignandam, atque exhibendam. Quæ relatio cum Signum & Signatum tanquam duos terminos inſtar vinculi cujuſdam conjugat, hinc exiſtit Vnio Sacramentalis, quæ non eſt *d* *οὐσιώδης*, phyſica, aut localis, ſed tantùm *e* *σχετικὴ*. Ex quâ vnione iterum exiſtit Prædicatio Sacramentalis in Sacrâ Scripturâ vſitata, quâ nomina & attributa Signi & Signati *f* *μετωνυμικῶς* inter ſe permutantur.

Quæ ſit forma Sacramentorum interna?

d *eſſentialis.*

e *figurativa?*

Quæ ſit vnio Sacramentalis?

f *per metonymiam.*

VI.

Finis Sacramentorum non eſt vt ſint cauſæ efficientes, ſeu organa effectiva gratiæ regenerantis & juſtificantis, ſed vt ſint ejuſdem gratiæ illuſtris declaratio, & efficax obſignatio: noſtræque pietatis in Deum, charitatis in proximum, & profeſſionis publicæ teſtificatio. Quare ad promovendam ſalutem noſtram vtilia eſſe media vltrò profitemur, quæ à nobis non debeant temerè negligi aut ſperni, ſed piè & legitimè, cum haberi poſſunt, vſurpari: non tamen ita ſim-

Quis ſit finis Sacramentorum?

An Sacramenta ſint præciſè ad ſalutem neceſſaria?

pliciter & præcisè ad salutem esse necessaria arbitramur, vt sine eorum, ac nominatim sine Baptismi vsurpatione ad salutem æternam nemo pervenire possit. Non enim sola carentia sed contemptus Sacramentorum damnat. Neque Salus externis signis, sed Rei per ea significatæ attribui, aut alligari debet.

DISPVTAT. XLIII.

De Sacramentorum numero, Effectis, & Ceremoniis.

THESIS I.

Quotuplicia sint Sacramenta? SAcramenta alia sunt initiationis seu receptionis in fœdus, alia continuationis in eodem. Vtraque sunt aut Veteris aut Novi Testamenti. Sacramenta V. Testam. propriè dicta sunt tantum duo, Circumcisio, & Pascha. Hæc Sacramenta non tantum gratiam justificantem, vt typi adumbrarunt, sed etiam efficaciter, vt a σφραγῖδες justitiæ fidei obsignarunt: quare etsi à Sacramentis N.T. ritibus & signis externis, objecti amplitudine, & duratione, & modo significandi, qui in V. Testam. obscurior fuit, & typicis significationibus permixtus, alijsque circumstantiis differant; tamen quod ad substantiam, autorem, rem significatam, vsum legitimum, & finem principalem, cum Sacramentis Novi

Quod sit discrimen inter Sacramenta V. & N. Testamenti?

a sigilla.

Testa-

Testamenti, eadem sunt & conveniunt. Non enim nostrorum Sacramentorum, sed Christi, ejusque beneficiorum typi fuerunt. Fideles in V. Testam. *b* eandem nobiscum escam spiritualem ederunt, & potum spiritualem biberunt. Eundem itaque effectum habent vtraque tam V. quàm N. Testamenti Sacramenta, ejusdem fœderis signacula, eandemque rem significant, exhibent, atque obsignant.

b 1. *Cor.* 10,3. 4.

II.

Quot sint Sacramenta N. Testamenti?

In Ecclesiâ Novi Testamenti à Domino nostro Iesu Christo, cui soli hoc jus competit, etiam duo tantum Sacramenta sunt instituta, scilicet Baptismus, quo fœderati in Ecclesiæ communionem cooptantur, & Cœna Dominica, quâ fideles in domo Dei quasi aluntur atque educantur. Illud insitionis & regenerationis, hoc spiritualis nutritionis symbolum est. Hæc duo ad spiritualis vitæ initium & progressum significandum sufficiunt. Atque his duobus etiam tantùm Sacramenti definitio competere potest. Pœnitentiam à Deo mandatam, & omnibus Christianis ad salutem necessariam esse, Ordinem Ministrorum ad Ecclesiæ ædificationem in verbo Dei præscriptum, & Matrimonium sanctam Dei institutionem libenter agnoscimus: neque diffitemur Apostolos, aliosque illorum tempore sanationum dono præditos, cum illud in Ecclesiæ Novi Testamenti primordijs adhuc vigeret, in curandis corporum morbis Vnctionem olei adhibuisse: existimamus etiam omninò requirere ædificationem Ecclesiæ, vt Baptizati in fide susceptâ pijs institutionibus, admonitionibus

An Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, Vnctio, & Confirmatio sint Sacramenta?

bus, ac precibus confirmentur: Sed Pœnitentiam, Ordinem, Matrimonium, Vnctionem extremam, & Confirmationem Sacramenta esse Novi Testamenti à Christo instituta pernegamus.

III.

Quæ sit efficacia Sacramentorum?

Sacramenta, quia & Signa & Sigilla sunt gratiæ Evangelicæ, in vsu legitimo magnam quidem & singularem habent efficaciam, tum evidenter significandi, tùm etiam firmiter obsignandi gratiam fœderis de remissione peccatorum: sed non sunt causæ efficientes, aut organa energetica hujus gratiæ, ita vt sua vi, & ex opere, vt loquuntur, operato virtutem habeant divinam à peccatis animam purgandi, & gratiam justificationis conferendi. Fideles enim ante vsum Sacramentorum hanc gratiam omninò habent: neque ad Sacramentorum vsum accedere debent, qui eam gratiam pro ætatis modo non habent, neque admittendi sunt, qui eam non haberi meritò præsumuntur. Quare externæ actioni Sacramentali hanc vim divinam attribuere non tantùm absurdum est, sed etiam planè impium. Sacramenta enim hâc ratione in Idola manifestè transformantur. Illud verò imprimis ac multò magis ab omni ratione & pietate alienum est, quod Pontificij addunt, Sacramenta ex opere vel operantis, vel operato, hanc vim exercere in omnibus illis, qui externam hanc actionem percipiunt, etiam in ijs qui fide & pietate vacui sunt, modò in ipso actu mortalis peccati obicem non ponant, hoc est, non planè sint impij. Scriptura enim apertissimè testatur nos Christi ejusque gratiæ justificantis non nisi *e* sola fide participes fieri,

An gratiam justificationis ex opere operato conferant?

e *Gal.* 2. 16.

fieri, atque impossibile esse vt vlli homines eorumve actiones sine fide Deo placere possunt.

IV.

An quadi N. Testam. Sacramenta habeant vim imprimendi characterem aliquem indelebilē?

Legitimo Sacramentorum vsu certitudinem divinæ gratiæ ita obsignari, vt illa quasi animis fidelium imprimatur, & fœderatos à reliqua hominum à fœdere alienorum multitudine secerni, vltrò concedimus: Sed nonnullis N. Testamenti Sacramentis præterea peculiarem adhuc quandam & indelebilem internam qualitatem animæ percipientis imprimi, quâ homo ad cultum Dei idoneus efficiatur, Christo conformetur, & ab alijs discernatur, & quæ per apostasiam, hæresin, aut quodvis aliud peccatum deleri nequeat, quam vocant *Characterem indelebilem*, commentum est hominum nugacium, ab errore superiore profectum, & Sacræ Scripturæ prorsus incognitum. Neque hæc est illa causa, quare Baptismus non iteretur, sed longè alia, quæ in sequentibus disputationibus explicabitur.

V.

An Sacramentum vnum dignius sit altero?

Sacramenta omnia cum ab eodem Deo, eundem in finem, sint instituta, eandem rem signatam significent & obsignent, eâdem mandati formâ & ejusdem generis hominibus, scilicet fœderatis, præscribantur, omnium ijdem sint effectus, & omnium profanationes eâdem pœnâ à Deo vindicentur, sequitur omnia etiam in se paris esse dignitatis & excellentiæ. Quare Baptismus ordine quidem temporis sed non dignitatis Cœnam Dominicam antecedit, atq; hæc vicissim nullas ob causas Baptismo dignior censeri potest. Hæc

autem

autem duo, Ordinem, Matrimonium & reliqua Pontificiorum fictitia Sacramenta dignitate superare facilè concedimus, cum ista ne quidem pro Sacramentis agnoscamus.

VI.

Ceremoniæ Sacramentorum an sint necessariæ? Quotuplices sint?

d *ordinis.*

An Essentiales Ceremoniæ mutari possint? An et quatenus Ecclesia potestatem habeat instituendi ritus Sacramentales?

An ritus illi sint adiaphori?

Sacramenta sunt non tantùm externa illa visibilia elementa, sed etiam visibiles ritus circa illa elementa secundum institutionem Dei vsurpati, quare absque ritibus & ceremonijs sacra hæc mysteria peragi non possunt. Ceremoniæ quibus Sacramenta administrari debent, aliæ sunt Essentiales, quæ ad Sacramenti essentiam pertinent, vt partes essentiales: aliæ sunt Accidentales, quæ tantùm decori atque *εὐταξίας* causâ, circa administrationem Sacramentorum adhibentur. Ceremonias essentiales non habemus ex vllis Traditionibus non scriptis, sed omnes eas Deus in verbo suo disertè expressit, easque præcisè vsurpandas præcepit, adeò vt nulli mortalium liceat vel ijs aliquid addere aut demere, vel eas immutare, aut pro libitu omittere, vel earum loco novas substituere. Accidentales verò ceremoniæ, quæ tantum circumstantias aliquas spectant, & ordinis ac decori gratia observantur, planè sunt adiaphoræ, & ita liberæ, vt Ecclesia pro circumstantiarum varietate ad ædificationem eas possit accommodare, instituere, atque immutare, & fideles extra scandali & contemptus casum liberè eas omittere possint. Cavendum itaque diligenter est ne cum Pontificijs affingamus hisce accidentalibus ritibus opinionem præcisæ necessitatis, aut meriti, aut virtutis alicujus spiritualis adversus peccata & Dæmones, aut ne

nimiâ pompâ simplicitatem Sacramentorum in superstitiosam & theatricam actionem commutemus. Sacramenta quia sunt appendices Verbi, quod linguâ cognita prædicari debet & non sunt nisi cum institutionis & promissionis divinæ recitatione atque explicatione administranda, vt populus rectum eorum vsum intelligat, sequitur ædificationem omninò requirere vt linguâ populo cognitâ administrentur.

An Sacramenta linguâ incognitâ possint administrari?

DISPVTAT. XLIV.

De Baptismo.

THESIS I.

BAPTISMVS est primum Novi Testamenti Sacramentum divinitus institutum, quô fœderati per Ministrum aqua abluuntur in nomen Patris, Filij, & Spiritus Sancti, vt hoc ritu gratia salutaris fœderis divini de remissione peccatorum, & regeneratione spirituali, à Deo ipsis significetur atque obsignetur; ipsique in communionem fœderis cooptati, & ab infidelibus discreti, vicissim Deo ad cultum & obedientiam obstringantur.

Quid sit Baptismus?

II.

Baptismum ex institutione Dei tantùm debent administrare Ministri Ecclesiæ legitimè vocati ad Evangelij prædicationem, cui Baptismi ad-

Qui Baptismum administrare debeant?

An possint Laici, Obstetrices, aut infideles, in casu necessitatis?

administratio annexa est, tanquam pars propria ministerij illius. Laici itaque & merè privati homines hanc partem liturgiæ publicæ, ad quam vocati non sunt, obire non possunt ex ordinatione divina: multò minus mulieres, quibus sacrorum officiorum tractatio in Ecclesia speciatim interdicitur; aut infideles non baptizati, qui mysteria religionis nostræ non intelligunt, eoque nec dispensare possunt. Periculum autem damnationis, quod ex sola Baptismi carentia immineat, cum nullum sit, nulla etiam necessitas dari potest ordinationem Dei violandi, cui obedire magis est necessarium, quàm populari indulgere ignorantiæ.

III.

Qui sint Baptizandi?

Administrari debet Baptismus omnibus & solis Fœderatis, quorum alij sunt adulti, alij infantes ex parentibus fœderatis, aut saltem ex alterutro fœderato nati. Infantibus his Baptismum competere atque administrari debere, etiam sine Traditionibus non scriptis ex ipsâ Sacrâ Scripturâ abundè atque evidenter adversus Anabaptistas demonstrari potest. Infantes autem etsi habitu fidei agentis careant, ac fidem actualem non habeant, tamen inter positivè Infideles non debent censeri: idque non idcircò, quod fidem actualem in Baptismo accipiant, vel quod dici possint credere alienâ fide, scilicet Ecclesiæ vel Susceptorum: sed quia fidem habent actu primo, in radice & semine, atque interna Spiritus Sancti virtute. Campanas verò, vel alias res inanimatas, baptizare, horribilis est & magica divinæ institutionis prophanatio.

An Paidobaptismus ex S. Scripturâ probari possit?

An et quomodo Infantes fidem habeant?

An campanæ possint baptizari?

IV

IV.

Præceptum de suscipiendo Baptismo omnes & singulos fœderatos adeò obligare fatemur, vt Baptismus ab iis sine gravi peccato contemni aut negligi non possit, sed externum tamen Aquæ Baptismum non existimamus tam absolutè & simpliciter ad salutem respectu omnium & singulorum, esse necessarium vt vel sola ejus privatio aut carentia, nullâ suâ culpâ admissa, hominem damnet, ita vt omnes infantes non baptizati omninò æternâ morte sint puniendi. Gratia enim Dei salutaris, quæ pendet à gratuito Dei beneplacito, non est alligata terrenis elementis, sed eam Deus immediatâ atque extraordinariâ ratione conferre potest quando & quibus illi placuerit. Sicuti igitur in V. Testam. non omnes incircumcisi, quales erant omnes fidelium Infantes ante octavum diem morientes, fuerunt damnati, ita neque in Novo Testamento infantes fidelium, quibus Christus regnum cœlorum promisit, sine Baptismo discedentes ex hac vita, propterea damnationi æternæ obnoxij erunt. Hoc enim vt à bonitate Dei alienum est, ita promissioni ejus directè adversatur. Quare statuere peculiarem aliquem locum post hanc vitam infantibus fidelium sine Baptismo morientibus destinatum, in quo pœnam æternam non sensus sed damni ferant, purum putum est cerebri humani commentum, Sacræ Scripturæ non tantum incognitum sed etiam contrarium.

An externus Aqua Baptismus præcisè ad salutem sit necessarius?

An sit Limbus aliquis infantum sine Baptismo mortuorum?

V.

Præcipuus Baptismi effectus est vt in ani-

Quis sit effectus Baptismi?

An Aqua Baptismi vim habeat peccata delendi?

An Baptismus etiam obsignet remissionem peccatorū post Baptismū admittendorum?

a 1 *Joh.* 1. 7.

mis fidelium gratia Dei salutaris in Evangelio revelata efficaciter obsignetur. quæ gratia duplex est, Remissionis, seu ablutionis peccatorum per sanguinem Christi, & Regenerationis inchoatæ & ad finem continuandæ per spiritum ejus. Externo autem Aquæ lavacro ex sola vi operis operati, etiam sine fide & bono motu vtentis, ascribere virtutem & efficaciam, omnem peccatorum culpam & pœnam delendi, gratiam ac justitiam quâ homo verè & formaliter justificetur & sanctificetur conferendi, est divinam & propriam rei signatæ virtutem atque efficaciam externo signo attribuere, atque ita ex Signo merum Idolum fabricari. Remissio autem peccatorum non tantùm ante Baptismum admissorum, sed etiam omnium totâ vitâ admittendorum, fidelibus in Baptismo obsignatur. Sicut enim a Sanguis Christi nos purgat ab omni peccato, ita Aqua Baptismi, quæ sanguinis hujus signum est, purgationem omnium peccatorum nobis obsignat. Vt à peccatis omnibus simul & semel justificamur. ita hoc sigillum justitiæ fidei semel collatum justificationem ab omnibus peccatis obsignat. Ad consequendam peccatorum post Baptismum admissorum remissionem gratiâ aliâ, quam quæ in Baptismo obsignatur, nec opus est, nec alia dari potest. Quare sanguinis & meritorum Christi vim evacuant Pontificij, cum docent ijs qui post acceptum Baptismum mortaliter peccaverint, gratiam in Baptismo obsignatam non prodesse, sed peccata graviora post Baptismum admissa non nisi per satisfactionem nostram pœnitentialem, quæ tanquam secunda post naufragium sit tabula, deleri. Regenerationis gratia, quæ in Baptismo

obsignatur,

obsignatur, fideles verè quidem regenerat, & tandem aliquando perfectè regenerabit, sed in hâc vitâ eos non reddit planè perfectos aut impeccabiles, sed regenerationem in hac vitâ in ijs verè inchoat, eamque indies magis magisque perficit, ita vt Concupiscentiæ dominium in fidelibus quidem extinctum sit: ipsa tamen, licet enervata, in ijs post Baptismum adhuc superstes maneat, & non tantum pœna, & causa peccati, sed etiam peccatum propriè appellari possit. Alter Baptismi effectus est solemnis nostra ad fidem & pietatem Christianam obligatio, per quam non tantum à jugo Legis Mosaicæ, sed etiam humanarum Traditionum liberamur, & ad solius Dei obedientiam & cultum communi voto nos obstringimus.

An concupiscentia post Baptismum superstes sit peccatum?

Quam libertatem per Baptismum obtineamus?

VI.

Baptismus à Iohanne Baptista administratus, quo etiam ipse Dominus noster Iesus Christus tingi voluit, & quo Apostoli procul dubio baptizati fuerunt, licet respectu certarum quarundam circumstantiarum aliquatenus à Baptismo Christi & Apostolorum possit distingui, tamen quoad substantiam nullum inter vtrumque est discrimen. Fuit enim & ille divinitùs, b ἐξ οὐρανοῦ, institutus, habens eandem materiam & formam, & eundem in finem administratus. Nam & Ioannes c baptizavit Baptismo resipiscentiæ, in remissionem peccatorum, dicens populo, vt in eum qui venturus erat post ipsum, crederent, hoc est, in Christum Iesum: & qui illum Ioannem audierunt, baptizati fuerunt in nomen Domini Iesu. Quare Baptismus Ioannis idem fuit cum

An Baptismus Ioannis eandem efficaciam habuerit cum Baptismo Christi?

b *cælitus.*

c *Act.19.4*

Christi & Apostolorum Baptismo Novi Testamenti Sacramentum, eandemque habuit, licet non pari gradu, significationem atque efficaciam: adeò vt qui à Iohanne baptizati fuerunt, neque à Christo, neque ab Apostolis sint rebaptizati, aut rebaptizari debuerint.

DISPVTAT. XLV.

De Baptismi Ceremonijs.

THESIS I.

Quæ in Baptismi administratione præcipuè sint consideranda?

CVm Sacramenta sint ritus sacri circa externa quædam elementa ex institutione divina vsurpati, vt in cujuslibet Sacramenti, ita etiam in Baptismi administratione duo hæc præcipuè consideranda veniunt. Primum est, quænam Elementa sint vsurpanda; Secundum, quibus Ceremonijs circa hæc elementa sit vtendum.

II.

An pro Aqua aliud elementum substitui possit?

Elementum in Baptismo vsurpandum est simplex & pura Aqua elementalis, pro quâ, vbi haberi potest, aliud externum signum substituere nobis non licet: tametsi in rarissimis & extraordinarijs casibus, vbi aqua nulla haberi potest, alium aliquem liquorem, eundem cum aqua vsum habentem, & aquæ maximè analogum, substitui posse non planè negemus. Oleum verò, Sal, &

Sputum nec Christus mandavit in Baptismo adhiberi, nec ab Apostolis eorumque discipulis vnquam adhibita fuerunt. Quare etiam ista ab hominibus superstitiosis inventa additamenta, cum divinam institutionem violent & profanent, in Baptismi administratione sunt omittenda.

An Oleũ, Sal, et Sputũ in Baptismo adhibenda?

III.

Ceremoniæ, seu actiones sacræ circa hoc elementum, sunt vsurpandæ, vel à Ministro Baptismum administrante, vel à Fœderato eundem recipiente: vtræque sunt aut essentiales & necessariæ, aut adiaphorę quę ordinis & decori causa adhibentur, & extra casum scandali sine conscientiæ scrupulo liberè observari aut omitti possunt. Actiones Ministri administrantis sunt præcipuæ atque essentiales hæ duæ: Sanctificatio Aquæ, & Ablutio externa corporis per Aquam sanctificatam. Sanctificatio Aquæ fieri debet per recitationem atque explicationem institutionis divinæ, & per nominis divini invocationem linguâ cognitâ, quibus Aqua ad sacrum hunc vsum destinatur, & quasi consecratur. Consecratio autem hæc non est certis quibusdam & conceptis verbis præcisè alliganda, neque eum in finem adhibenda, vt consecratorijs hisce verbis divina quædam peccata delendi virtus elemento huic imprimatur. Quare, quæ hodie in Papatu fit consecratio aquæ Baptismalis, illa nec à Christo est instituta, nec ab Apostolis vsurpata, sed superstitiosa, atque etiam magica.

Quotuplices sint Ceremoniæ Baptismi?

Quæ sint Ceremoniæ à Ministro vsurpandæ? An et quomodo Aqua Baptismi debeat consecrari?

IV.

Ablutio corporis externa per Aquam, cere-

Quomodo Ablutio debeat fieri? An per Immersionem? An per Aspersionem? An trina immersio sit præcisè necessaria?

monia est Baptismo planè essentialis: sed modus ejus est adiaphorus. Fieri enim potest vel per immersionem in aquam, quæ olim, præsertim in Iudæa, & aliis regionibus calidioribus, vsitatior fuit, sed sub frigido hoc climate, præsertim in tenellis infantibus, vix sine valetudinis periculo fieri potest. Vel etiam per Aspersionem aquæ, seu *ῥάντισμον*. In vtroque enim ritu essentialis & propria Baptismi analogia servatur. Trina etiam vel vnica Immersio vel Aspersio planè indifferens est, modo fiat sine scandalo, & superstitione. Minister cum Ablutionem instituit, debet etiam clarâ verborum aliquorum pronuntiatione declarare, istum hominem, cujus nomen eum in finem proferri etiam convenit, ex institutione divinâ baptizari. Hæc declaratio non est certæ alicui verborum aut syllabarum formulæ præcisè astricta, ita vt nomina singularum Sanctæ Trinitatis personarum necessariò semper sint exprimenda; Christi enim institutio hoc præcisè non requirit, & Apostoli etiam in nomen Christi baptizasse leguntur. Præferimus tamen & servamus, vt institutioni divinæ convenientissimam, vsitatam in Ecclesijs formulam: *Ego te* N. *baptizo in nomen Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

An nomina singularum S. Trinitatis personarum in Baptismo necessariò sint exprimenda?

V.

Quæ ceremonia à fœderatis Baptismũ recipientibus sint vsurpanda?

Fœderati Baptismum recipientes aut sunt Adulti, aut Infantes. Adulti antequam Baptismum recipiant, debent prius in Fide Christianâ probè institui atque explorari, peccatorum & fidei confessionem edere, ac deinde Aquæ ablutionem in corpore suo admittere. Infantes autem ad recipiendam Aquæ ablutionem vel à Pa-

rentibus,

rentibus, vel à Susceptoribus oblati infantis in Religione Christianâ educationem promittentibus, offerri debent. Susceptores autem, seu, vt vocant, Patrimos ad Baptismum adhibere etsi non inutile est, non tamen est necessarium. Ridiculum verò & stultum est, quod Pontificij faciunt, ab Infantibus aut eorum Susceptoribus quærere, an Infantes credant, & Satanæ abrenuntient.

An Patrimi necessariò adhibendi?

VI.

Reliquæ Ceremoniæ, quas Pontificij magno numero addunt & quæ administrationem Baptismi vel antecedunt, vel comitantur, vel subsequuntur, quales sunt: Exorcismus & Exsufflatio, quibus Dæmones ex fidelium infantibus expellere, & bonum Spiritum ijs afflare sibi persuadent, gustus salis, efformatio signi crucis in pectore, fronte & alibi, tactio aurium & narium cum saliva, vnctio in pectore & scapulis, vnctio Chrismatis in vertice, delibatio lactis & mellis, osculum pacis, cereus accensus, vestis candida, & si quæ sunt similia, non sunt ex institutione divina, neque ab Apostolis, eorumque discipulis vsurpatæ, sed sunt superstitiosorum hominum inventa, quibus institutio divina violatur, & simplicitas Apostolica fœdè commaculatur: & nugę, quæ nulla probabili ratione defendi possunt, sed multiplicem in animis hominum superstitionem ingenerant. Ac proinde in Baptismo adhiberi non debent, neque vt Ceremoniæ adiaphoræ cum ædificatione servari possunt.

Quid sit sentiendũ de Exorcismo, Exsufflatione, signo crucis, & cæteris ceremonijs Pontificijs?

DISPVT. XLVI.

De Confirmatione.

THESIS I.

Impositio manuum, quomodo, & quem in finem, ab Apostolis vsurpata?

CEremonia Impositionis manuum in Novo Testamento ab Apostolis, eorumque discipulis, quamdiu donum miraculorum in Ecclesiâ viguit, vsurpata sæpius fuit, ad visibilia illa atque admirabilia Spiritus Sancti dona, quæ ad doctrinæ Apostolicæ confirmationem miraculosè in eos, quibus eum in finem manus imponebantur, fuerunt aliquandiu effusa, conferendum & distribuendum. Hæc dona quia ad tempus tantum in Ecclesia viguerunt, hodieque vt Ecclesiæ non amplius hoc modo necessaria cessarunt, etiam ritus ille eum in finem nec debet servari, nec potest adhiberi. Eâdem ceremoniâ Ministri verbi divini sancto Ecclesiæ Ministerio inaugurabantur: quem in finem ritum hunc in Ecclesiâ servare, licet adiaphorum, non tamen indecens aut inutile arbitramur.

II.

Quomodo & quem in finem in primitivâ Ecclesiâ?

Laudabilis etiam fuit consuetudo in Ecclesiâ primitivâ vt Catechumeni & Christianorum liberi in fidei mysterijs jam probè instituti, sub finem pueritiæ, aut ineunte adolescentiâ, à parentibus suis repræsentarentur Ecclesiæ Pastoribus, vt secundum formulam Catechismi examinati, & fidem Christianam professi pijs exhortatio-

nibus

onibus & precibus in susceptâ fide *confirmarentur.* Cui actioni vt plus reverentiæ ac dignitatis accederet, puer ille, fide suâ approbatâ, plerumque cum manuum impositione, & solemni benedictione dimittebatur. Hanc consuetudinem non tantùm non improbamus, sed etiam vt laudatissimam & Ecclesiæ ædificationi vtilissimam in purum vsum restitutam optamus.

III.

An sit Sacramentũ Novi Testamenti?

Hanc tamen Impositionis manuum ceremoniam, sive qua Ministri in functione sua, sive qua pueri in fide confirmantur, negamus esse Sacramentum Novi Testamenti propriè dictum, Non enim est à Christo Ecclesiæ præscripta, vt esset gratiæ de remissione peccatorum per sanguinem Christi sigillum, ad promissiones fœderis divini obsignandas, sed ritus est adiaphorus, symbolum quidem faustæ precationis, benedictionis, & assistentiæ divinæ, sed non sigillum justitiæ fidei. Hunc itaque ritum in Sacramentum Ecclesiæ perpetuum & ordinarium nulli mortalium licet commutare.

IV.

Qualis sit Pontificiorum Cõfirmatio?

Multò minus agnoscere possumus pro vero Novi Testamenti Sacramento Ceremoniam illam Pontificiorum, qua inflicta in faciem alapa, chrismа quoddam ex oleo & balsamo confectum, & ridiculis quibusdam ritibus ab hominibus excogitatis consecratum, frontibus catechumenorum illinunt, in formam crucis, cum hac verborum pronunciatione: *Consigno te signo*

sancta

sanctæ crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & frontem ita illitam fascia obligant: quam ceremoniam vocant *Confirmationem*. Nusquam enim Christus talem ceremoniam Ecclesiæ præscripsit, neque vllum ejus exemplum in historia sacra dari potest. Sed tota hæc cum istius chrismatis consecratio, tum actio ludicra, inane est hominum superstitiosorum commentum, superstitiosis, idololatricis, & magicis abusibus plenum, quo Satan Baptismum à Christo institutum, & genuinam puerorum catechizationem effectu suo spoliare conatur.

An sit Sacramentũ Novi Testamenti?

V.

An virtutem habeat spiritualẽ gratiam conferendi?

Quare huic ludicro hominum invento tribuere efficaciam peccata remittendi, & multò majorem gratiam spiritualem, quàm quæ per Baptismum obsignetur, conferendi: adeò vt Spiritus Sanctus in Baptismo tantum detur ad innocentiam, in hoc verò ritu ad gratiæ augmentum: in Baptismo tantum regeneremur, in hoc ritu ad pugnam contra Diaboli insultus singulari fortitudine ac robore instruamur; atque vt denique Baptismus sine hoc ritu perfici non possit: non tantùm Scripturæ incognitum, & contrarium est, sed etiam blasphemum atque idololatricum, quia divinæ & propriæ Spiritus Sancti operationes ceremoniæ humanitus excogitatæ attribuuntur, quod sine atroci Spiritus Sancti injuria, & sine manifesta idololatria, aut grandi sacrilegio fieri non potest.

VI.

Hanc Confirmationis Ceremoniam cum Pon-

tificij inter Novi Testamenti Sacramenta numerent, mirum est cur Presbyteros suos in verbo etiam laborantes, ab ejus administratione arceant, eamque solis Episcopis, qui ita vulgò vocantur, concedant. Deus enim omnibus, quibus verbi sui prædicationem commisit, iisdem etiam etiam Sigillorum verbi administrationem concredidit. Quare nullum etiam potest esse Sacramentum Verbi prædicationi annexum, quod quilibet Verbi Minister legitimè ad prædicandum vocatus non possit administrare.

A quo sit administranda?

DISPVTAT. XLVII.

De Cœna Domini.

Thesis I.

Coena Dominica est alterum Novi Testamenti Sacramentum à Domino nostro Iesu Christo in locum epuli Paschalis institutum, atque ad finem vsque mundi imperatum, ac sæpius repetendum, quo panis & vinum à Ministro Evangelij, cum solemni benedictione ac gratiarum actione, adultis & Baptizatis fidelibus, ore & vita fidem ac pœnitentiam publicè profitentibus, in cœtu congregatis distribuitur, ad Christi omniumque ejus beneficiorum communionem, ejusdemque continuationem illis significandam, atque obsignandam: ipsique porrectum panem & vinum

Quid sit Cœna Domini?

sumentes,

sumentes, & panem manducantes, ac vinum bibentes, ad fidem & gratitudinem erga Deum, & ad fraternam ac mutuam dilectionem atque vnionem se vicissim obstringunt.

II.

Quæ elementa in Cœna sint vsurpanda?

In hujus Sacramenti natura & legitimo vsu duo etiam præcipuè consideranda veniunt: Externa elementa, seu symbola à Christo præscripta, & Ceremoniæ seu actiones externæ circa illa elementa vsurpandæ. *Elementa* externa duo sunt, *Panis* & *Vinum*, quæ respondent cibo & potui, quibus corpora nostra sustentantur, tanquam Symbola alimoniæ nostræ spiritualis. *Panis*, quo Christus in prima Cœnæ institutione vsus est, quamvis azimus fuerit propter accidentariam temporis illius circumstantiam, quia per eos dies secundum Dei legem omne fermentum erat abolitum, nec fermentato pane vesci licebat, non tamen nos Christus pani azymo præcisè alligavit, aut eo tantùm vtendi necessitatem imposuit. Ac proinde adiaphorum est sive cum Græcis fermentato, sive cum Latinis azymo pane vtamur, modò absit Iudaica *κακοζηλία*, & necessitatis opinio. Præstare autem vt vsitato & communi pane eoque non tenui & minutulo qualem Pontificia superstitio tandem produxit, sed grandiusculo, qui multorum de vno pane participatione vnitatem Ecclesiæ adumbrare possit, in Cœnâ vtamur, ratio analogiæ docet. *Vinum*, seu germen vitis purum potius propter analogiam, quam aqua mixtum aut dilutum est vsurpandum. Quamvis & hoc adiaphorum atque in Ecclesiæ libertate positum fateamur: presertim in regionibus in quibus

An necessariò panis azymus sit vsurpandus?

a mala affectatio?

An Vinum sit aqua diluendum?

bus vina crescunt fortia, quæ vt in communi potu aqua diluuntur, ita non illicitum planè est in vsu Cœnæ eodem modo diluere, si valetudinis aut ædificationis ratio requirat. Mixtionem verò aquæ cum vino, vt traditionem Apostolicam necessariò obseruandam, disertè inficiamur. In locis autem, vbi vinum planè nullum haberi potest, licebit hoc necessitatis & penuriæ casu, loco vini alium aliquem potum vino maximè analogum & in illis locis vini loco vsitatum substituere.

III.

Ceremoniæ, seu actiones externæ, quæ circa hæc duo elementa ex institutione Christi sunt vsurpandæ, duplices sunt: Aliæ sunt Actiones Ministri hoc Sacramentum administrantis: aliæ fidelium seu conuiuarum Domini, hanc Cœnam vsurpantium. Actiones Ministrorum potissimæ sunt hæ tres: Symbolorum Consecratio, eorundē Distributio, & post distributionem ac sumptionem solennis gratiarum Actio. Symbola hæc externa, vt in omnibus etiam alijs Sacramentis, non debent populo distribui, nisi prius à communi pane & vino, quod ad vsum & finem, segregata, & sancto huic vsui quasi consecrata. Hæc consecratio fieri debet, non submisso aliquo murmure, sed clara atque à populo intelligibili voce, qua mors Christi annuncietur, & populus de vero fructu & recto vsu Cœnæ edoceatur. Neq; vis Consecrationis sita est in recitatione quinque horum verborum, *Hoc est enim corpus meum*. Est enim planè magicum verborum syllabis occultam aliquam vim ascribere. Neque Christus ijs vnquam verbis in Consecratione visus fuit. Sed fieri debet

Quæ ceremonia, seu actiones circa hæc elementa vsurpandæ? Quæ Ministrorum? Consecrationis quis sit modus?

An fieri debeat submisso murmure?

An fiat per quinque verba: Hoc est enim corpus meum?

hæc

hæc consecratio recitatione atque explicatione verbi tum Institutionis, tum Promissionis, & invocatione nominis divini, cum gratiarum actione.

IV.

Quæ sit vis Consecrationis?

An per consecrationem Panis transsubstantietur in Corpus Christi?

Hac Consecratione usus quidem naturalis & communis horum Symbolorum in supernaturalem & sanctum commutatur, sed eorum substantiæ virtute verborum consecratoriorum in substantiam rei signatæ per μετουσίαν, seu *Transsubstantiationem* nequaquam permutantur. Magicum enim est pronuntiationi certorum verborum ejusmodi vim divinam ascribere. Et quomodo fieri potest ut aliquid mutetur in substantiam ipsam rei alicujus jam præexistentis, qualis est Corpus Christi? Substantia aquæ potuit mutari in vinum, sed non quod jam præexistebat, sed quod per hanc mutationem demum producebatur. Quomodo etiam potest manere Sacramentum, si substantia Signi in substantiam Rei signatæ convertitur? Natura enim Sacramentorum omnium requirit, ut utrâque re constent, non tantùm cœlesti, sed & terrenâ, non tantùm Signato, sed & Signo, quod rem signatam nec repræsentare nec obsignare potest, si substantia ejus sit abolita. Quinetiam ipse sensus communis docet talem transsubstantiationem nunquam fieri. Quantitas enim, figura, color, sapor, & reliqua panis & vini accidentia etiam post consecrationem sensibus externis evidentissimè percipiuntur: atque hæc accidentia sine proprio subjecto non posse existere, docet natura accidentium, quorum esse est inesse, seu in

subjecto herere. Possunt etiam signa illa in seipsis corrumpi, vermiculos generare, à muribus arrodi & devorari, quæ corpori Christi jam glorificato attribui nequaquam possunt. Quare etiam ipsa Scriptura disertè testatur in Cœna etiam post consecrationem non corpus Christi, sed panem, frangi & distribui, & fideles non de corpore Christi, sed de pane, ore corporis edere. Panis itaque & vinum etiam post consecrationem seu benedictionem in verâ suâ ac propriâ substantiâ permanent: ac proinde dogma Transubstantiationis papisticæ non tantùm falsum, sed etiam monstrosum est, naturæ communi, & rei, atque ipsi Sacræ Scripturæ directè contrarium, & sibi ipsi multis modis contradictorium. Atque hinc patet verba ista Christi: *Hoc est corpus meum*: cum in ijs disparata, qualia sunt panis & corpus Christi, de disparatis prædicentur, quod propriè fieri nunquam potest, non esse propriè *b* κατὰ τὸ ῥητὸν intelligenda, sed per metonymiam, quâ signo nomen rei signatæ tribuitur: quæ phraseologia de Sacramentis in Sacra Scripturâ est vsitatissima.

Verba illa: Hoc est corpus meum: an sint propriè intelligenda?

b *Ad verbum.*

V.

Figmento hoc Transubstantiationis sublato, sponte sua etiam corruunt cætera Pontificiorum monstrosa dogmata de Corporis Christi in Cœna Præsentia, & orali manducatione. Quid Deus per absolutam potentiam hic possit facere non opus est vt disputemus, cum apertissimè & libentissimè agnoscamus Deum omnia posse facere quæcunque vult facere. Quæcunque verò non potest velle, qualia sunt contradictoria &

An Corpus Christi in Cœnâ semper & vbique possit esse præsens?

naturæ

naturæ ejus contraria, ea etiam non potest facere. Constet itaque prius de Dei voluntate, & de ejus potentia non litigabimus. Sunt autem manifestè contradictoria, vnum numero corpus posse esse eodem tempore in multis locis simul, sine corporum multiplicatione: posse esse vnum & multa: posse esse sursum & deorsum: ab eodem loco remotum & non remotum: aut corpora posse se invicem penetrare. Est enim corpus omne necessariò circumscriptum & à seipso indivisum, eòque divisis ac discontinuis locis simul adesse non potest: neque corporis natura existere aut cogitari potest sine quantitate dimensivâ & partium extensione, quæ absque circumscriptivâ & locali præsentiâ non potest intelligi: vt neque hæc absque loci adæquati occupatione. Deus itaque salva veritate & ordinatione sua neq; velle, ac proinde neque facere potest, vt vnum idemque Iesu Christi corpus, quod verè humanum & finitum est, & in æternum manet, vno & eodem tempore in omnibus illis locis vbi Cœna celebratur, realiter & corporaliter adsit. Ac propterea cum Christus etiam corpore suo, secundum quod nobis quoque per omnia, quod ad veritatem naturæ attinet, similis est, & manet, verè mundum reliquerit, & localiter in cœlum ascenderit, atque eo contineri ipsum oporteat vsque ad tempora restitutionis omnium, sequitur corpus ejus ibi in cœlo, non autem in Cœnâ hîc in terrâ esse præsens, ac proinde etiam oraliter à communicantibus non manducari. Ipse enim Christus disertè nos docuit corporalem ejus in terris præsentiam nobis non esse vtilem, & oralem carnis suæ manducationem ad salutem non

An et quatenus Corpus Christi sit præsens in Cœna?

prodesse, sed carnem suam esse cibum cœlestem, non ventris sed animæ: nostramque cum ipso communionem planè esse spiritualem: ipsumque non per corpus suum in corporibus nostris, sed per Spiritum suum, & per fidem in cordibus nostris habitare. Quare spiritualem, mysticam, & efficacem Christi in Cœna præsentiam statuimus, & libenter agnoscimus, corporalem verò præsentiam & manducationem corporis Christi in Cœnâ vt impossibilem, absurdam, invtilem, falsam, Christo ignominiosam, & verbo Dei contrariam meritò damnamus & rejicimus. Ex his etiam manifestè apparet infideles & hypocritas, etsi aliquando panem Dominicum fidelibus comedant, nunquam tamen panem Dominum, seu ipsum Christi corpus manducare. Omnis enim manducatio carnis Christi spiritualis est, & per solam fidem fit, qua cum isti careant, & in tenebris ambulent, nullam cum Christo communionem habere possunt.

An infideles & hypocritæ in cœnâ manducent corpus Christi?

VI.

Consecratum panem & vinum Minister non debet solus comedere & bibere, sed debet panem frangere, & non nisi fractum fidelibus congregatis edendum distribuere, & vinum in poculum effusum bibendum tradere. Ac proinde etiam Cœna semper in conventibus fidelium administrari debet. Christus enim expressè instituit ac mandavit, vt omnes accipiant, edant, & bibant, & poculum sibi ipsis partiantur. Et constat manifestissimè Apostolos non solos, sed vna cum fidelibus, in eorum congregationibus panem fregisse, cum in finem eos in vnum convenisse, &

Quomodo panis & vinum distribui debeant?

An privatæ Missæ sint licitæ?

multos fuisse, qui omnes ex vno pane participarunt. Quare evidens institutionis divinæ profanatio est, cum sacrificuli Pontificij soli cum puero in aliquo angulo Missas celebrant, & cum soli de pane edunt, & de poculo bibunt, populo vel absente, vel otiosè astante, aut humi provoluto, & tantùm inspectante. Ad ægrotos autem & clinicos, qui per valetudinem cœtui fidelium interesse non possunt, panem & vinum eucharisticum transmittere, vt privatim Cœnam participent, etsi olim non fuerit invsitatum, abusus tamen est institutionis divinæ, cui potius parendum, quàm infirmitati humanæ indulgendum. Etsi non diffiteamur, si necessitas postulat etiam in privatis ædibus, & in communicantium cœtu exiguo, Cœnam Dominicam administrari posse. Post distributionem Ministri & perceptionem fidelium, debet Minister suo & Ecclesiæ nomine sacram hanc actionem solenni ad Deum gratiarum actione finirę, quæ ita necessaria est in legitimâ Cœnæ Dominicæ celebratione, vt ab eâ, tanquam parte aliqua principali & nunquam omittenda c εὐχαριστία rectè nominetur.

An ægrotis privatim Cœna possit administrari?

Quomodo gratiarum actio debeat institui?

c *gratiarum actio.*

DISP.

DISPVTAT. XLVIII.

De Cœnæ Dominicæ recto vsu, & Effectis, ET *De Communicatione sub vtrâque specie.*

THESIS I.

COENA Dominica non tantùm à Ministris legitimè debet administrari, sed etiam à Fidelibus communicantibus debitè & legitimè vsurpari. Quod vt fiat duo sunt illis præcipuè obseruanda. Primum est vt sese debitè ad Cœnæ communionem prius præparent. Alterum, vt legitimè signa externa participent. Præparatio aut est interna, aut externa. Interna consistit potissimùm in sui ipsius probatione atque exploratione, an sit in fide, an peccata seriò displiceant & doleant, & an firmum habeat propositum vitam emendandi, & secundum Dei voluntatem instituendi: In peccatorum coram Deo confessione; & in nostræ indignitatis & Christi mortis ac beneficiorum attentâ meditatione. Hæc imprimis requiritur, & sine illa panis manducari, aut poculum bibi dignè non potest. Neque enim Sacramenta sine fide & bono vtentis motu vsurpata, ex solo opere operato prosunt, sed obsunt

Quid requiratur in communicantibus?

Quomodo fideles ad vsum Cœnæ se debeant præparare?

potius. Externa præparatio consistit in reconciliatione cum proximo, & confessione delictorum, si contentio aliqua cum proximo inciderit, aut scandalum admissum fuerit: in concionis præparatoriæ seriâ auscultatione, & in precatione pro remissione peccatorum, & pro digno cœnæ vsu. Non est autem necessarium, vt fideles ante communionem omnia sua peccata in aurem Ministri confiteantur, atque ab eo absolutionem ab illis obtineant. Nusquã enim hoc in Scriptura præcipitur, aut Apostolorum tempore vsitatum legitur. Non enim improbandum, vt fideles jejuni accedant ad Cœnam Domini, sed illud præcisè ad legitimam cœnæ participationem necessarium esse negamus. Est enim res planè adiaphora, quæ & fieri & omitti potest, pro ratione temporis & valetudinis: & Apostolus disertè consulit ac concedit, vt si quis esurit, *a* domi edat, antequam ad communionem cœnæ accedat.

An Confessio auricularis vsum Cœnæ semper debeat præcedere? An Cœna necessariò à jejunis sit vsurpanda?

a 1. *Cor.* 11. 34.

II.

Externa signa fideles vt in Cœnâ legitimè participent, debent adhibere omnes illas ceremonias seu actiones quas Christus illis præscripsit. Consistunt autem illæ potissimùm in eo, vt panem fractum & distributum à Ministro, manu accipiant, & ore non degluttiant, sed manducent, & poculum distributum accipiant, ac vinum in poculo effusum bibant. Non autem debent panem vino intinctum, atque ita cum vino conjunctim sumere, sed vtrumque & panem & vinum seorsim. Neque solum panem debent edere, & à poculo abstinere, sed vtrumque elementum simul ex institutione & mandato Christi participare.

Quomodo cœnam debeant participare?

Has

Has ceremonias cum peragunt, non debent necessariò in genua procumbere, sed liberum est atque adiaphorum, sive stando, sive procumbendo, sive accumbendo, sive assidendo de pane edant, & de poculo bibant. Præstat tamen vt ille situs corporis servetur, propter analogiam, qui secundum regionum & populorum consuetudinem in cœnis vulgaribus vsitatus est, aut ædificationi quàm maximè accommodatus. Neque institutum fuit hoc Sacramentum, vt tantum semel quotannis à fidelibus perciperetur, sed vt frequenti hujus Symboli vsu memoria passionis & mortis Christi repeteretur, atque ita fideles sæpius in fide roborentur, & ad mutuam charitatem excitentur atque obstringantur. Quod enim Pontificij semel tantum in anno, tempore Paschatis, communicant, & in reliquum anni tempus quasi pulchrè defuncti in vtramque aurem securi dormiunt, consuetudo est superstitiosa, fidei & pietati noxia, contra Christi institutionem, & Apostolicæ ac primitivæ Ecclesiæ praxin introducta.

Quo situ corporis?

An Laici tantum semel in anno debeant communicare?

II.

Imprimis autem in legitimo Cœnæ vsu fidelibus est observandum, vt non tantum de Pane edant, sed etiam de poculo bibant. Christus enim, vt non sine gravi ratione geminum elementum panem & vinum, vt alimoniæ nostræ spiritualis symbola in Cœnâ instituit, ita etiam Discipulis & reliquis fidelibus omnibus expressè mandavit vtrumque vsurpare, & non tantùm de Pane edere, sed etiam de poculo bibere. Ex quo mandato divino cum fideles vtrumque elementum integrè percipere debeant, sequitur omnibus fidelibus

An Laici etiam cōmunicare debeant sub vtrâque specie Panis & Vini?

b *Mat.* 26. 27.

vtrumque etiam integrè à Ministris ex institutione Dei administrandum. Ac proinde Pontificij cum vsum Calicis tantùm Clericis, vt vocant, consecrantibus concedunt, atque eum reliquis fidelibus, quos vocant Laicos, eripiunt, eosque ab eo arcent, atque abstinere jubent, sacrilegâ audaciâ separant quæ Deus conjunxit, Cœnam Dominicam mutilant, & Testamentum Iesu Christi corrumpunt, contra expressum Christi institutum & mandatum, & Ecclesiæ Apostolicę atque etiam primitivæ per mille annos, & amplius, constantissimam praxin. Adeò vt manifestissimum Antichristianismi indicium conspiciatur in horrendo illo Concilij Constantiensis decreto, in quo majore nescias cum impietate an cum impudentiâ disertè dicitur: *Licet Christus suis Discipulis administraverit sub vtraque specie Panis & Vini venerabile hoc Sacramentum, &c. & licet in primitiva Ecclesia hujusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub vtraque specie, tamen* HOC NON OBSTANTE *Concilium sacrum Generale Constantiense, &c. declarat, decernit, & definit, Eucharistiam tantummodo sub specie Panis suscipiendam.*

Seß. 13. Can. 4.

IV.

An sanguis Christi etiam sit sub pane per concomitantiam?

Neque huic sacrilego decreto palliando quicquam serviunt rationes illæ frivolæ, quæ eum in finem à Pontificijs adducuntur. Cum enim Panis in ipsum corpus Christi post consecrationem nequaquam transubstantietur, vt superiori disputatione vidimus, ineptissimum est commentum, quod de quadam *Concomitantia* nugantur, per quam & sanguis Christi etiam in Pane sit jam transubstantiato, vtpote cum Christo

corpus

corpus exangue non possit attribui, neque sanguis à Christi corpore divelli. Nam panis & vinum quia tantùm signa corporis & sanguinis Christi sunt & manent, non sequitur rem signatam dividi aut divelli cum sub duobus diversis signis diversæ & tamen conjunctæ rei signatæ partes significantur: aut vnico signo omnes rei signatæ partes designari posse, cum Christo institutori visum fuerit gravissimas ob causas, confirmandæ fidei nostræ, corpus suum à sanguine & verbis & signis distinguere, vt doceat se ad potum spiritualem non minùs quàm ad cibum sufficere. Neque etiam vlla sunt pericula aut incommoda, quæ ex vsu Poculi Laicis concesso metuenda sint: hæc enim à Christo olim satis fuissent prævisa, neque tanti sunt momenti, vt propter ista violari divina instituto debeat: immò nullius sunt momenti, cum pleraque propter vanissimum Transubstantiationis vini in sanguinem Christi figmentum frustrà metuantur.

V.

Quæ sint effecta Cœnæ Dominicæ?

Legitimus Cœnæ Dominicæ vsus magnam quidem habet in animis fidelium efficaciam, sed non istam, vt ex opere operato animæ vtentis peculiarem gratiam infundat, qua à peccatis præservetur, & charitas in eo augeatur: multò minus vt corporis sanitatem conferat & tueatur, vt annonæ proventum & matrimonium secundet, vt fœlicem navigationem, venationem, aut prælij eventum procuret, tempestates sedet, incendia restinguat, innocentiam in judicio forensi contestetur, aut animas ex purgatorio liberet: hæc enim sunt vana hominum figmenta, quibus fœ-

dus Cœnæ abusus committitur, & signum illud in Idolum apertè transformatur: ac propterea cum in finem etiam cœna neque administranda, neque vsurpanda est. Præcipuus autem Cœnæ Dominicæ effectus est, quod fidelibus in legitimo ejus vsu mortis Christi memoriam celebrantibus gratia Dei de remissione peccatorum efficaciter obsignetur, atque ipsi ad gratitudinem erga Deum, & charitatem erga proximum efficacius excitentur, atque obstringantur. Signa verò seu elementa externa extra vsum communionis nullam planè habent efficaciam spiritualem, aut Sacramenti rationem, cum eo vsu tantum à reliquis vulgaribus elementis distinguantur. Quare panis Eucharisticus, qui post communionem superstes manet, neque ad eam adhibetur, non est in capselis aut ciborijs, tanquam Sacramentum corporis Christi, reponendus, sed pro pane iterum vulgari habendus: cui propterea nulla major, quam vulgari pani, efficacia aut sanctitas est ascribenda. Quod autem Pontificij consecratum panem in ciborijs ad cultum & theatricam pompam reponant, superstitio est ab Ethnicis profecta, & absurdissimo Transubstantiationis figmento superstructa.

An elementa extra vsum maneant Sacramenta, aut aliquam efficaciam habeant?

VI.

An Panis Eucharisticus adorari debeat?

Sacramentum hoc Corporis & Sanguinis Domini à fidelibus magnâ cum religione & reverentiâ tractandum, atque vsurpandum esse agnoscimus & docemus: sed cum honos adorationis soli Deo competat, & sine manifestâ Idololatriâ ad creaturas transferri non potest, patet Panem Eucharisticū, cum ejus substantia in vsu Cœnę non

mutetur,

mutetur, sine idololatriâ adorari non posse. Neque etiam Christus hunc panem adorari, sed tantum frangi, distribui, & mandcari præcepit. Quare Pontificij cum hunc panem genibus flexis, & cultu λατρείας seu merè divino, pro Christo, Deo, & Servatore suo palam adorant, horribilem & crassissimam hac c ἀρτολατρείᾳ committunt Idololatriã: quæ tam fœda & crassa est, vt nunquam apud vllos Ethnicos similis visa fuerit. Quamvis enim crassissima sæpius apud multas barbaras gentes Idololatria conspecta atque admissa fuerit, nunquam tamen apud vllas gentes quantumvis maximè barbaras, & densissimis tenebris mentem offuscatam habentes, tanta stupiditas fuit reperta, vt illud, quod comederent, adorarint. Ac propterea etiam abominandum est illud Festum, quod vocant Corporis Christi, à Pontifice Romano Vrbano Quarto stabiliendæ huic Idololatriæ ante ducentos circiter annos institutum: in quo crustulum Panis tanquam Numen aliquod cum magno apparatu, & pompâ theatricâ planè ethnicâ, in publicis Processionibus per compita circumgestatur, & populo attonitis animis spectandum, & flexis genibus, ac prono corpore adorandum publicè ostentatur.

c panis adoratione.

DISPVT. XLIX.

De Missa.

THESIS I.

ALterum hoc Novi Testamenti Sacramentum, nutritionis spiritualis & con-

An Cœna Domini

recte appelletur Missa?
a 1. *Cor.* 20. 11.
b 1. *Cor.* 10. 21.
c *Act.* 2. 42.
Quid Missa significet, & unde nomen habeat?

tinuationis fœderis gratiæ Symbolum, in Sacrâ Scripturâ vocatur *a δεῖπνον κυριακὸν, b τράπεζα κυρίου, c κλάσις τοῦ ἄρτου*, alijsque nominibus, sed nusquam ei nomen aliquod tribuitur, quod aliquam cum voce *Missa* affinitatem habet, aut quod per Latinam Missæ vocem, sive propriè, sive etiam barbarè acceptam, reddi possit. Nec ipsi Pontificij certam hujus vocabuli etymologiam hactenus assignare potuerunt: alijs vocem esse Hebræam contendentibus, alijs Latinam, quod probabilius est & verius. Horum iterum alij putant ita dictam à missione oblationum & precum ad Deum, alij à missione Angeli, qui assistet sacrificio, alij à missione donariorum & eleemosynarum, alij à missione seu dimissione populi, aut catechumenorum. Quicquid sit, vt vox nova est & barbara, quâ Cœna Domini commodè exprimi non potest, ita etiam rem novam, absurdam, barbaram, & idololatricam Pontificij per eam designant, quæ à Cœnâ Domini vt nomine, sic & re, quam maximè differt. Patres Latini, si qui hac voce barbarè vsi fuerunt, eâque fortè nonnulli Cœnam Dominicam designare voluerunt, non tamen inde colligitur, vbicunque vox Missæ apud istos occurrit, ibi per eam designari totam illam actionem histrionicam & ludicram, quæ postea à Pontificibus Romanis extra Dei verbum excogitata, & diversis temporibus interpolata, hodie à Pontificijs peragitur, & Missæ nomine insignitur.

II.

An in N. Test. sint

Sacrificia externa propriè dicta, item Sacerdotes, & Altaria cum in Vet. Testam. typi fuerint

rint rerum à Christo in cruce peragendarum, quæ à Christo jam perfectissimè peractæ & impletæ sunt, cum reliquis Vet. Testam. vmbris omninò sunt abrogata: neque hodie in N. Testam. retineri possunt sine insigni Christi contumelia, manifestâ Christianismi abnegatione, & apertâ Iudaismi professione. Vnicus enim N. Testamenti Sacerdos Dominus noster Iesus Christus, qui semel in altari Crucis Seipsum Victimam obtulit piacularem, atque hoc vnico Sacrificio propitiatorio *a* in perpetuum consecravit eos, qui sanctificantur: quo in terris semel peracto, æternam redemptionem nactus nunc non amplius in terris, sed in cœlis, in sacrario non manufacto, munus suum Sacerdotale porrò exequitur. Neque Christus in munere Sacerdotali aut socio aut successore opus habet sed hoc munus ipsi soli fuit impositum, solus fuit ad hoc idoneus, solus huic suffecit, & solus vt fidelissimè ita & perfectissimè exequutus est, in terris Sacrificium pro expiatione omnium peccatorum sufficientissimum offerendo, atque etiam nunc exequitur in cœlis pro nobis intercedendo. Quare sacrilegum est proprium hunc Christi honorem, & propriam hanc Sacrificij ejus vnici efficaciam alijs personis aut actionibus attribuere. Ac proinde patet in Novo Testamento nullos alios esse Sacerdotes propriè dictos præter solum Iesum Christum, neque alia esse sacrificia propitiatoria externa, præter vnicum ejus semel in cruce oblatum. Sacerdotes itaque Missifici, cum se propterea Sacerdotes vocant, quod verum, proprium, visibile, externum Sacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum

externa Sacrificia propitiatoria, & Sacerdotes propriè dicti?

a *Heb.* 10. 14.

rum

rum offerant, sacrilegâ audaciâ atque impudentiâ proprium & sanctissimum Iesu Christi munus ad se rapiunt. Nec tamen propterea Religio Christiana est sine Sacrificijs aut Sacerdotibus. Habemus enim præstantissimum illud æterni vigoris Sacrificium Christi *b* ἱλαστικὸν: omnesque fideles quotidie spirituales hostias Deo offerunt acceptas per Iesum Christum. Habemus etiam ipsum Dei Filium vnicum Novi Testamenti Sacerdotem, qui in æternum manet, & perpetuum habet sacerdotium: & qui fideles omnes & singulos fecit *c* regale sacerdotium, seu *d* Reges & Sacerdotes Deo Patri suo.

b *propitiatorium.*

c 1. *Pet.* 2. 9.
d *Apoc.* 1. 6

III.

An et quatenus Cœna Domini Sacrificium appellari possit?

In legitimo itaque Cœnæ vsu agnoscimus quidem vnici illius Christi Sacrificij ἱλαστικοῦ solennem commemorationem, repræsentationem, & obsignationem institui, & à fidelibus communicantibus pro redemptionis beneficio Sacrificium *e* εὐχαριστικὸν Deo offerri, atque ob hanc causam à Patribus nonnullis Cœnam aliquando Sacrificium non omnino incommodè, etsi valdè impropriè, fuisse appellatam: sed Cœnam ipsam verè esse & propriè appellari posse externum Sacrificium propitiatorium planè negamus. Sacramentum enim cum sit, Sacrificium esse non potest, cum per Sacrificium propitiatorium Deo *f* λύτρον pro peccatis offeratur, & per Sacramentum remissio peccatorum à Deo accepta obsignetur: ac proinde inter vtrumque tantum sit discrimen, quantum inter dare & accipere. Actio autem illa ludicra atque idololatrica, quæ in Papatu à Sacrifico aliquo vertice raso, vestibus superstitiosis

e *gratiarum actionis.*

f *redemptionis pretium.*

An Missa sit sacrificium propitiatorium?

tiosis induto, accensis cereis, varijs gestibus, & ridiculis gesticulationibus, demurmurationibus, & cantillationibus, ad altare, circa crustulum panis peragitur, populo interea vel absente, vel actionem hanc solummodò inspectante, & crustulum illud tanquam Numen adorante, in quam actionem Cœnæ dominicæ celebrationem impiè transformarunt, eamque barbaro vocabulo Missam vocant, multò minus propitiatorium N. T. Sacrificium appellari potest. Idololatricum enim hominum superstitiosorum inventum, quomodo potest esse Deo gratum Sacrificium? Cum Christus semel vnicâ oblatione nos Deo plenissimè reconciliaverit, quid necesse est, vt sæpius & quotidie offeratur eum in finem novum sacrificium? Et cum actio hæc sit incruenta, quomodo potest esse sacrificium propitiatorium, cum sine violentâ sanguinis effusione nulla peccatorum remissio, ac proinde nulla propitiatio esse possit? Quare cum Pontificij asserunt Missam suam esse sacrificium verè expiatorium, ejusdem cum sacrificio Christi in cruce peracti efficaciæ, quo ipse Filius Dei per Sacerdotem sub accidentibus panis & vini vere & propriè offeratur pro expiandis vivorum & mortuorum peccatis, adversus vnicum Sacerdotem nostrum Iesum Christum, & perfectissimũ ejus Sacrificium ἱλαστικὸν, quo vnico semel pro nobis in cruce oblato cum effusione sanguinis, nos Deo plenissimè reconciliavit, horribilis committitur blasphemia, intolerabilis contumelia, & abominandum sacrilegium. Adeò vt Missa hæc Pontificia revera nihil aliud sit quam aperta vnici Christi Sacrificij abnegatio, & multiplex Cœnæ Dominicæ depravatio ac profanatio, con-

juncta cum manifestâ idololatria: ac proinde ab omnibus pijs & veris Christianis, quibus honor Dei & Domini nostri Iesu Christi cordi est, quique Deum purâ cum conscientiâ sincere colere student, toto pectore sit execranda, & modis omnibus vitanda, ita sollicitè, vt non tantùm ab ipsa Missificatione abstineant, sed ne etiam vel per præsentiam suam, aut aliam assensus significationem, tam gravium scelerum se reos faciant.

IV.

An Missa habeat efficaciam impetrandi bona, & avertendi mala?

g *propitiatoriam.*

Nec sufficit Pontificijs commentitio huic sacrificio suo blasphemè attribuere vim g ἱλαστικὴν peccata vivorum & mortuorum expiandi, sed vt blasphemiarum cumulum augeant, ascribunt etiam huic ludicræ & verè scenicæ actioni mirabilem ac planè divinam efficaciam, ex opere operato varia & insignia beneficia, atque adeo omnia bona, quę vel ad animæ sanctitatem ac salutem, vel ad corporis sanitatem, vel ad fœlicem rerum in Ecclesiâ, politiâ, œconomiâ, bello, itinere, venatione, aut mercaturâ gerendarum successum hominibus sunt necessaria, impetrandi & conferendi: & omnis generis mala, tam publica quam privata, avertendi atque averruncandi. Quinetiam hanc Missificationem tantæ esse virtutis fabulantur, Deoque ita gratam, & hominibus vtilem ac necessariam, vt nisi Missa hæc quotidiè celebraretur, mundus hic singulis momentis rueret, & in antiquum chaos verteretur. Sed hæc sunt vanissima superstitiosarum mentium somnia & commenta, quibus hanc Thaïdem suam Pontificij exornare, & amasijs commendare student, non tantùm extrà, sed

etiam directè contra Dei verbum conficta, quibus Deo suus honos sacrilegè eripitur; & ad nugamenta hominũ blasphemè transfertur, hominesque stultè creduli ad hanc Idololatriam pelliciuntur, & miserè & fœdè decipiuntur.

V.

Ejusdem farinæ sunt omnes illæ Ceremoniæ quibus hæc Missæ sacra constant & peraguntur. Multiformes enim illi theatrici, & ridiculi gestus, vestes Missaticæ, demurmurationes, cantillationes, & similia nugamenta non sunt ex institutione divinâ, quæ nobis sufficere debet, sed ex inventione & ordinatione variorum superstitiosorum Paparum, qui extra Dei verbum diversis temporibus hasce Ceremonias excogitarunt, & ex ijs paulatim consarcinatis tandem idolum hoc conflarunt. Neque excusat, quod singulæ hæ ceremoniæ commodam aliquam habeant analogiam ac significationem: sub isto enim prætextu infinitam Ceremoniarum multitudinem in Ecclesiam quis possit invehere. Nulli verò mortalium licet Ecclesiæ vllam ceremoniam præscribere, quæ sit N. Testamenti Sacramentum, & gratiæ Evangelicæ signum ac sigillum, sed solius Christi est, vt gratiam illam promittere verbo, ita & obsignare ijs signis, quæ illi idonea & sufficientia videntur. Quæ autem ille sufficientia judicavit, debent etiam sufficere Ecclesiæ, quæ potestatem non habet Christi institutionem aut mutandi aut interpolandi, sed eam sequi atque integram servare tenetur. Cœna Domini non tacitis demurmurationibus, sed clarâ verborum, tum institutionis tum promissionis,

Quid sit sentiendũ de Missa Ceremonijs?

An Cœna Domini clarâ vo-

pronun-

ce, & linguâ populo cognitâ celebrari debeat?

pronuntiatione, & declaratione, & mortis Dominicę commemoratione administrari ex Christi institutione debet. Idque fieri postulat ædificatio in linguâ populo cognitâ, qui de recto Cœnæ vsu erudiri debet, quod linguâ incognitâ fieri nequit. Nec vera in animis hominum reverentia, sed pecuinus potius stupor excitatur, cum linguâ populo incognitâ sacra peraguntur.

VI.

Quid sit sentiendum de Canone Missa?

Horribilis autem ille Canon, quem Sacrificuli inter Missificandum superstitiosissimo cum silentio, horrore, & metu legunt, etsi quasdam Psalmorum, Evangeliorum, & Epistolarum particulas, sed malè collectas, & preculas etiam aliquas non planè contemnendas contineat, passim tamen idololatricis, & blasphemis precibus, gravibus atque abominandis erroribus, & manifestis contradictionibus est refertissimus. Non est itaque Canon hic Apostolicæ institutionis, neque sacrosanctus, aut cum Scripturis Sacris comparandus, sed diversis temporibus à superstitiosis Papis Romanis consutus & frustatim consarcinatus. Atque hinc apparet omnes ferè partes, ex quibus Missa hæc tandem conflata est, blasphema esse atque idololatrica hominum superstitiosorum inventa, ab institutione Christi non tantùm aliena, sed illi etiam directè contraria: adeò vt Missa hæc Papalis, quemadmodum nomine, sic etiam re cum Cœnâ Dominicâ nihil commune habeat.

DISP.

DISPVT. L.

De Pœnitentia.

Thesis I.

Vox Hebræa *a Teschubah*, id est, conversio, Græcè dicitur *μετάνοια*, quæ vox Latinè *Resipiscentia* rectius quam *Pœnitentia* transfertur, sive vocum etymologiam sive earum usum spectemus. *Resipiscentia* enim semper significat emendationem mentis: vox autem *Pœnitere* aliquando etiam in vitio ponitur. Sed de vocabulis non velimus cum Pontificijs contendere, si de ipsa re conveniret, & si voce Pœnitentiæ illi ad stabiliendas pro admissis peccatis, per opera pœnalia Satisfactiones humanas, & ad fabricandum aliquod fictitium Sacramentum, non abuterentur.

a תשובה *An vox μετάνοια rectius per Resipiscentiam, an per Pœnitentiam transferatur?*

II.

Pœnitentia, seu potius *Resipiscentia*, est actus hominis per Spiritum Sanctum in ipso effectus, quo internè mentem & voluntatem suam seriò emendat, & à Diabolo, & malo, ad Deum, & bonum convertit, idq; externè fructibus & signis declarat. Estq; duplex, *Interna & Externa*. *Interna* secundum duos terminos, tum à quo incipit, tum in quẽ desinit, constat duabus partibus: Carnis, seu veteris hominis, mortificatione, & Spiritus, seu novi hominis, vivificatione. Mortificatio Carnis consistit in internâ peccati agnitione

Quid sit Pœnitentia?

Quotuplex sit?

Quæ sint

partes interna Pœnitentia?

& coram Deo confessione, ac salutari propter admissum peccatum contritione seu dolore & tristitiâ, quæ secundum Deum est, cum seriâ humiliatione & peccati detestatione, fugâ, atque odio. Vivificatio Spiritus consistit in conscientiæ peccatoris contriti refocillatione per fidem in Christum, & novæ obedientiæ serio amore ac studio.

Quæ sint partes externa Pœnitentia?

Externa pœnitentia est, quæ externè fructibus & signis declaratur, sive privatim, sive publicè, à tota Ecclesia, vel à singulari homine, vel ordinariè vel extraordinariè, vel sponte suscepta, vel alicui ad reparationem admissi scandali ab Ecclesia imposita, quæ *Pœnitentia Ecclesiastica* dicitur. Atque hæc externa Pœnitentia sæpe etiam in hypocritis invenitur.

III.

An Pœnitentia sit Sacramentum?

Internam Pœnitentiam, cum illa tantùm sit in animo, nec in sensus incurrat, ac propterea non sit signum aliquod visibile, Sacramentum esse non posse, extra omnem ponendum est controversiam: idque Pontificij vltrò agnoscunt. Quæritur itaque de Pœnitentia externa, an illa sit N. Testam. propriè dictum Sacramentum? Pontificij affirmant & docent Sacramentum hoc constare ex Pœnitentia signis externis prodita, & ex verbo Absolutionis. Nos verò negamus verbum vel ritum Absolutionis Pœnitentiæ Sacramentum appellari posse, cum ne quidem Pœnitentiæ pars censeri possit. Pœnitentia enim est actus pœnitentis, Absolutio verò non pœnitentis, sed alterius est actio: & quia debet divinæ absolutioni respondere, pœnitentiam sequitur. Negamus itidem Pœnitentiam externis signis decla-

ratam, seu potius externa illa signa & opera quibus Pœnitentia declaratur, ordinarium esse & propriè dictum Sacramentum Novi Testamenti. Adhiberi quidem possunt, & sæpè etiam debent, ad internam pœnitentiam testificandam, externa quædam contriti & pœnitentis animi signa, qualia sunt, vultus tristis, habitus vilis, saccus, cineres, jejunia, gemitus lacrymæ, & similia, sed ista non possunt esse signa verè Sacramentalia, Christus enim nusquam ista aut similia signa instituit ad Evangelij promissionem ijs significandam & obsignandam. Neque in illis etiam peculiare est elementum quoddam externum, quod gratiam Evangelicam ex institutione Christi repræsentet. In V. Testam. fideles pœnitentiam istiusmodi signis etiam declararunt, sed illa nunquam pro fœderis divini Sacramentis fuerunt habita. Præcepta quidem est à Deo in vtroque Testamento vera Pœnitentia, in neutro verò pro Sacramento instituta.

IV.

An Baptismus rectè appellari possit Sacramentum Pœnitentiæ?

Quamvis aliud sit Baptismus, aliud Pœnitentia, tamen cum Baptismus sit Sacramentum, quo fidelibus remissio peccatorum omnium significatur atque obsignatur, ita vt hujus obsignationis virtus ad omnium totius vitæ peccatorum, etiam post Baptismum admissorum, condonationem se extendat: & quo ipsi vicissim fideles ad veram Pœnitentiam se Deo obstringunt, vnde in Scripturis vocatur [b] βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν: sequitur Baptismum rectè posse appellari Sacramentum pœnitentiæ, vtpote quod ad eam Baptizatum per totam vitam obliget, &

b *Luc. 3. 3.*

perpetuò ejus commonefaciat. Relapsi itaque in graviora post Baptismum peccata opus quidem habent vera & seria Pœnitentia ad peccatorum remissionem consequendam, sed non est necesse, vt illa istorum peccatorum remissio per aliquod peculiare Pœnitentię Sacramentum ipsis obsignetur, cum jam per Baptismum fuerit obsignata, cujus virtus ad illa etiam peccata se extendit, non quoties Baptismi tantùm recordamur, sed quoties ex animo Pœnitentiam agimus, ad quam Baptismus nos obstringit, & rem signatam Baptismi verâ fide amplectimur. Quare fictitium illud Pontificiorum quod vocant Pœnitentiæ Sacramentum perperam *Secunda post naufragium tabula* appellatur.

V.

Contritio cordis an sit pars Pœnitentiæ?

An pars Sacramenti?

Quotuplex sit?

Internæ Pœnitentiæ pars est *Contritio cordis*, seu dolor & tristitia animi ob commissum peccatum, cum detestatione peccati conjuncta. Hanc ad veram Pœnitentiam vt partem ejus integralem ac primariam vnicè necessariam esse agnoscimus, sed cum sit internè in animo, & potius passio quàm actio, non posse Sacramenti alicujus, seu visibilis signi, partem esse meritò negamus. Est autem contritio cordis, seu tristitia ob peccatum duplex: Alia est imperfecta, seu inchoata Contritio, quæ ex solo metu pœnæ & damnationis procedit. Alia est perfectior, quæ procedit ex dilectione Dei, & ex odio ac detestatione peccati. Illa Servilis: hæc Filialis dicitur. Illa non secundum Deum, & mundi tristitia appellatur, quia non ex amore Dei procedit, & in infidelibus atq; hypocritis etiam sæpè reperitur: hæc secundum

Deum,

Deum, & resipiscentiam efficit ad salutem, ac regenitis est propria. Illa fidem & justificationem antecedit, hæc ex fide provenit, & justificationem sequitur. Illa ex Legis, hæc insuper ex Evangelij prædicatione existit. Vnde illa Legalis, & hæc Evangelica Pœnitentia haud incommodè appellatur. Illa sæpè ad desperationem præparatio est: Hæc semper salutarem resipiscentiam & vitæ emendationem operatur. Servilis illa Contritio, seu Attritio, etiamsi minimè ad salutem sufficiat, & sæpè nihil prosit, non tamen eam propterea planè noxiam aut malam judicamus, sed dicimus præparationem esse idoneam, quâ ad veram & salutarem Pœnitentiam homines ordinariè perducantur: & medium non invtile, quo etiam ipsi fideles, in quibus reliquiæ carnis adhuc supersunt, tanquam frœno aliquo sæpè in officio contineantur. Cæterùm in hac servili timore non est subsistendum, sed paulatim per charitatem metus hic forâs ejiciendus est. Quod cum impij non faciunt, sed in hoc metu subsistunt, eoque tandem in desperationis barathrum præcipitantur, hoc demum est quod in hac contritione improbamus: & talem contritionem neque hominibus vtilem, neque Deo gratam esse contendimus.

An et quatenus Contritio servilis sit damnanda?

VI.

Contritio Filialis vt vera & salutaris sit, debet esse seria & sincera, sed non est necessarium, vt sit planè omnibus numeris perfecta, neque vt sit tanta, vt sēper doloris magnitudo exactè respondeat magnitudini & gravitati delicti. Talis enim Contritio in nullo homine reperiri potest & cum

Contritio Filialis qualis & quanta esse debeat?

eam Pontificij vt præcise necessariam vrgent, miseras hominum conscientias perpetuâ sufficientis pœnitentiæ incertitudine excarnificant, & tandem ad desperationem adigunt, dum vident se istam contritionis perfectionem & mensuram assequi non posse. Dolor hic non debet etiam omnem de gratia Dei & remissione peccatorum certitudinem abolere, sed ita animum propter admissum peccatum afficere, vt eum interim consolatione & fiduciâ de remissione peccatorum non spoliet. Nec tantum propter graviora peccata, sed etiam propter minora debemus seriò dolere & pœnitentiam agere. Vera & seria contritio ac peccatorum displicentia Deo non potest non esse quam gravissima: eaque hominibus ad salutem ita est necessaria, vt sine eâ remissio peccatorum haberi non possit, nec tamen est causa justificationis meritoria, neque ex condigno, neque ex congruo: nec pars satisfactionis pro peccatis nostris. Pro ijs enim omnibus solus Dominus noster Iesus Christus plenissimè satisfecit, eaque nobis non propter contritionem nostram, sed propter solius Christi merita à Deo gratis remittuntur. Et contritio vera cum ex fide proveniat, sine quâ Deo placere non possumus: fidem autem justificatio immediatè consequatur: patet eam esse fidei ac justificationis non causam aut meritum, sed effectum & signum.

An contritio sit causa meritoria Iustificationis?

DISP.

DISPVTAT. LI.

De Confeßione auriculari, ET *De Satisfactione.*

Thesis I.

Poenitentia vera non tantùm debet esse interna in animo contritio, quamvis eam Deus præcipuè respiciat. sed requirit etiam gloria Dei, & ædificatio Ecclesiæ, vt illa externè per fructus & signa ostendatur & declaretur. Hanc declarationem Pontificij docent fieri debere per Confessionem, & Satisfactionem: ita vt hæc tria secundum eos veram Pœnitentiam tanquam partes essentiales constituant, Contritio cordis, Confessio oris, & Satisfactio operis. Prima pars quomodò ad internam Pænitentiam referenda sit superiori disputatione demonstravimus. Duæ reliquæ partes quomodo ad externam Pœnitentiam pertineant, jam porrò videndum erit.

Externa Pœnitentia qua in re consistat?

II.

Ad externam Pœnitentiam omnino requiri peccatorum Confessionem libenter agnoscimus. Est autem duplex Confessio peccatorum: alia quæ fit coram Deo, alia quæ fit coram hominibus. Deo imprimis peccata sunt confitenda, non quod illum ista lateant, sed vt ostendamus nobis

Confeßio peccati quotuplex sit?

Confeßio coram Deo, quid et quotuplex?

etiam cognita esse, ac displicere. Remissio enim peccatorum non potest sine eorum agnitione & confessione à Deo peti aut obtineri. Vulnera hæc nostra, si sananda sint, medico huic detegi debent. Atque hæc confessio imprimis est necessaria, & sæpè etiam sufficit, cum peccata non sunt manifesta. Estque instituenda vel privatim, vel etiam publicè totius Ecclesiæ nomine: idque vel ordinariè, vel extraordinariè. Sæpè etiam coram hominibus necessaria est peccatorum Confessio, quæ itidem aut est publica, aut privata. Publicè, coram Ecclesiâ vt peccata sua confiteantur, quicunque eam publicis peccatis & gravibus scandalis offenderunt, vt hac ratione resipiscentiam publicè testentur & promittant, antequam ad communionem Ecclesiæ recipiantur, ædificatio Ecclesiæ exigit. Nec pudere debet seriò resipiscentes, si publicè lapsi fuerint, publicè etiam resurgere, & Pœnitentiâ suâ dato scandalo mederi. Privatim proximo peccatum suum confiteri debet, qui eum aliquâ injuriâ affecerit, vt confessione & deprecatione culpæ in gratiam cum proximo redire, eique reconciliari possit. Necessarium quoque est aliquando, cum quis peccatorum sensu ita affligatur, vt seipsum sine alterius consilio explicare nequeat, vt privatim proximo suo, sive Pastori, sive alij amico idoneo, peccata sua confiteatur, eum in finem, vt ejus consolatione, instructione, & precibus juvari possit. Hujusmodi confessiones peccatorum pias, vtiles, necessarias, ac in verbo Dei præceptas esse palam docemus & profitemur.

Confessio coram hominibus quid & quotuplex?

III.

Quod verò Pontificij docent ad veram & salutarem

salutarem Pœnitentiam necessariò etiam requiri, vt singuli fideles exactam omnium peccatorum, quorum meminisse possunt, confessionem instituant privatim ad aurem Pastoris, quem illi Sacerdotem vocant, eum in finem vt facta hac confessione à Pastore obtineant à peccatis illis Absolutionem, nusquam in Scriptura V. aut N. Testamenti à Deo præscriptum legitur. Neq; Christus aut Apostoli vnquam talem secretam & specialem peccatorum confessionem à quoquam exegerunt, aut exigendam mandarunt. Quare auricularis illa Pontificiorum confessio non est juris divini, aut ordinationis Apostolicæ, seu institutionis humanæ. Originem quidem non omninò improbandam habuit, sed progressu temporis in fœdum abusum degeneravit. Antiquitus enim confessiones peccatorum publicæ seu ἐξομολογήσεις, quibus lapsi cum Ecclesiâ reconciliabantur. quæ prius coram totâ Ecclesiâ, tandem coram Presbyterio tantùm fiebant, ac tandem vt pudori parceretur, coram delecto aliquo Presbytero. Hic ritus in Ecclesia Constantinopolitana etiam fuit observatus, donec matrona quædam sub hujus confessionis specie consuetudinem cum Diacono habuisse deprehensa fuit: ob quod facinus Nectarius illius Ecclesiæ Episcopus, ritum hunc iterum abrogavit: quod neutiquam ei licuisset, si juris divini fuisset. Pontificiorum verò hodierna Confessio auricularis etiam cum isto ritu vix aliquid commune habet. Præcipiunt enim hanc Confessionem omnibus & singulis fidelibus, omnium & singulorum quæ meminisse possunt etiam privatorum peccatorum, semel ad minimum quotannis necessariò coram Sacerdote edendam,

Quid sit Auricularis Confessio?

Vnde originem habeat?

An sit vtilis & necessaria?

&

& docens nullum peccatum, cujus quis meminisse potest, condonari, nisi cum omnibus circumstantijs expressè agnitum & ore professum. Hæc itaque Confessio auricularis, quæ hodie apud Pontificios vsitatur & imperatur, nec à Deo est mandata, nec ab Apostolicâ aut primitivâ Ecclesiâ vsurpata: ac proinde nec Christianis necessaria. Quinetiam nec Christianis possibilis est: Quis *a* enim errores suos intelligit, & in voragine demersus guttas numerare possit? Nec vtilis, quia carnalem securitatem & peccandi licentiam fovet, & conscientias hominum non verè sedat, sed miserè excruciat: Et contrà multis modis est gratiæ Dei & meritis Christi inimica, verbo Dei & libertati Christianæ contraria, ac veræ pietati noxia. Immò nihil aliud est quam tyrannidis Antichristianæ fulchrum, crudelis animarum carnificina, & turpe pecuniarum aucupium.

a *Psal.* 19. 12.

IV.

An et quatenus Ministri potestatem habeant Absolvendi à peccato?

Christus Evangelij Ministris claves regni cœlorum tradens, omnibus quidem potestatem concessit, vt per prædicationem Evangelij, tanquam internuncij & præcones, verè pœnitentibus & credentibus remissionem peccatorum in nomine Christi annunciarent, atque hoc modo peccata ipsis remitterent: promisitque se remissionem illam legitimè factam in cœlo ratam habiturum; sed nulli mortalium eam dedit potestatem, vt ipsi tanquam judices & arbitri spirituales peccata hominibus remittere, & ab illis pro arbitrio suo, & potestate quâdam judiciariâ, homines Absolvere possint. Hæc enim potestas soli Deo competit, atque ita illi est propria, vt cum

cam sibi Christus ipse attribueret, Pharisæi rectè colligerent eum sibi divinam attribuere autoritatem. Quis enim potest remittere peccata nisi solus Deus? Data autem est omnibus Evangelij Ministris hac in causa æqualis potestas: ita ut ob defectum potestatis non sit necessarium certos quosdam casus Episcopis quos vocant, aut Pontifici Romano reservari. Neque enim tam delictorum gravitas, quam resipiscentiæ sinceritas, in hac Absolutione est spectanda. Nimis autem stultè creduli sunt miseri homines in Papatu, cum sibi persuadent, modò à Sacerdote Absolutionem quocunque modo obtinuerint, egregiè se à peccatis esse purgatos, quantumvis sæpè nec fidem habeant, nec pœnitentiam veram declarent.

V.

An et quomodo Pœnitentia externè per opera declarari debeat?

Agnoscimus etiam Pœnitentiam veram non tantum per peccatorum omissionem, sed etiam per operum pietatis erga Deum, & charitatis erga proximum, (inter quæ orationem, jejunia, eleemosynas, & similia nos quoque recensemus) diligens exercitium externè esse declarandam. Superstitiosis verò illis corporis castigationibus, aut flagellationibus, peregrinationibus, abstinentijs, & similibus [b] ἐθελοθρησκείαις, sive sponte susceptis, sive à Sacerdote imperatis, Pœnitentia nec verè, nec ritè, nec debitè, nec Deo gratè declarari potest. Quis enim [c] ista ab illorum manibus requisivit? Opera autem omnia, quibus Pœnitentia externè ostenditur, sunt fructus tantùm & signa veræ Pœnitentiæ, quibus Deo pro gratia remissionis peccatorum gratitudo præstatur, non autem compensationes pro peccatis admissis, aut Satisfactiones, quibus remissio pec-

b *cultibus voluntarijs.*

c *Isa. 1. 12.*

An opera illa sint Satisfactoria pro peccatis?

catorum

catorum à Deo impetratur. Deus enim nobis peccata condonat gratis. Gratuita autem Condonatio nobis facta non potest cum nostra Satisfactione vllo modo consistere. Remittit etiam plenariè non tantùm culpam, sed & pœnam, inter quæ duo ex ordine justitiæ tam arcta est vnio, vt sublatâ culpâ omnem quoque pœnam propriè dictam, non tantùm æternam, sed etiam temporalem, auferri sit necesse. Temporales verò afflictiones non immittuntur à Deo verè pœnitentibus, vt pœnæ propriè dictæ, id est, pro peccatis satisfactoriæ, sed vt paternę castigationes, quibus ad salutem erudiuntur. Deinde solus Christus, vnicus *d λυτρωτὴς* noster non tantum pro culpâ nostrâ, sed etiam pro omni pœnâ plenissimè satisfecit: castigatio pacis nostræ ei imposita fuit *e*, & tumice ejus nos curati sumus. Deus fecit, vt in eum incurrerit pœna omnium nostrûm. Et quis denique obedientiâ suâ poterit satisfacere pro peccatis præteritis, qui ad præsentem obedientiam singulis momentis obligatus est? Quare multis modis impium est Pontificiorum commentum de Satisfactionibus humanis, quo manifestè Deus injustitiæ insimulatur, proprius Iesu Christi honor sacrilegè ad homines, eorumque superstitiosas ineptias, transfertur, conscientiæ hominum aut ad desperationem adiguntur, dum perpetuò dubij herent, an satis perfectè peccata compensare possint, aut ad securitatem carnalem & hypocrisin prolabuntur, dum levibus satisfactiunculis peccata expiari posse sibi persuadent, in iisq; securi acquiescunt.

An remissa culpa pro pœna adhuc sit satisfaciendum?

An temporales afflictiones sint pœna satisfactoria?

d *redemtor.*

e *Isai.* 53. 5. 6.

VI.

Fatemur quidem verè pœnitentem, si vel pub-

lice

licè gravi scandalo Ecclesiam offenderit, vel privatim proximi famam vel bona læserit, debere publicâ peccati coram Ecclesiâ Confessione, & Pœnitentiæ per fructus declaratione, pro dato scandalo Ecclesiæ, & agnitione culpæ, reparatione famæ, & restitutione ejus quod injustè ablatum erat, proximo satisfacere. Quem in finem etiam in primitivâ Ecclesiâ ejusmodi Satisfactionum modi & tempora Pœnitentibus præscribebantur, vt ipsi tanto melius peccata sua agnoscerent, & Ecclesiæ de seriâ eorum resipiscentiâ tanto evidentiùs constaret. Atque hæc Pœnitentiæ testificatio vocari solet Pœnitentia Ecclesiastica. Sed istis Satisfactionibus hominibus tantùm pro scandalo aut injuriâ, non autem Deo pro peccatis satisfiebat. Nostræ Ecclesiæ easdem hodieque in vsu habent, licet eam non adhibeant severitatem, quæ olim in veteribus Ecclesijs fuit vsurpata, in qua nonnunquam eas modum excessisse negari non potest.

Quales satisfactiones à Pœnitentibus in primitivâ Ecclesiâ exigi soleant?

DISPVTAT. LII.

De Indulgentijs,

ET

De Iubileo.

Thesis I.

POenitentia Ecclesiastica olim in primiti-

vâ

Indulgentiæ in primitiva Ecclesia quales olim fuerint?

va Ecclesiâ quemadmodum pro delicti vel offendiculi ratione certis temporum spatijs, & præscriptis per canones Ecclesiasticos exercitamentis quibusdam quasi pœnalibus definiebatur, ita licebat Ecclesiarum Ministris animadverso lapsi & ligati peccatoris studio in approbandâ Ecclesiæ resipiscentiâ suâ, mitius cum eo agere, & tum pœnarum canonicarum asperitatem nonnihil emollire, tum etiam tempus *a δοκιμασίας* contrahere, quæ mitigatio, seu relaxatio, vulgò *Indulgentia* dicta fuit. Hujusmodi Indulgentiarum usui in Ecclesia semper locum esse debere, non tantùm ex Ecclesiæ primitivæ praxi, sed etiam ex Apostolico mandato agnoscimus. Debet enim Ecclesia tali pœnitenti *b χαρίζεσθαι*, eum consolari, ne quo modo hujusmodi vir abundanti tristitia absorbeatur.

a *probationis*.

b *aliquid largiri* vel condonari. 2. *Cor*. 2. 7.

II.

Indulgentiæ in Ecclesiâ Romanâ quales sint?

Hodie verò Pontificij Indulgentias vocant remissiones seu relaxationes pœnarum temporalium, peccatis commeritarum, & tum in hac vita, tum præcipue in Purgatorio luendarum, ad quas post remissionem culpę homines nihilominus obstringantur: docentque Pontificem Romanum, & Episcopos ac Metropolitanos, habere eam potestatem, ut vel per se, vel per legatos suos, ille omnibus hominibus, hi verò suis tantum subjectis, non tantùm viventibus, sed etiam mortuis, & in Purgatorio existentibus, ex quodam Thesauro Ecclesiastico dispensare possit remissiones pœnarum temporalium vel in aliquot dierum & annorum centurias, vel omninò & in perpetuum, quibus remissionibus liberentur homines à pœnis

peccato-

peccatorum non tantùm commissorum, sed etiam committendorum, nec tantùm in Ecclesiæ, sed etiam in ipsius Dei judicio.

III.

Quid sit sentiendũ de Indulgentijs Pōtificijs?

Hujusmodi Indulgentias non tantùm Apostolica & primitiva Ecclesia ignoravit, sed etiam Sacra Scriptura apertè damnat. Docet enim culpam peccatorum à Deo resipiscentibus ita condonari, vt simul etiam omnes pœnæ non tantùm æternæ, sed & temporales remittantur: Idque fieri tantùm in hac vita, post quam nulla fidelibus pœna maneat fictitij Purgatorij ignibus expianda, neque infidelibus vlla pœna remittatur: temporales piorum in hac vita afflictiones non esse pœnas propriè dictas, sed tantùm paternas castigationes & salutares probationes: Deum non tantùm partem aliquam pœnarum commeritarum, sed omnem omninò & culpam & pœnam resipiscenti peccatori plenissimè remittere: Solius Dei esse, vt supremi Iudicis, peccata remittere aut retinere, homines verò remissionem peccatorum ministerialiter tantùm annuntiare: iudicia Ecclesiastica tantùm erga vivos exercenda, & ab ijs mortuos omninò exemptos esse: Statum mortuorum aut esse beatum, in quo nullis indulgentijs opus habent, aut damnatum, in quo nullis indulgentijs juvari possunt, & tantùm rigidis justisque pœnis locus est. Quare Indulgentiæ Pontificiæ verbo Dei directè sunt contrariæ, plenæ sunt superstitionibus & erroribus gravissimis, cum Dei justitiâ, cum gratuitâ ac plenariâ peccatorum remissione pugnant, Christi plenissimam pro peccatis nostris satisfactionem

evacuant, hominibus peccandi licentiam, & securitatem carnalem pariunt: ac propterea nec piæ, nec vtiles, nec necessariæ sunt, sed multis modis sunt impiæ, & gloriæ Christi ac veræ pietati noxiæ, & nihil aliud quam sacrilega & abominanda hominum inventa, & Papalis avaritiæ ac rapinæ instrumenta, quibus homines stultè creduli multipliciter emunguntur, & turpiter deluduntur.

IV.

An et qualis sit Thesaurus Ecclesiasticus?

Nec minus impium, blasphemem, & sacrilegum figmentum est Thesaurus ille Ecclesiasticus, cui tanquam fundamento Indulgentiæ Pontificiæ innituntur. Docent enim non tantum Dominum nostrum Iesum Christum multas habuisse superfluas perpessiones, sed etiam beatam Mariam Virginem, Ioannem Baptistam, Prophetas, Apostolos, aliosque Sanctos multa habuisse superflua merita, quæ simul in vnum Thesaurum Ecclesiasticum sint congesta, cujus dispensatio sit Pontifici Romano concredita, qui hæc merita, vt sint satisfactiones pro peccatis, applicare possit pro libitu suo quibuscunque ipsi visum fuerit, sive viventibus sive mortuis. Quid verò magis blasphemum esse potest, quam pretiosissimum Domini nostri Christi Agni illius immaculati sanguinem cum hominum peccatorum sanguine cõmiscere? Quid magis sacrilegum quam perfectissimæ Christi Satisfactioni, & perpessionibus ejus infiniti valoris adjungere opera hominum peccatorum tanquam satisfactoria non tantùm pro se, sed etiam pro alijs? Quid hoc aliud est, quam apertissimè sufficientiam meriti Christi abnegare?

negare? Perfectissima Christi Satisfactio Thesaurus est Ecclesiæ inexhaustus, qui vnus ad consequendam à Deo peccatorum omnium indulgentiam seu remissionem abundantissimè sufficit, cujus dispensationem solus habet is, qui claves habet inferorum & mortis. Passiones Christi infiniti quidem valoris agnoscimus, sed aliquas fuisse superfluas nec Scriptura docet, nec justitia Dei patitur. Reliqui autem sancti homines, quicunque tandem illi fuerint, ne ipsa quidem sanctissima Matre Domini excepta, cum omnes in peccatis sint concepti & nati, & procul dubiò peccatis etiam actualibus commaculati, nihil vnquam passi fuerunt, quod secundum Dei justitiam non erant commeriti, tametsi per gratiam Dei passiones eorum non ex justitia puniente, tanquam pœnæ pro peccatis satisfactoriæ, sed ex misericordia, vt paternæ castigationes & probationes fuerint immissæ: & quicquid vnquam fecerunt, illud omne ex debito eorum, ad quod multis rationibus obligati erant, profectum fuit. Quare nulli Sancti operibus vel perpessionibus suis Deo pro peccatis suis satisfacere, vel coram Deo mereri possunt, tantum abest, vt aliqui superflua habuerint merita, quibus etiam pro aliorum peccatis possit satisfieri. Hac enim ratione ex Sanctis Redemptores suos, saltem ex parte, faciunt: qui tamen ipsi nullum vnquam in operibus aut perpessionibus suis meritum, aut vim satisfactoriam, vel pro se, vel pro alijs, collocarunt, sed omnes sese indignos peccatores damnationi in se obnoxios agnoverunt, & ad consequendam salutem non ad sua, sed ad vnius Christi merita confugerunt. Qui igitur meritis suis ne suas quidem ipsorum

An Christus habuerit superflua merita?

An Sancti habuerint superflua merita?

animas potuerunt, illi multò minus aliorum animas redimere potuerunt. Qui sibi damnationem erant meriti, alijs absolutionem à peccatis mereri non possunt.

V.

An Papa Romanus summam potestatem habeat Indulgentias dispensandi?

Pastoribus Ecclesiarum omnibus, pari jure, non tantum datum est vt possint, sed etiam mandatum est vt debeant, lapso & ligato peccatori, cum pœnitentiam suam Ecclesiæ seriò probaverit, veniam indulgere, & in Ecclesiæ communionem recipere: item omnibus verè pœnitentibus & in Christum credentibus absolutam omnium peccatorum remissionem in nomine Christi annuntiare, atque ita peccatores solvere: sed nusquam in Scriptura legimus Episcopo Romano datam esse in terris summam autoritatem, hominibus tùm vivis tùm mortuis, pœnas temporales peccatis commeritas relaxandi seu remittendi, & merita tùm Christi tùm Sanctorum per Indulgentias applicandi. Nunquam etiam docet S. Scriptura Sanctos habere aliqua merita, quæ vel sibi vel alijs in remissionem peccatorum applicari possint: remissâ culpâ pœnam à Deo retineri: mortuis post hanc vitam pœnas irrogari temporales, quibus pro peccatis eorum satisfiat, & à quibus tandem liberari possint: mortuos suffragijs aut operibus pœnalibus viventium juvari posse: esse ignem aliquem Purgatorium, in quo tanquam in carcere quodam, post hanc vitam peccata pœnis temporalibus expientur: Papam Romanum hujus carceris habere claves, & ex eo posse emittere animas, quascunque libuerit. Mortuos ad jurisdictionem Papæ pertinere: Papam Romanum

posse

posse Deo judici præscribere dies & annos, quibus peccator puniri debeat. Mera itaque sunt hominum commenta, quæcunque Pontificij de Indulgentijs suis, Thesauro Ecclesiastico, & Papæ Romani potestate dispensativâ nugantur, conficta ad turpem quæstum, vt hujusmodi imposturis thesauros mundi sibi acquirant, qui meritum & satisfactio Christi, & Dei gra[tuita] peccatorum remissio planè evertuntur.

VI.

Nec minus fœda, blasphema, & sacrilega est nundinatio illa harum Indulgentiarum, quæ in Papatu eundem in finem ordinariè omnibus annis exercetur, & quarum certis quibusdam annis, puta singulis centenis, quinquagesimis, aut vigesimis quintis, quos Iudaizantes vocant annos Iubilæos, solemnis quasi mercatus instituitur. Annus enim Iubilæus, qui potius à *Iobel*, id est, buccinâ, quâ proclamari solet, quàm à *Iebul*, id est, germinatione, dictus videtur, à Deo in V. Testam. fuit institutus, vt esset Christi ejusque beneficiorum typus, qui propterea cum denuò in Ecclesiam hodie introducitur apertè Iudaismus reducitur, & ad ἀσθενῆ c καὶ πτωχὰ στοιχεῖα retrorsum reditur. Neque olim in V. Testam. eum in finem à Deo annus ille fuit institutus, vt in eo turpis hujusmodi Indulgentiarum nundinatio instituueretur. Neque fideles vnquam in V. Testam. eum aut similem in finem hunc annum celebrarunt. Apostoli nos docent metuendum esse ne illis, qui d annos & tempora observant, Christus frustra sit prædicatus: & post adventum Christi, qui corpus est, vmbras

Quid sit sentiendum de anno Iubilæo?

c *Gal.* 4. 9.

d *Gal.* 4. 10.

illas omnes debere cessare. Iudaica itaque superstitio est inter Christianos nequaquam ferenda, anni Iubilæi observatio in N. Testamento: estque recentius Paparum Romanorum institutum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ per multa sæcula incognitum. Modus etiam, quo eum Pontificij celebrant, non tantùm superstitiosus est & ridiculus, sed & planè idololatricus & blasphemus, cum remissionem peccatorum plenariam, quæ per solum Christi sanguinem quovis in loco obtinetur, promittunt omnibus, qui personaliter, vt vocant, hoc tempore Romæ basilicas Apostolorum Petri & Pauli visitant, imagines Christi & Sanctorum ibidem religiosè venerantur, aut ceremonijs illis ridiculis assistunt, easve eminùs aspectant. Hæc igitur omnia, præterquam quod in Sacra Scriptura nullum omninò fundamentum habeant, tam crassa, turpia, & abominanda sunt hominum figmenta ad turpem quæstum inventa, vt non minus mirandum quàm dolendum sit, stuporem tam pecuinum hominum mentes ita occupare potuisse, vt credant talibus nugis peccatorum remissionem coram Deo obtineri posse: & ipsos Pontifices Romanos non pudere tandem in tanta Evangelij luce mundum Christianum tam crassis & ridiculis ineptijs ludificari.

DISP. LIII.

DISPVTAT. LIII.

De Vnctione extrema,

ET

De Ordine.

THESIS I.

QVamdiu ſanationum miraculoſarum dona in Eccleſiâ Apoſtolicâ, & primitivæ exordiis viguerunt, Apoſtoli, eorumque Diſcipuli his *a* *ἰαμάτων* donis præditi, in ſanandis corporalibus morbis præter alia ſigna externa, ſæpè etiam adhibere ſolent *Vnctionem olei*, cujus frequens in illis regionibus vſus erat, vt hoc externo & viſibili ſigno teſtarentur ex arcanâ Dei virtute provenire ſanitatem, cujus illi tantùm miniſtri erant. Vſitatum enim erat ſub Lege, Spiritus Sancti gratiam oleo ſignificari. Sed hoc Signum non fuit Sacramentum propriè dictum, ſeu à Deo inſtitutum & perpetuò Eccleſiæ mandatum, ad promiſſionem gratiæ Evangelicæ de remiſſione peccatorum ſignificandam atq; obſignandam: ſed fuit tantùm vſurpatum extraordinariè ad morbos corporis miraculoſè profligandos. Poſtquam autem dona miraculoſa, quale & hoc ſanationum fuit in Eccleſiâ ceſſarunt, ſignum etiam hoc ceſſare debuit: nec retineri, aut vſurpari nunc poteſt, niſi ex ſtultâ & inani *c* κακοζηλίᾳ, & magnâ cum ſuperſtitione.

Qualis vnctio tempore Apoſtolorum fuerit vſitata, & quem in finem?

a *ſanationum.*

An fuerit N.T. Sacramentum?

c *æmulatione.*

II.

Quali vnctione hodie Pontificij vtantur?

Vnctio autem olei extrema, quam hodie Pontificij vsurpant, est actio Episcopi aut Sacerdotis Pontificij, quâ post recitatas quasdam Letanias oleo olivæ, certâ verborum formulâ ab Episcopo solemniter exorcizato, & consecrato, ægrotorum in vitæ exitu constitutorum septem corporis partes, scilicet oculi, aures, nares, os, & manus, vt quinq; sensuum organa, & simul renes & pedes inunguntur, cum pronuntiatione horum verborum: *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi* Deus *quicquid deliquisti per visum, &c.* Hunc potissimum in finem vt hæc vnctio animæ ægrotantis conferat invisibiliter gratiam Spiritus Sancti, & per eandem delicta peccatorum, si quæ adhuc sint expianda, & reliquiæ peccatorum abstergantur, & anima ægrotantis adversus tentationes Diaboli confirmetur.

III.

An vnctio hæc Pontificia aliquid commune habeat cum vnctione Apostolicâ?

Hic vnctionis ritus, nec à Christo, nec ab Apostolis institutus aut vsurpatus fuit: nihilque habet commune cum vnctione ab Apostolis vsitata. Apostoli enim & qui Apostolorum tempore hac vnctione vsi fuerunt, præditi erant omnes dono sanationum miraculoso, quod Sacrificuli Pontificij non habent. Illi vnxerunt ægrotos eum in finem, vt sanitati miraculosè restituerentur, hi vngunt tantùm eos ægrotos, qui jam animam agunt, & quorum sanitas planè desperata est, neque vllum hominem per hanc vnctionem sanitati restituunt. Illi vtebantur oleo simplici

sine

sine aliquâ solenni verborum formulâ: Hi non vtuntur, nisi oleo multis ritibus, & conjurationibus solenniter & operosè ab Episcopo consecrato, & certâ ac blasphemâ verborum formulâ. Illi non adhibebant aliquas peculiares ceremonias præter hanc vnctionem, hi tùm in olei consecratione, tùm in ejusdem inunctione adhibent multas, variasque ridiculas ceremonias à superstitiosis hominibus excogitatas, de quibus in verbo Dei nullum planè apparet mandati vestigium. Illi vnctionem hanc adhibebant, vt per miraculosam sanitatis adhibito hoc symbolo restitutionem, Doctrinæ Evangelicæ veritatem confirmarent, hi vt animam ægroti à peccatorum reliquijs purgent, & contra Diaboli tentationes muniant. Vnde manifestissimè apparet cum illo temporario ritu Apostolico, hunc Pontificium vnctionis ritum nullam planè habere communionem, nec Apostolicam vnctionem hujus figuram fuisse: ac proinde exemplo Apostolico extremam illam ægrotum vnctionem hodie ab illis vsitatam non posse stabiliri.

IV.

Hæc itaque extrema vnctio cum à Christo non sit instituta, neque adjunctam habeat gratiæ justificantis promissionem, sed stultum, invtile, & inane sit hominum inventum, multiplici superstitione & blasphemiâ plenum, nullo jure Sacramentum N. Testamenti appellari potest. Et cum huic ludicræ actioni efficaciam ascribunt non tantùm corpori sanitatem restituendi, sed etiam animam à peccati reliquijs purgandi, & contra Diaboli tentationes in agone roborandi, non

An vnctio Pontificia sit Sacramentum Novi Testamenti?

An vnctio hac possit corpus sa-

nare, & animam à peccatis purgare?

tantùm stultè effectum comminiscuntur, cujus nullum vnquam specimen apparuit, sed etiam blasphemè externis & terrenis elementis attribuunt vim illam, quæ Christi sanguini & Spiritui propria est. Quare vnctio ista meritò ex Christiana Ecclesia est exterminanda, ne homines fiduciam in rebus illis ludicris collocantes Deum graviter offendant, & ineptijs talibus porrò ludificentur. Nec propterea tamen ægroti sine præsidio contra Diaboli tentationes relinquuntur, cum alia sint remedia & efficaciora & à Deo ordinata, externa scilicet Ministrorum Ecclesiæ, & interna Spiritus Sancti consolatio, & piæ tùm ægrotantis, tùm fidelium pro ægrotante preces.

V.

An Ministri aliquâ ceremoniâ ordinari debeant?

Ministros legitimè ad Ecclesiæ Ministerium vocatos convenit, exemplo Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ, non tantùm precibus, sed solemni actione, ac ritibus quibusdam, ordinis & decori causa, publicè inaugurare, ac Deo atque Ecclesiæ quasi consecrare, vt hac ratione Ministerij Ecclesiastici dignitas populo commendetur, & ordinati admoneantur se jam Christo ejusque Ecclesiæ in servitutem addictos. Hæc consecratio, seu ordinatio, non competit solis Episcopis, qui

A quibus illa sit administranda?

ita in Papatu vocantur, sed quibuslibet Ecclesiæ Ministris, quibus Presbyterium has partes demandaverit. Ritus, qui tempore Apostolorum in hac Ministrorum ordinatione adhibebatur,

An Impositio manuũ sit ritus adiaphorus?

erat *Impositio manuum*, qui etsi satis commodus & decens est, non tamen præcisè est à Christo aut Apostolis imperatus, ac proinde est ritus adiaphorus, ordinis tantùm & decori causâ

vsur-

vſurpandus. Ceremoniæ autem, quibus hodie vtuntur Pontificij in ordinatione Miniſtrorum, quales ſunt vnctio, raſura in vertice, porrectio libri patinæ, baculi paſtoralis, præciſa verborum formula, linteæ veſtes, cerei, cruces, & ſimiles non ſunt ab Apoſtolis neque inſtitutæ, neque vſurpatæ, ſed plenæ ſunt Iudaica d ζηλώσεως, & ſuperſtitione.

An ceremonia Pontificiorum in Ordinatione ſint ab Apoſtolis inſtituta?
d *æmulatione.*

VI.

Ritus autem, quibus Miniſtri* inaugurantur, quicunque tandem illi ſint, multò minus ritus illi Pontificij ab hominibus ſuperſtitioſis excogitati, non poſſunt eſſe Sacramentum Novi Teſtamenti, cum non ſint omnibus fidelibus communes, nec à Chriſto inſtituti, vt ſint gratiæ Iuſtificantis ſigna & ſigilla. Nam etſi in V. Teſtam. ordinatio Miniſtrorum multis etiam ceremonijs peragetur, nunquam tamen illa ordinatio pro Sacramento propriè dicto habita fuit. Adjunctam quidem habent ſymbola iſta aſſiſtentiæ divinæ in Miniſterio ſignificationem & promiſſionem, ſed non Evangelicæ de remiſſione peccatorum gratię obſignationem. Admonent etiam tùm populum, tùm Miniſtrum ordinatum, officij ſui, & dignitatis Miniſterij, ſed non habent efficaciam vllam, vt Miniſtros ad munus ſuum obeundum reddant magis idoneos & habiles, multò minus vt illis conferant gratiam juſtificantem, aut imprimant characterem aliquem indelibilem, qui nec per apoſtaſiam nec per hæreſin deleri poſſit. Ordines Miniſtrorum Eccleſiæ Novi Teſtamenti non eſſe ſeptem, ſed tres tantùm, ſuperioribus diſputationibus fuit demonſtratum:

An ritus illi ſint Sacramenta N. Teſtamenti?

Quæ ſit efficacia horum rituum?

Quot ſint ordines Miniſtrorum N. Teſt.?

inter quos non habent locum Sacerdotes propriè dicti. Potestas enim offerendi Sacrificium propitiatorium in Novo Testamento non potest conferri vlli homini mortali, sine magno sacrilegio, & manifestissimâ ac blasphemâ Domini nostri Iesu Christi vnici Sacerdotis nostri, qui in æternum manet, & perpetuum habet Sacerdotium, contumeliâ.

An sint Sacerdotes in N. Testam.

DISPVTAT. LIV.

De Matrimonio.

THESIS I.

MAtrimonium est sanctæ Dei institutio, secundum quam duo homines, vnus mas & vna fœmina, ex mutuo & legitimo consensu, in individuam vitæ societatem, & corporum ac bonorum communionem conjunguntur ad Dei gloriam, & ipsorum bonum. In tali Matrimonio omnes fideles ei idonei, cujuscunque tandem sint ordinis, non minùs sanctè & castè possunt vivere, quàm in cœlibatu, aut statu virginali: adeò vt status cœlebs seu virginalis, quamvis suas habeat commoditates, & plerumq; minus curarum ac molestiarum secum ferat, non sit tamen statu conjugali in se perfectior, aut sanctior, aut Deo gratior. Conjunctio hæc vnius maris & vnius fœminæ in carnem vnam, spiritualis illius conjunctionis, quæ inter Christum

Quid sit Matrimonium?

An status virginalis conjugali sit sanctior?

An Matrimonium sit Sacra-

Sponsum

Sponſum & Eccleſiam Sponſam ejus intercedit, eſt quidem illuſtris quædam imago, quamobrem etiam ª μυστήριον μέγα in Scripturâ vocatur, ſed pro Sacramento Novi Teſtamenti propriè dicto cenſeri nequit. Deus enim Matrimonium non inſtituit, vt eſſet gratiæ Evangelicæ de peccatorum remiſſione per Chriſtum Mediatorem obtinendæ ſigillum: nam etiam ante peccatum in ipſo innocentiæ ſtatu fuit inſtitutum. Eſtque infidelibus commune, quibus tamen Sacramenta non ſunt inſtituta. Si omnia Myſteria, aut Spiritualis Chriſti cum Eccleſia conjunctionis ſigna, qualia etiam ſunt conjunctio membrorum cum capite, palmitum cum vite, & ſimilia alia, pro Sacramentis propriè dictis eſſent habenda, infinitus Sacramentorum numerus procuderetur. Si Matrimonium eſt Sacramentum à Deo fidelibus inſtitutum, vt Pontificij volunt, quo jure Miniſtros Eccleſiarum ſuarum ab eo arcent? Sin propterea; quod ſit ſtatus impurus, in quo non liceat ſanctè vivere, & quod ſit carnis inquinamentum, quomodo poterit eſſe gratiæ Iuſtificationis Sacramentum? Cum Ordinem etiam inter Sacramenta numerent, cujus prophanatio ſit Matrimonium, an Sacramenta fingenda erunt, quæ ſe mutuò polluant & deſtruant? Matrimonium itaque rectè quidem ſacræ cujuſdam rei ſignum, & myſterium appellari, ſed pro Sacramento propriè dicto haberi nullo jure poteſt, neque aut à fidelibus in V. Teſtamento, qui etiam in Matrimonio vixerunt, aut in Novo Teſtamento ab Apoſtolis pro Sacramento vnquam fuit habitum.

mentum propriè dictum?

ª *magnum myſterium* *Eph.* 5. 32.

II.

II.

Quomodo Matrimonium legitimè contrahatur?

In doctrinâ de Matrimonio duo præcipuè veniunt consideranda. Primum est; Quomodo legitimè contrahatur. Secundum; Quomodo contractum dissolvatur. In Matrimonio contrahendo considerari debent Personæ contrahentes, & Forma contractus. In Personis contrahentibus, earum Numerus, & Qualitates. Numerus personarum contrahentium tantùm binarius esse debet, vnius maris & vnius fœminæ. Deus enim fecit ab initio masculum & fœminam, & ordinavit vt illi Duo essent in carnem vnam. Vnusquisque *b* vir vxorem habebit propriam, & fœmina ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα. Polygamia itaq; vera, cum quis simul plures vxores habet, semper fuit institutionis divinæ transgressio, aut saltem ab eadem digressio, & in Patriarchis etsi respectu necessitatis quasi tolerata, nunquam tamen fuit licita: in Gentibus autem nec licita vnquam fuit, nec tolerabilis. Polygamia verò seu Digamia successiva, cum quis mortuâ priore conjuge ad secundas aut alias deinceps nuptias transit, nec Lege Dei est prohibita, nec inhonesta. Quare Ministris Ecclesiarum licet etiam secundis nuptijs in Ecclsiâ publicè benedicere, quia secundum hoc Matrimonium non minus est verum & sanctum, quam primum. Nec reddit hæc digamia aliquem inidoneum, quo minus ad sacrum Ecclesiæ Ministerium promoveri possit.

b 1. Cor. 7. 2.

An Polygamia vnquam fuerit licita?

An Digamia sit licita & honesta?

III.

Quales personæ

In Personarum contrahentium qualitate imprimis considerandum est, vt sint idoneæ, tùm

ad Matrimonium in genere, tùm ad tale Matrimonium in specie, seu cum tali personâ, contrahendum. In genere Matrimonium contrahere prohibentur alij propter ætatem impuberem, alij propter naturæ *ἀδυναμίαν*. In specie non possunt simul Matrimonium contrahere personæ, quæ prohibito Lege Dei Consanguinitatis aut Affinitatis gradu sibi invicem sunt conjunctæ. Gradus Consanguinitatis & Affinitatis prohibiti omnes in verbo Dei, atq; imprimis Levit. XVIII. vel expressè, vel per analogiam & necessariam consequentiam continentur. Neque habet Ecclesia potestatem alios Consanguinitatis aut Affinitatis gradus prohibitos constituendi, præter eos, qui ita Lege Dei prohibiti sunt. Quare Pontificij impiè fecerunt, cum hanc sibi autoritatem divinam arrogarunt, & olim vsque ad septimum, nunc verò vsque ad quartum Consanguinitatis & Affinitatis gradum conjugia prohibuerunt: hunc proculdubiò in finem, vt hac ratione tanto plures dispensationum occasiones, & per consequens etiam lucri, sese offerrent. Nulli enim mortali licet conscientias hominum legibus suis ligare, vbi eas Deus non ligat: nec ijs libertatem eripere, quam Deus concessit. Sunt autem Leges illæ divinæ, quibus gradus prohibiti præscribuntur Levit. XVIII. & alibi, tam in V. quam in N. Testam. non solùm constitutiones Legis judicialis, sed etiam pertinent ad Legem Moralem, atque adeò ad ipsam Naturæ legem. Quare nulli mortalium licet illas leges aut abrogare, aut mutare, aut contra eas dispensare. Ac proinde Papa Romanus cum sibi arrogat potestatem dispensandi in omnibus gradibus à

possint contrahere?

c impotentiam.

Qui Gradus Consanguinitatis & Affinitatis sint prohibiti?

An Ecclesia possit prohibere gradus in verbo Dei non prohibitos?

An Leges Levit. 18 sint perpetuæ?

An Papa Romanus possit dis-

Deo

pensare in gradibus à Deo prohibitis?

Deo prohibitis, excepto primo, manifestissimè ostendit, se esse verum illum Antichristum,[d] qui se effert supra Deum. Cognatio verò omnis, quæ Matrimonium impedit, carnalis est, nulla autem spiritualis. Hæc enim si conjugium impediret, nulla possent inter Christianos conjugia contrahi, cum ad omnes Christianos se extendat, qui fratres & sorores Spirituales inter se omnes sunt in Christo. Quod ergo Pontificij nugantur inter Baptizatos, commentitioque Confirmationis Sacramento initiatos, & eorum ἀναδόχους seu Susceptores intercedere peculiarem aliquam cognationem Spiritualem, quæ impediat, vt ipsi aut eorum liberi Matrimonio inter se conjungi non possint, figmentum est, Scripturæ & priscæ Ecclesiæ incognitum, atque ab omni ratione alienum. Ratio supputandi gradus Consanguinitatis & Affinitatis, quæ vsitata est in jure civili, in quo quot sunt generationes tot supputantur gradus, multò exactior, & naturæ ac Scripturæ convenientior est supputatione illâ, quæ fit in jure Canonico.

d 2. *Theß.* 2.4.

An Cognatio Spiritualis impediat Matrimoniū?

Quæ ratio supputandi gradus sit exactior, juris Civilis, an Canonici?

IV.

Forma contractus Matrimonialis consistit in mutuâ stipulatione partium contrahentium, ex vtriusque libero consensu citra errorem factâ, & verbis fidei conjugalis promissionem disertè continentibus vtrinque expressâ. Consensus hic mutuus partium contrahentium est præcipua Matrimonij causa, atque ita ad legitimum Matrimonium necessaria, vt sine eo nullum Matrimonium sit ratum, ac proinde sponsalia nomine impuberum à parentibus contracta, non sunt

Quomodo Matrimonium contrahatur?

rata.

rata, anteqnam accedat mutuus hic partium consensus, cum jam ad annos pubertatis pervenerint. Consensus hic etiam liber & voluntarius esse debet, non vi, aut metu, aut minis, aut autoritate, ne parentum quidem, extortus. Vt autem parentes liberos sine ipsorum consensu ad Matrimonium non possunt cogere: ita etiam liberi sine parentum consensu non tantùm non debent, sed nec possunt conjugia contrahere. Liberi enim parentibus sunt subjecti, neque potestatem habent seipsos in Matrimonium collocandi, sed parentum est liberos suos elocare. Quare parentum consensus in liberorum nuptijs non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate requiritur. Matrimonium legitimè contractum vt solemni e *ἱερουργία* & inaugurali benedictione coram Ecclesiâ publicè confirmetur, decorum, vtile, & pietati Christianæ conveniens existimamus, sed hanc benedictionem propriè ad Matrimonij substantiam pertinere non arbitramur. Ritus autem in hac benedictione vsurpandi sunt, qui à superstitione quam maximè alieni sint, atque ad ædificationem quam maximè idonei: quales sunt institutiones atque admonitiones de fine & vsu conjugii, deque coniugum officiis mutuis: & preces ad Deum pro felici coniugii successu, quæ omnes vt linguâ coniugatis atque Ecclesiæ cognitâ fiant, omninò requirit ædificatio. Quare Benedictio, quæ in Papatu fit linguâ incognitâ meritò vt ridicula & superstitiosa est improbanda, præsertim cum adiunctos habeat multos ritus superstitiosos, & non levem Cœnæ Dominicæ profanationem.

An parentum consensus in liberorum nuptijs necessariò requiratur?

e sacerdotis administratione.

Benedictio Matrimonij an pertineat ad substantiam Matrimonij?

An debeat fieri linguâ cognitâ?

V.

An alia sit Divortij causa præter Adulterium?
f *indissolubile.*
g *Mat.* 5. 32.
h *Mat.* 5. 32.
An Disparitas in Religione, Infidelitas, aut Hæresis?
i 1. *Cor.* 7. 15.
An votum Monachatus?

Conjugii legitimè contracti & consummati vinculum tam arctum est, atque f ἀκατάλυτον, vt, quamdiu vterque conjux in vivis est, ne quidem per mutuum consensum, dissolvi nunquam possit, g παρεκτὸς λόγου πορνείας. Vnica enim & sola Divortii causa legitima est Adulterium, quod directè pugnat cum naturâ Matrimonii, vtpote quo non tantùm mutua fides violetur, sed & individua conjugum societas solvatur. Si quis h vxorem suam dimiserit extra rationem scortationis, facit vt ea mœchetur, atque ipse etiam si aliam duxerit, mœchatur. Huic affinis est malitiosa desertio, quæ etiam pro adulterio censetur. Ob Religionis autem disparitatem, vel ob alterius conjugis infidelitatem, aut hæresin, conjugium dirimi non potest, ne quidem quoad thorum: etiam ne tunc quidem, si fortè conjunx hæreticus conjugem ad hæresin suam sollicitet, quamdiu conjunx infidelis aut hæreticus assentitur vt cohabitet. Quod si verò infidelis cohabitare nolit, in hujusmodi casu frater aut soror i οὐ δεδούλωται. Nec potest conjugium semel legitimè contractum, & ratum, etsi nondum consummatum, solvi per votum continentiæ, seu Monachatus, vel ab alterâ, vel ab vtrâque parte præstitum, ne quidem ex mutuo vtrinsque partis consensu. Quod enim Deus semel legitimè conjunxit, nulli homines, ne ipsi quidem contrahentes, separare possunt.

VI.

Facto divortio an

Quando conjugium propter Adulterium legitimè dissolvitur, non tantùm fit separatio mensæ

& thori, sed ipsum etiam conjugij vinculum planè est dissolutum. Quare parti innocenti, si cum eâ reconciliatio non potest institui, ad quam nemo cogi potest, ad alias nuptias licet transire. Non debet enim pars innocens puniri propter alterius delictum, sed si continere non potest, habet præceptum Apostolicum, vt Matrimonium contrahat. Nam cum *l* melius est Matrimonium contrahere, quàm vri: & ad vitandam fornicationem, suam quisque vxorem, & suum quęque virum habebit. Cæterum hæc quæstio locum non haberet, si Magistratus officio suo rectè fungeretur, & partem nocentem pœnâ in verbo Dei præscriptâ, quæ capitalis est, afficeret. Controversiæ & causæ Matrimoniales, quæ super Matrimonij contractum, impedimentis, divortiis, aliisq; ejusmodi rebus incidunt, præsertim quæ facti sunt, à Magistratu politico rectè judicantur, modò Leges civiles, secundum quas judicium illud instituitur. Legibus divinis sint conformes. Quid autem in talibus causis juris sit divini, Ministrorum Ecclesiæ est ex verbo Dei Magistratum docere, si forte in legibus Matrimonialibus à Magistratu sancitis, secundum quas judicat, quid desideretur verbo divino minus consentaneum. Casus autem Conscientiæ pertinent ad forum Ecclesiasticum, in quo indecens est litigiosos processus institui, & illicitum potestatem coactivam exercere. Matrimonia denique contrahi, & celebrari, & benedici possunt quovis anni tempore, nisi fortè cum in calamitatibus publicis, aut luctu privato supplicationes & jejunia instituuntur. Nec enim putandum est dies vllos esse in se tam sanctos, qui Matrimonij celebratione polluantur.

dissolvatur vinculum?

An parti innocenti liceat trãsire ad alias nuptias?

l 1.Cor. 7. 9.

An Causæ Matrimoniales judicari debeant à Magistratu?

An Matrimonia omni anni tempore celebrari possint?

cum Matrimonium non sit res impura, sed honorabilis, & sancta, quæ hominem etiam in statu innocentiæ non contaminabat: & dierum ac temporum in Novo Testamento per se sit *m ἰσοτιμία*. Quare quod Pontificij vetant Matrimonia certis anni temporibus celebrari & benedici, superstitio est neutiquam probanda, & jugum Antichristianum.

m *æqualis honor*, vel respectus.

DE HOMINE, ET EIVS TRIPLICI STATV INNOCENTIÆ, MISERIÆ, ET GRATIÆ.

DISPVT. LV.

De Statu Hominis ante Lapsum, ET De Paradiso.

THESIS I.

PRæstantissimum Dei *a δημιούργημα* est HOMO, quem DEVS in principio *b* condidit ad imaginem seu similitudinem suam, in verâ

a *opus.* *Quid sit justitia originalis?* b Gē. 1. 27.

Dei

Dei agnitione, ſapientiâ, juſtitiâ, & ſanctitate: quæ dona vocantur *Iuſtitia originalis*, quia in ipſa ſui origine eam per creationem accepit. Hæc Iuſtitia originalis ad imaginem Dei ſe habet, vt pars ad totum. Imago enim Dei præter veram in mente ſapientiam, in voluntate conformitatem cum voluntate Dei & juſtitiam, in corde affectionum & appetitionum omnium cum recta ratione harmoniam & ſanctitatem, quæ tantùm nomine juſtitiæ originalis exprimuntur, complectitur etiam ſpiritualem, intelligentem, volentem, & immortalem hominis naturam ſecundum animam, & imperium ejus in omnes creaturas. Dona hæc juſtitiæ originalis poſſunt quidem ſupernaturalia appellari, ſi reſpicias naturam nunc corruptam, ex qua non apta ſunt fluere. Homines enim corrupti à naturâ hæc dona nunc non habent. Aut ſi phyſicè conſideres eſſentialia humanæ naturæ principia, animam ſcilicet, potentias, & corpus. Ex illis enim hæc dona etiam phyſicè non fluunt, & potuiſſet Deus, ſi ita viſum ei fuiſſet, hominis naturam etſi integram, condidiſſe, tamen dotibus illis tam excellentibus non ornatam. Sed quia Theologi naturam hominis conſiderant non phyſicè tantùm, ſed veſtitam aut nativis integritatis donis ex creatione ante peccatum, vt integram, vel cum nativis defectibus corruptionis ex lapſu poſt peccatum, vt corruptam, malè hæc dona Supernaturalia vocantur reſpectu principiorum & donorum naturæ integræ, quia non fuerunt ſupra aut præter principia & dotes naturæ integræ, ſed ex iis immediatè fluxerunt. Et quemadmodum rectè dicitur aliquid homini corrupto naturale, quod fluit ex

An ſit donum naturale, an ſupernaturale?

principiis & defectibus naturæ corruptæ vel quod homini inest ab ipsa nativitate, ita etiam rectè dona hæc possunt appellari Naturalia homini integro, quia ex nativis dotibus hominis integri fluxerunt, & quia homini integro ab ipsa creatione, quæ illi nativitas fuit, adfuerunt, & naturæ constitutæ ex creatione per se adjacebant.

II.

An in naturâ integrâ fuerit propensio ad malum?

Atque hinc consequitur quæ Adamo Naturalia fuerunt in statu integro, ea nobis non esse naturalia in statu corrupto. Ac proinde rebellionem carnis adversus spiritum, seu propensionem ad malum, & pronitatem ad voluptates carnales, quæ in naturâ corruptâ conspicitur, non fuisse in naturâ integrâ ante lapsum, in quâ homo ordinatè absque vlla rebellione ad bonum ferebatur. Si enim hæc rebellio ante lapsum à naturâ, vt à Deo creata est, in homine fuit, ita vt opus habuerit frœno aliquo doni supernaturalis, quo illa coërceretur, manifestè patet Deum naturæ autorem hujus vitiositatis quoque autorem constitui.

III.

An homo integer sine speciali Dei gratiâ in bono potuerit perseverare?

Homo ad imaginem Dei in justitia originali conditus sufficientem quidem gratiam in creatione acceperat, quâ bonum operari, & peccata vitare poterat, ita vt in hoc statu præditus fuerit arbitrio libero, quo tam bonum quam malum eligere, ac proinde in bono perseverare, si vellet, poterat. Sed, vt experientia maximo cum malo nostro docuit, quemadmodum non habuit vt peccare nunquam vellet, ita constanter bonum velle

sine

ſine ſpeciali Dei gratiâ, præſertim in gravioribus tentationibus, etiam non potuit. Erat quidem in ipſo facultatum omnium, ſine rebellione, inſignis harmonia, ſed quia illa à voluntate turbari poterat, opus habebat ſpeciali Dei gratiâ hanc harmoniam & bonam voluntatem conſervante, dirigente, & confirmante, quam ſi ſemper habuiſſet, nunquam fuiſſet lapſus. Cum itaque ſana ratio dictet aliquem eo indigere ſine quo, ſi non habet, bonum aſſequi non poteſt, ſequitur rectè dici hominem in ſtatu integritatis opus habuiſſe ſpeciali Dei auxilio & gratiâ, vt in bono perſeveraret, ac proinde etiam ſine eâ in bono non potuiſſe omninò perſeverare.

IV.

An et quatenus corpus hominis ante lapſum fuerit mortale?

Nec Deus tantùm animam hominis in primęvâ creatione juſtitiâ hac originali atque immortalitate exornaverat, ſed homini etiam tale corpus adoptavit, quod licet in ſe compoſitum ſit ex diverſis elementis & humoribus, ac proinde corruptioni obnoxium eſſe poſſit, præditum tamen erat optima humorum & ſpirituum harmonia, in qua vi animæ originaliter perfectæ & immortalis, ab omni morborum intemperie, atque ab ipſa morte corporali perpetuò erat immune conſervandum, niſi interveniſſet peccatum, cujus c ſtipendium mors eſt, quæ non per naturam, ſed per peccatum introiit in mundum. Corpus itaque hominis ante lapſum, etſi non habuit abſolutam moriendi impotentiam, qualis eſt animarum, & erit glorificatorum corporum: ſic enim mori, etiam poſt peccatum, nunquam potuiſſet, habuit tamen potentiam non moriendi, quæ, conditione

c *Rom.* 6. 23.

An potentia nō moriendi fuerit homini naturalis, an supernaturalis?

Peccati non existente, à corpore separari non poterat. Nulla enim erat causa, ne interna, vt morbus aut senium, neque externa, vt vis aut fames, quæ ante peccatum homini mortem inferre potuisset: ita vt non nisi per peccatum in hanc moriendi necessitatem inciderit. Atque hæc potentia non moriendi cum etiam sit pars imaginis Dei, rectè dicitur ei fuisse naturalis in natura integra, quia non tantùm naturæ ejus integræ erat consentanea, eamque perficiebat, atque ornabat, sed etiam quia ex principijs naturæ integræ fluit, cui mortalitas planè est contraria, cum anima purissima vitam perennem in corpus sibi vnitum transpiret. Quare Pontificij cum docent mortalitatem homini in natura integra fuisse naturalem, immortalitatem autem vt donum supernaturale & accidentarium accessisse, statuunt mortem non peccati effectum, pœnam, aut stipendium, sed naturæ integræ sequelam, neque ex peccato, sed ex natura provenire: atque ita ad Pelagianorum errorem manifestè prolabuntur.

V.

An sciri possit vbinam olim fuerit Paradisus?

Locus in quo Homo primitùs conditus & collocatus fuit, vocatur Hortus Hedenis, seu Paradisus, qui non fuit locus aliquis allegoricus, sed verus, corporalis, & terrenus, in orbe habitabili. Locus hic vbinam fuerit situs, quia Moses accuratè describit, ex illa descriptione sciri haud difficulter potest, nisi velimus Mosen vel impetitiæ vel affectatæ obscuritatis accusare. Nam cum Moses disertè scribat hortum hunc fuisse in regione Heden, quæ Palestinæ & Arabiæ fuit orientalis: & fluvium procedere ex Hedene

ad

ad irrigandum hunc hortum: & inde sese dividere, ferrique in quatuor capita, quorum primi nomen est Pischon, secundi Gichon, tertij Chiddekel, qui labitur ad Orientem, Assyriam versus, & quarti Perath; & cum extra omnem controversiam habeatur fluvium Chiddekel esse Tigrim, & Perath Euphratem, non potest esse dubium, quin Paradisus hic olim extiterit in Mesopotamiâ circa Babyloniam, vbi fluvij isti reperiuntur: præsertim cum testibus historicis & experientia, etiam hodiè post peccatum & diluvium, partes istæ præ cunctis orbis regionibus reperiantur amœnissimæ. Hortus hic in terris hodiè amplius non extat, & nequaquam ambigendum est, quin fuerit olim aquis diluvij, quæ totum terrarum orbem sub cœlo, etiam altissimos montes quindecim cubitis sursum versus, tegebant, simul coopertus, vastatus, & destructus. Quare inanes sunt fabulæ, quas Pontificij comminiscuntur de translatione Enochi & Eliæ cum corporibus in terrestrem hunc Paradisum, adhuc alicubi existentem: vnde sint redituri ad certamen cum Antichristo, ab eodem trucidandi. Translati quidem sunt illi viventes in corporibus, non verò in terrestrem, sed cœlestem Paradisum, sedem maximè illis congruentem: neque ad tale certamen vnquam erunt redituri. Christus enim disertè testatur prædictionem de adventu Eliæ illo tempore in Ioanne Baptista fuisse adimpletam.

An Paradisus adhuc sit superstes?

VI.

In hoc horto duæ fuerunt memorabiles præ cæteris Arbores, à Deo vt essent rerum spiritu-

alium symbola, constitutæ, quarum vna vocabatur *d* Arbor Scientiæ boni & mali, altera Arbor Vitæ: Prima arbor fuit *Scientia boni & mali* appellata, non à formâ, quod ipsa rationalis sciret bonum & malum, nec ab effectu per se, quod in hominibus scientiam boni & mali posset efficere, sed ab eventu, quem Deus hoc arboris etymo præsignificavit, futurum scilicet, vt homo contra interdictum ex eâ comedens suo malo disceret & experiretur, quantum bonum amisisset, & quantum malum sibi conciliasset. Secunda arbor vocata fuit *Vitæ*, non quod semel gustata vim in se habuerit homini perfectam immortalitatem conferendi, aut temperamentum humidi radicalis & calidi nativi æquabile conservando senium arcendi, & vitam hominis in infinitum tempus prorogandi: non potest enim potentiæ finitæ infinita ascribi efficacia: sed ita fuit appellata à Sacramentali & mysticâ significatione, quod Adamo & Evæ esset Sacramentum, arrhabo, & symbolum, acceptæ & continuandæ immortalitatis, vt eam sibi securè promitterent, quamdiu obedientiam legi præstantes ederent ex illius fructu. Qui enim Dei præcepta præstant, illis *e ἐξουσία* est in lignum vitæ, *f* vt edant ex arbore illâ vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei.

d *Gen.* 2. *Vnde Arbor scientia boni & mali fuerit appellata?*

An Arbor Vitæ habuerit virtutem in se hominem à morte conservandi?

e *potestas.*
f *Apoc.* 2. 7.

DE

DE STATV PECCATI ET MISERIÆ.

DISPVTAT. LVI.

De Peccato.

ET

Ejus Causâ.

THESIS I.

EX beatissimo hoc integritatis statu homo in extremam incidit miseriam per Peccatum, de cujus naturâ, & causâ per quam producitur, prius in genere dispiciendum venit. *Quid sit Peccatum?* Peccatum vt brevissimè, ita optimè atque exactissimè definitur ab Apostolo Iohanne, cum dicit: *a ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία.* Ἁμαρτία hic significat non quodlibet naturæ aut artis erratum, sed morale tantùm, quod non incommodè etiam Vitium Latinè appellari posset, cum ex vsu linguæ Latinæ Vitium tam actus quam habitus vitiosos significet; sed rectius & vsitatius à Theologis Peccatum dicitur. Ἀνομία non benè transfertur Transgressio Legis, quæ soli peccato actuali competit, sed rectius Iniquitas, aut Defectio à Lege, vel quicquid pugnat cum Lege Dei, sive sit

a 1. *Ioh.* 3. 4.

sit vitiosus habitus, sive actio vitiosa facta, dicta, aut concupita adversus Legem. Definitio autem Augustini, quam Pontificij magis probant & sequuntur, cum definit *Peccatum esse factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem aeternam*: non est proba, quia non est plena, sed Definito suo angustior: cum peccata omissionis & ignorantiae, & defectus vitiosos non includat, quae tamen inter peccata censeri debent.

II.

An vitiosi habitus etiam sint peccata?

Formale peccati est defectus ejus integritatis quae in Lege Dei praescribitur: qui cum non tantùm in actionibus hominum, sed etiam in habitibus reperiantur, sequitur non tantùm actiones a Lege Dei discrepantes, sed etiam vitiosos habitus peccata esse. Alioquin enim peccatum originis, concupiscentia, omissiones boni, inclinationes inordinatae, ignorantia & dubitatio de Deo in mente, dilectionis Dei & proximi, & ardentis studij Deo secundum omnia ejus praecepta obtemperandi in corde privatio, non essent peccata, quae tamen omnia Lege Dei damnantur, in quâ bona his defectibus opposita in nobis expressè requiruntur. Vnde peccatum aliud habituale, aliud actuale rectè appellatur.

An omne peccatū sit necessariò voluntarium?

Neque ad formam peccati necessariò requiritur vt sit voluntarium, cum vt nec justitiae, ita nec peccati regula sit voluntas hominis, sed tantùm Lex Dei, à qua quicquid aberrat peccatum est, sive sit voluntarium, sive involuntarium: etsi fateamur voluntario peccati gravitatem augeri. Nam alioquin peccatum originis, & peccata ignorantiae & infirmitatis non essent peccata, quia

non

non sunt voluntaria. Nec in ratione peccati omne necessarium semper pugnat cum voluntario, sed tantùm illud quod est absolutè necessarium, & coactum ac violentum. Impij enim seu irregeniti, ex hypothesi corruptionis humanæ, necessariò peccant, quia nihil aliud possunt facere quam peccare, & tamen sponte & volentes peccant.

III.

Peccata pro subjectorum, quæ peccant, vel in quibus peccatum inest, pro objectorum, in quæ peccatur, pro Legis præceptorum, pro originis & graduum varietate, multipliciter possunt dividi in peccata originalia & actualia, animæ & corporis: contra Deum immediatè, aut contra proximum: omissionis & commissionis: graviora & leviora: sed nullo modo probanda est aut admittenda in sensu Pontificio distinctio peccatorum in *Venialia* & *Mortalia*: cum per Venialia intelligunt peccata, quæ à Deo per se & sua natura non avertunt, sed ita levia sunt vt non mortem sed veniam apud Deum mereantur, neque opus habeant, vt per sanguinem Christi mundentur, sed quæ aut per pœnitentiam, aut per ignem Purgatorium facilè expientur. Scriptura enim expressè testatur peccati cujuslibet stipendium esse *b* mortem: maledictioni obnoxium esse *c* qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis: animam *d* quæ peccaverit, morituram: qui in vno offenderit, *e* reum esse omnium: qui solverit *f* vnum de minimis istis mandatis, minimum vocandum in regno cœlorum: homines etiam de *g* quocunque otioso verbo, quod locuti fuerint, redituros rationem

Quotuplicia sint peccata?

An peccata rectè possint dividi in Venialia & Mortalia?

b *Rom.* 6. 23.
c *Gal.* 3. 10.
d *Ezek.* 18. 4
e *Iac* 2. 10
f *Mat.* 5. 19.
g *Mat.* 12. 36.

tionem in die judicij. Quare cum omnia peccata etiam minima à Lege Dei deficiant, & contra voluntatem Dei fiant, cum manifesta rebellione & legis prævaricatione, quæ iram Dei necessariò provocat, sequitur omnia etiam per se & naturâ suâ mortem æternam, & maledictionem divinam mereri. ac proinde nulla esse naturâ sua venialia. Ex accidenti autem fit vt peccata per se mortalia seu mortem merentia, fiant per Dei gratiam ac misericordiam resipiscentibus ac fidelibus venialia, quia illi per Christi pro ijs satisfactionem fide apprehensam eorum veniam, seu remissionem, à Deo gratis consequuntur. Atque in hoc sensu distinctio illa posset admitti: aut prout Scriptura peccatum aliud vocat *ἡ πρὸς θάνατον*, aliud *μὴ πρὸς θάνατον*. Quodvis enim peccatum licet in se mortale existat, fit remissibile seu veniale per Dei gratiam. quando ejus agitur pœnitentia vera & seria: ac solum peccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile, quia ejus nunquam agitur pœnitentia, eo quod Deus ita peccantes cœcitate puniat justo suo judicio, vt nunquam resipiscant, ac proinde nec remissionem peccatorum consequantur.

h 1. *Ioh.* 5. 16.

IV.

An peccata omnia sint æqualia?

Nec tamen hinc sequitur nos, cum docemus sua natura omnia peccata esse mortalia, Stoicorum paradoxum de peccatorum æqualitate in Ecclesiam introducere, haud magis, quam si quis dicat Pontificios statuere omnia mortalia peccata esse æqualia, qui docent omnia illa mortem mereri. Agnoscimus enim alia peccata in se aliis esse graviora, & gradus esse gravitatis

peccatorum, quæ propterea in leviora & graviora necessariò distinguenda esse arbitramur. Leviora enim sint peccata ignorantiæ & infirmitatis, nec tamen propterea venialia in se, cum Deus peccata non ex hominum ignorantia aut infirmitate, sed ex Legis suæ regula metiatur. Atque vt in hac vita gravitatis peccatorum gradus sunt, ita secundum eos post hanc vitam etiam erunt gradus pœnarum, quæ etsi omnes erunt æternę, & respectu temporalium pœnarum gravissimæ, pro peccatorum tamen gravitate intendentur, & aliæ alijs erunt tolerabiliores.

V.

Causa efficiens Peccati non quidem propriè & per se statui aliqua potest, cum malum propriè non effectus sed potius defectus sit: vnde non malè veteres peccato deficientem potius quàm efficientem causam assignandam esse tradiderunt: analogicè tamen efficiens causa appellari potest, ex qua hic defectus in habitu aut effectu aliquo existit. Causa autem hæc omnis quærenda est in creaturâ peccatrice & peccante. Deus verò, cum summum sit bonum, à quo nihil nisi bonum provenire potest, imò ipsissima Bonitas, cui cum malitiâ nullum omninò potest esse commercium, cum sit justissimus mundi judex, apud quem nulla iniquitas locum habere potest, qui peccata & injustitiam seriò prohibet, & severè punit, cum ejus voluntas omnis justitiæ sit regula, ac proinde non possit nisi recta & justa velle, tantùm abest vt alicujus vel minimi peccati autor vel causa esse aut dici possit, vt, cum apud ipsos Ethnicos idipsum extra omnem dubitationis aleam positum

Quæ sit causa efficiens peccati?

An Deus sit autor peccati?

positum fuerit, non tantùm summè impium & horrendè blasphemum arbitremur, si quis Deum autorem peccati dixerit vel cogitaverit, sed etiam si quis Christianus in dubium aut controversiam vocaverit, an Deus peccati autor sit, aut esse possit? Si enim peccati autor esset, non esset Deus, quia non summè bonus: imò si peccati autor esse posset, seipsum abnegare, & Deus esse desinere posset, & sic neque Deus esset, quia non perfectissimus nec immutabilis esset. Facessant ergo à Christianorum mentibus tam impiæ cogitationes, & à Christianorum Scholis tam blasphemæ Disputationes.

VI.

Quomodo Deo opera mala attribuantur?

Quando verò Sacra Scriptura Deo attribuit, quod decreverit, mandaverit, & fecerit opera quæ sine peccato non fuerunt à Creaturis facta: puta quod decreverit id quod fecerunt Iudas, Pilatus, Iudæi in Christo prodendo & crucifigendo: quod mandavit Simei vt malediceret Davidi, & Satanæ vt deciperet Prophetas Achabi: quod Iosephum vendiderit, Iobi bona abstulerit, Pharaonem obduraverit, Prophetam pellexerit, corda Ægyptiorum mutaverit, vt odio haberent populum suum: quod Davidem incitaverit ad numerandum populum, & Medos excitaverit ad deprædandam Iudæam: quod rebellio Ieroboami, & defectio tribuum à Deo fuerit, & similia alia, idipsum commodè & dextrè est intelligendum: Deo scilicet ista attribui, non quà sunt peccata in se, sed quà sunt justa sua judicia, pœnæ, ac probationes ex accidenti: atque hæc peccata à creaturis fieri, non

Quæ sit efficacia providentia Dei circa malum?

initio,

inſcio Deo, aut omninò invito, aut otioſè ſpectante (niſi enim vellet permittere fieri peccata, nulla fierent) ſed circa illa opera etiam Providentiam divinam concurrere, non malum ipſum efficiendo, ſed juſtè & ſapienter permittendo, ſeu non impediendo. Permiſſio autem hæc non eſt nuda omninò, qualis eſt eorum, qui rem aliquam impedire nequeunt, ſed hoc modo efficax, vt non ipſum malum, quod tantùm à Deo permittitur, ſed quicquid circa hoc malum boni eſt, à Deo efficiatur. Bonum autem hoc ſpectatur vel in principio, vel in medio, vel in fine actionum malarum. In principio Deus hominum voluntates non malas efficit, aut invitas ad malum cogit aut impellit, ſed malas ex ſe exiſtentes, & non niſi ad malum ſponte ſua ruentes, quaſi inclinat & dirigit, quò voluerit, ad juſta ſua judicia exequenda. Huc faciunt immiſſio bonarum cogitationum, & oblatio occaſionum, quibus homines mali malè abutuntur. In progreſſu ſeu medio, diſtinguenda ſunt i ἀνομία actionis, quæ tantùm eſt à creaturâ, & actio ipſa, qua actio tantùm eſt, quæ quia ſecundum entitatem ſuam bonum eſt naturale (malum enim non eſt niſi in bono, tanquam in ſubjecto) Deo etiam tanquam primæ cauſæ, ſine qua nullæ creaturæ moveri poſſunt, aſcribi poteſt. In fine Deus actiones creaturarum malas ita circumſcribit, vt earum magnitudini & durationi terminum ponat, ne pro libidine ſua creaturis liceat quodvis malum perpetrare, ſed frœnum eorum maxillis, & annulum naribus indit, ac denique ita dirigit, vt ad juſtiſſimam judiciorum ſuorum contra impios executionem, aut ſalutarem piorum caſtigationem

i *irregularitas.*

gationem

An Doctores Ecclesiarum Reformatarum Deum statuant autorem peccati?

gationem & probationem cedant, atque ita ex hisce tenebris gloriæ suæ lucem eruit. Hoc in sensu superiora Sacræ Scripturæ loca à nostris explicantur. Potuissent quidem nonnulli Ecclesiarum Reformatarum Doctores concursum hunc Providentiæ divinæ & malarum hominum voluntatum in operibus illis malis, phrasibus & verbis paulò commodioribus explicasse, quam quæ in scriptis eorum alicubi reperiuntur, sed cum de sensu ipsorum vero & recto ex alijs locis abundè atque evidentèr constet, & hæresis non in verbis sed in sensu sit, candidè illa accipi debent, & excusari possunt. Quare Bellarminus palam ostendit se insignem esse Sophistam, impudentem calumniatorem, atque impium Sycophantam, cum ex quibusdam duriusculis Doctorum nostrorum phrasibus, ijsque manifestè detortis & corruptis consequentijs, calumniosè, sophisticè, & per vim contortis, impingit præcipuis quibusdam Ecclesiarum nostrarum Doctorum horrendissimas blasphemias, quas nemo barbarus & l ἄθεος, immò ne ipse Satan quidem in Majestatem divinam evomere auderet: scilicet eos docere, Deum esse autorem peccati, Deum verè & propriè peccare, Deum solum peccare, & Peccatum nihil aliud esse, quàm falsam imaginationem. Illi enim ipsi Doctores blasphemas hasce opiniones apertissimè damnant atque execrantur, & nonnulli etiam easdem stertentibus Papistis doctissimè & solidissimè refutarunt. Nos contrà ex doctrinâ Bellarmini, quâ statuit Providentiæ divinæ concursum quendam indifferentem, seu influxum tantùm indifferenter concurrentem, ita ut semper penes

l *sive Deo, impius.*

homi-

hominem maneat indifferentem illum influxum pro libitu suo sic vel sic determinare, bonâ & evidenti consequentiâ colligimus eum hâc doctrinâ Specialem Dei Providentiam circa res humanas penitus tollere, Deum de throno Providentiæ suæ præcipitare, Deum hominibus subjicere, & homines supra Deum evehere, omnem Dei cultum & metum tollere, atque ita Epicuræismo, & Atheismo januam manifestè aperire.

DISPUTAT. LVII.

De Lapsu Adami.

Thesis I.

PRima omnis miseriæ humanæ origo extitit ex illo tristissimo & humano generi perniciosissimo Lapsu primorum parentum, qui fuit voluntaria illa Adami & Evæ inobedientia, & transgressio Legis divinæ, de non comedendo fructu arboris Scientiæ boni & mali, facta in Paradiso, suasore Diabolo, qua justissimo Dei judicio integritatem & justitiam originalem, quam in deposito habuerant suis posteris communicandam, si perstarent, sibi & suis perdiderunt, & mortem temporalem ac æternam sibi & posteris omnibus attraxerunt, & se cum tota posteritate ex summo dignitatis fastigio in profundissimam miseriarum voraginem præcipitarunt. *Quid sit Lapsus Adami?*

II.

Quodnam fuerit primum Adami peccatū: Superbia, an Infidelitas?

a *Rom*. 5. 14.
b *Rom*. 5. 15.
c *Rom*. 5. 19.

Peccatum hoc in genere quidem vocatur in Scriptura a παράβασις, b παράπτωμα, & c παρακοὴ, sed quodnam in specie primum & præcipuum in hoc lapsu peccatum fuerit, disertè non exprimitur. Ex circumstantijs tamen colligitur varia & multiplicia hîc peccata simul concurrisse, inter quæ primum aut maximum non Superbia, sed potius Infidelitas est æstimanda, quia minis à Deo verissimè & severissimè pronuntiatis fidem homo abrogavit, quas si veras credidisset, nunquam in tam immane exitium se præcipitâsset. Nulla in homine elatio esse potuit nisi prius fide eius labefactata. Atque vt Fides omnis obedientiæ & iustitiæ fons est, ita contrà, omnis quoque inobedientiæ fons & radix est Infidelitas, quæ ambitioni & superbiæ januam aperit.

III.

An peccatum hoc Adami fuerit gravissimum?

Nec fuit hoc peccatum leve aliquod delictum, puta violatio tantùm fructus vetiti ex gulæ intemperantia, in qua hic non est hærendum, sed prætcrquam quod fuerit Legis divinæ, qua Deus hominis obedientiam explorabat, voluntaria & quasi vniversalis transgressio, ac proinde fœderis cum Deo initi & obedientiæ ex fœdere debitæ manifesta ac totalis renunciatio, multa gravia & horrenda hîc simul peccata concurrerunt, qualia sunt Infidelitas, Idololatria, Diffidentia, de veritate & bonitate Dei, Dubitatio, Superbia, Ambitio, Appetitus inordinatus, Concupiscentia prava rerum illicitarum, Concupiscentia oculorum, Incontinentia manuum, Intemperantia

gulæ, Prava voluntas, Furtum rei alienæ, Violatio Sacramenti, Ingratitudo erga Deum fœdissima, d ἀστοργία erga proximos, Homicidium totius posteritatis, teterrima à Deo ad; Diabolum e Ἀποστασία, multaque alia, quorum catalogum texere nimis foret prolixum. Ex quibus facilè apparet peccatum hoc Adami fuisse omnium peccatorum longè gravissimum: quod propterea etiam ex ordine justitiæ à Deo gravissimis pœnis fuit punitum, & non nisi gravissimo & summi valoris f λύτρῳ, morte scilicet Filij Dei, pro nobis expiari potuit. Vtrum autem Adamus, an verò Heva gravius hîc peccaverit curiosa magis quam vtilis est quæstio, ad quam tamen probabiliter responderi potest, cum vir muliere sit sapientior & fortior, & vir mulieris caput fuerit, quam non audire sed corrigere debuit, & cum Deus virum gravius reprehenderit, ejusque pœnam mortis directè irrogaverit, mulieri autem indirectè in viro, gravius virum hîc deliquisse, quam mulierem.

d defectus amoris naturalis.

e defectio.

f redemptionis pretium.

An Adamus gravius peccaverit, an verò Heva?

IV.

Primi parentes nostri horribili hoc lapsu exciderunt totaliter gratiâ illâ præclarâ justitiæ originalis, in qua fuerant conditi. Ex quo tamen exemplo non potest concludi Fideles regeneratos etiam totaliter gratiâ regenerationis posse excidere: quia vtraque gratia diversa est. Adamus enim gratiam creationis non solum, quantum ad se, sed etiam quantum ad consilium Dei, mutabiliter habuit, vt eventus ostendit. Fideles verò regenerati gratiâ Christi habent quidem hanc regenerationis gratiam etiam mutabiliter

An primi parentes gratiâ totaliter exciderint?

quantum ad ſeſe: tamen non habent eam mutabiliter, quantum ad Dei conſilium, promiſſionem, certam conſervationem, & Chriſti interceſſionem! Conſervantur enim virtute Dei, ne toti corruant, ac fidem & Spiritum Sanctum penitùs excutiant, & à Lapſu ad pœnitentiam tandem certò reſuſcitantur.

V.

Quæ ſit pœna primi peccati?

Graviſſimum hunc Lapſum ex ordine juſtitiæ divinę etiam graviſſima pœna fuit ſubſecuta: quæ vt ſub *Mortis* nomine fuerat interminata, ita ſub eodem nomine omnes pœnæ commeritæ comprehenduntur & exprimuntur. Quicquid enim mortis nomine comprehenditur per Lapſum hunc ſibi homo juſtiſſimè attraxit. Primò mortem corporalem cum omnibus hujus vitæ calamitatibus, quæ ad illam mortem quædam quaſi præparationes ſunt. Secundò, mortem ſpiritualem, quæ conſiſtit non tantùm in privatione juſtitiæ originalis, ſed etiam in corruptione totius naturæ, cæcitate in mente, averſione & rebellione adverſus Deum in voluntate, pravitate, contumacia & horribili g *ἀταξίᾳ* in cordis affectibus, inclinationibus, moribus, & actibus omnibus: quam ex immoto judicij divini ordine ſequuntur mala conſcientia, fuga & odium Dei peccantem deſtruentis. Tertiò, iram Dei, & maledictionem ac mortem æternam. Hiſce pœnis non tantùm ipſi primi parentes, ſed omnes eorum poſteri naturaliter ab ipſis propagandi obnoxij & involuti fuerunt, neq; quiſquam ab illis niſi per meritum Chriſti liberatur. Quamvis autem primi parentes graviſſimum peccatum commiſerint, tamen

g *inordinatione*

An primi parentes

tamen cum promissionem Evangelij de Christo semine mulieris, *h* caput serpentis contrituro audiverint, confidimus ex regula charitatis, quæ in obscuris in meliorem partem inclinat, eos non perijsse in peccato, sed audita promissione Evangelij resipuisse, & fide servatos esse per Adamum secundum, qui cum multos Adami posteros servet, ipsum Adamum primum præteriisse, nec Scriptura docet, nec charitas statuere permittit. Gratia tamen hæc restitutionis Adamo non fuit ita donata, vti antea gratia creationis collata fuerat, in omnes posteros per naturalem generationem propaganda. Deus enim gratiam hanc salutarem Adami posteris non communicat per carnalem generationem, sed per spiritualem regenerationem secundum beneplacitum suum.

ex Lapsu sint restituti & servati?

h *Gen.* 3.

VI.

Quæ sit causa Lapsus?

In tristissimum hunc Lapsum inciderunt quidem primi parentes per suasionem & impulsum Diaboli, sed tamen sponte & liberè inclinante eò proprio voluntatis eorum motu: ita vt causa hujus Lapsus vera, propria, & proxima, extra hominis voluntatem nulla sit quærenda. Et cum prædita fuerit eorum voluntas ante Lapsum libero arbitrio, quod non tantùm cogi non poterat, sed ijs etiam viribus præditum erat, vt tam bonum quam malum eligere potuerit, sequitur, eos nullâ necessitate vel internâ vel externâ ad hunc Lapsum fuisse compulsos: atq; hujus respectu lapsos esse liberrimè, & merè contingenter. Ceterum cum etiam dici non possit lapsum hunc accidisse Deo prorsus invito: hoc enim esset Potentiam Dei destruere: nec Deo ignorante, hoc

An Adamus Lapsus fuerit necessariò, an contingenter.

esset Sapientiam Dei negare: nec Deo otiosè tantùm spectante: hoc esset Providentiam Dei tollere: Et cum credibile non sit hominem, nobilissimam creaturam, à Deo ambiguo fine conditum fuisse, aut de statu integritatis in peccatum & mortem sine Dei consilio cecidisse, cum ne i passerculus quidem aut pilus capitis sine voluntate Dei in terram cadat: cum etiam certum sit Deum lapsus hujus remedium, Christi mediationem, ab æterno ordinasse: sequitur lapsum hunc extra Dei consilium & Providentiam non esse ponendum, qua non tantùm eum providerit, sed etiam eundem, non quidem efficere, sed permittere seu non efficaciter impedire decreverit, propter suam gloriam: vt hac ratione occasionem haberet declarandæ suæ tùm justitiæ in puniendis propter peccata reprobis, tùm misericordiæ suæ in servandis gratis electis: non quod aliter decernere ex absoluta potestate non potuisset, sed quod hic modus misericordiam & justitiam suam declarandi sapientiæ divinæ placuerit, & maximè conveniens videretur. Respectu hujus decreti permissivi, & ex hypothesi ejusdem æternitatis, immutabilitatis, atque infallibilitatis, haud etiam incommodè dici potest, lapsum hunc necessariò evenisse.

i *Luc.* 12. 6.

DISPVTAT. LVIII.

De Peccato Originali.

THESIS I.

QVemadmodum primus homo in Paradiso duplicem

duplicem gerebat personam, tùm suam ipsius, tùm totius posteritatis, cujus massam sustinebat, ita etiam peccatum ejus primum geminum habet respectum tùm ad ipsum: & sic erat personalis atque actualis ipsius Adami transgressio, tùm ad totum posteritatis genus, quod in lumbis ejus latens vnà peccabat. Sicut itaque Adamus personali sua transgressione commisit actualem culpam, in reatum condemnationis incidit, & imagine Dei privatus naturæ corruptionem sibi attraxit, ita etiam omnes ejus posteri, naturali propagatione ab ipso orti, in tria hæc lethifera mala, per lapsum Adami inciderunt, in culpam actualem ab omnibus jam tum in lumbis ejus existentibus patratam, in reatum condemnationis, & in privationem imaginis Dei ac pravitatem naturæ, quæ omnibus hominibus ingenita est, & propter quam non minus quam propter illam in Adamo factam transgressionem, omnes homines nascuntur filij iræ, & rei æternæ maledictionis. Tria hæc vnico *Peccati Originalis* nomine communiter exprimuntur: quod ita vulgò vocatur, quia cum ipsa nostrî origine per generationem & humanæ naturæ participationem in nobis originem trahit.

Quid per peccatum Originis intelligatur?

II.

Primum malum quod Peccatum Originis complectitur, est participatio transgressionis primæ Adami, in quo vno homine, qui tanquam principium, stirps, & radix erat totius generis humani, nos omnes posteri in lumbis ejus, vt in massâ, existentes, originaliter peccavimus: haud secus ac Levi nondum natus in Abrahami

An omnes homines in Adamo peccarint?

a *Heb.* 7.9. lumbis dicitur *a* decimatus. Fuit enim hæc Adami transgressio non personalis tantùm inobedientia, sed etiam vniversalis omnium hominum à Deo in ipsius lumbis defectio. Quare Peccatum Adami non est nobis omninò alienum, sed est & proprium cujusque peccatum, quod propter hanc naturæ cum Adamo communionem singulis hominibus non tantùm imputatur, sed à singulis etiam est perpetratum: ac propterea etiam non malè Peccatum Naturale vocatur. Hic Lapsus noster in Adami lumbis ad Peccatum nostrum Originale omninò pertinet, sed totam Peccati Originalis naturam non complectitur, aut absolvit.

III.

An tota humana natura sit corrupta?

Quot sint partes hujus corruptionis?

b 1. *Cor.* 2. 14.

An hæc corruptio sit tantùm carentia

Secundum malum, quod primum consequitur, est naturæ humanæ corruptio & pravitas, quâ non ipsa animæ hominis substantia, quæ nec per se nec per accidens corrumpi potest, sed ejus facultates omnes corruptæ sunt, & vitiositate nativa infectæ. Hujus corruptionis duæ sunt partes: defectus justitiæ originalis debitæ inesse, & Successio mali contrarii in ejus locum. In mente Intellectus in naturalibus obscuratus, in supernaturalibus prorsus est extinctus, ita vt necapax quidem sit *b* eorum quæ sunt Spiritus Dei. Voluntas rectitudine sua, justitia, & libertate ad bonum orbata est, Deo rebellis, & peccato mancipata. Affectus excusso rationis frœno tanquam equi indomiti ad omne malum præcipites feruntur. Est itaque hæc corruptio non sola omissio doni alicujus supernaturalis, aut sola carentia justitiæ originalis, sed etiam oppositi mali inhærens mala dispositio, qualitas positiva, pecca-

tum

tum habituale, seu habitus vitiosus animam verè inficiens. Neque tantùm in anima, sed etiam in corpore hæc corruptio locum habet, quod à rectitudine sua in qua creatum fuit, etiam defecit. Totum enim hominem pravitas hæc pervasit atque occupavit: anima tamen ejus secundum omnes partes præcipuè infecta est, ita vt peccatum hoc præcipuè in anima sedem suam habere dici non immeritò possit.

boni, an verò etiam qualitas positiva?

IV.

An omnes homines rei nascantur æternæ maledictionis?

Tertium malum, quod ex vtroque præcedente, secundum justitiæ divinæ ordinem, fluit, est Reatus, seu obligatio ad pœnam, quæ duplex est: Temporalis, quæ comprehendit sub se omnes hujus vitæ calamitates ac miserias, atque ipsam denique mortem corporalem: & Æterna, quæ est separatio à Deo, mors & maledictio æterna. Reatus vtriusque hujus pœnæ incumbit omnibus hominibus originaliter, etiam ipsis infantibus, qui nondum peccata actualia commiserunt. Κατάκριμα c venit in omnes homines δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, etiam in eos, d qui non peccarunt ad similitudinem transgressionis Adami. Quare omnes homines naturâ sunt filij iræ divinæ, & obnoxii æternæ damnationi, quam duplici jure Deus illis infligere potest, tùm propter transgressionem in Adamo factam, tùm propter inhærentem naturalem pravitatem. Vtraque enim etiam seorsim sumpta secundum rigidum Dei judicium justa & sufficiens condemnationis est causa, multò magis vtraque simul conjuncta.

c Rom. 5. 16.

An etiam Infantes?

d Rom. 5. 14.

V.

Quomodo Peccatum Originis propagetur?

Peccatum Originis, quod tria hæc mala simul complectitur, ab Adamo in omnes ejus posteros naturali propagatione descendentes, & à parentibus in liberos propagatur, per modum generationis. Quia generans dat generato talem naturam qualem habet, & simile generat sibi simile secundum naturam. Quis verò edat mundum ex immundo? Neque hic attinet de Animæ origine disputare, an illa etiam à parentibus per traducem existat & generetur, an verò à Deo creetur, & corporibus infundatur. Peccatum enim hoc non est alterius partis, hoc est, neque in anima seorsim considerata, neque in corpore solo, sed est totius compositi, vel suppositi: & transit, neque per corpus, neque per animam, sed per culpam parentum, propter quam Deus animas, dum creat secundum naturam, non ornat originalibus donis, sed iisdem justissimè privat: quandoquidem ea lege parentibus primis ea dederat, vt non sibi solis, sed & posteris servarent, vel amitterent. Orbata verò anima rectitudine non potest non sequi temperamentum vitiosi corporis, & mox totus homo vitiosus existere. Anima inficitur peccato in conjunctione cum corpore, & corpus in conjunctione cum anima: quod non fit actione vnius in alterum, sed naturæ ordine & Dei ordinatione. An verò peccatum hoc ab Adamo solo, an etiam ab Hevâ trahatur, etsi Heva sola peccasset, Adamo in innocentiâ permanente, an peccatum Hevæ ad posteros esset traducendum, stultæ sunt & ineruditæ quæstiones cum certum sit peccatum non propagari nisi

An trahatur à solo Adamo?

per

per generationem, quæ non fit nisi ab vtroque parente: & per æternum Dei consilium hæc aliter evenire, nec debuisse, nec potuisse. Propagatur autem hoc Peccatum in omnes & singulos homines secundum naturæ ordinem ab Adamo descendentes, tam illi qui à fidelibus parentibus, quàm qui ab infidelibus nascuntur. Ipsa sanctissima Domini nostri Mater Maria, quia communi lege naturæ concepta & nata est, & Christum Filium suum etiam Servatorem suum agnoscit, qui tantùm Peccatorum Servator est, hic non potest excipi. Scriptura enim disertè testatur omnes homines in Adamo *a* peccasse: ne vnum quidem ex immundo dari posse: omnes naturâ *b* esse filios iræ. Solus Dominus noster Iesus Christus excipitur, quia non ex virili semine, sed Spiritus Sancti virtute, in vtero Virginis sine peccato conceptus fuit. Ille solus non novit Peccatum, & à peccatoribus *c* fuit segregatus. Privilegium hoc non potest vlli alij homini vel sanctissimo sine insigni Christi contumeliâ ascribi, nec gaudet Mater Domini falsis titulis, aut cum contumeliá Filij honorari.

An Virgo Maria cõcepta fuerit sine Peccato

a *Rom.* 5. 12.
b *Eph.* 2. 3.
c *Heb.* 7. 26.

VI.

Quemadmodum Peccatum hoc Originale per primum Adamum in omnes ejus posteros per naturalem generationem ab ipso descendentes propagatur, ita idem per secundum Adamum Iesum Christum tollitur ab omnibus qui per spiritualem regenerationem ipsi sunt conjuncti. Tollit autem Christus hoc peccatum non per externam aquæ ablutionem, quæ tantùm hujus sublationis est symbolum, sed ipsius pretiosum

Quomodo Peccatum Originis tollitur?

sanguinem, quo omnia nostra peccata purgantur, & per internam Spiritus Sancti regenerationem. Per sanguinem ejus tollitur Reatus, per Spiritum Corruptio. Duplici huic malo duplex in Christo remedium, & duplex opponitur Christi beneficium, Reatui Iustificatio, Corruptioni Regeneratio seu Sanctificatio. Iustificatio autem, quia in hâc vitâ perfecta est, perfectè etiam Reatum tollit in hâc vitâ ab omnibus justificatis, ita vt illis qui in Christo Iesu sunt, d nulla amplius sit condemnatio. Inter quos cum non tantùm Fideles adulti, sed etiam eorum Infantes, ex vi fœderis, & promissionis divinæ, sint censendi, nullo modo dubitandum est, quin omnes fidelium infantes sine peccatis actualibus ex hâc vitâ discedentes, ab hoc originali reatu per Christum absoluti æternæ beatitudinis participes fiant, à cujus fruitione propter solam Baptismi externi carentiam nequaquam excludi possunt. Reatus enim peccati originalis non per externam Aquæ in Baptismo ablutionem, sed per Rem baptismo significatam, quæ est Sanguis Christi, propriè tollitur. Baptizantur autem infantes non vt reatus per baptismum externum tollatur, sed vt ejus per sanguinem Christi sublatio Sacramentaliter significetur atque obsignetur. Baptismus itaque propriè non est causa sublationis reatus, sed sublatio causa est, quare infantes baptizari debeant. Non sola Baptismi carentia, sed contemptus damnat, qui in infantibus locum habere non potest. Quod verò ad infidelium, qui extra Dei fœdus sunt, infantes attinet sine actualibus peccatis morientes, an illi omnes propter solam Originale Peccatum sint condemnandi,

Quomodo tollatur Reatus?

d *Rom.* 8. 1.

Quomodo & quatenus ab Infantibus?

An infantes sine baptismo morientes à reatu non absolvantur?

an verò contra reatus hic etiam ab omnibus illis per Christum sit sublatus, cum in Scriptura nihil sit definitum, nec nos quicquam hîc definire debemus: quamvis interim secundum charitatem, quæ in obscuris partem mitiorem sequitur, benè sperare liceat. præsertim cum gratia Electionis divinæ sit liberrima, nullis natalium privilegiis adstricta Docet quidem Sacra Scriptura disertè hæc duo: omnes infantes naturâ filios iræ, æternam damnationem commeritos; & ad fœderatorum infantes regnum cœlorum pertinere: sed nullibi in Scripturâ ejusmodi promissio etiam infidelium liberis facta legitur, sed illi passim à fidelium liberis distinguuntur, & impuri vocantur: condemnandos verò esse illos omnes nusquam etiam dicitur. Quare sententia Pontificiorum, quâ omnes omninò Infantes sine Baptismo morientes absolutè damnant, & in commentitium quendam limbum deportant, vbi sine sensu puniantur, non tantum crudelis, temeraria, & sibi ipsi contradictoria est, sed etiam respectu infantium fœderatorum divinis promissionibus directè contraria. Regeneratio verò per quam naturæ pravitas tollitur, quemadmodum in hâc vitâ nunquam perfecta est, licet in regeneratis indies magis magisque perficiatur, ita etiam hæc pravitas in regenitis quidem paulatim magis magisque corrigitur, nunquam tamen perfectè secundum omnes gradus & partes in hâc vitâ tollitur. Dominium quidem hujus innatæ pravitatis in omnibus verè regenitis aufertur, sed reliquiæ ejusdem semper manent, quæ adversus Spiritum concupiscunt, & cum quibus semper luctandum est fidelibus, donec tandem ex

Quomodo tollatur Corruptio?

An Concupiscentia in renatis post Baptismum superstes sit peccatum?

isto corpore mortis erepti, easdem omninò deponent, & ab omni pravitate perfectissimè liberati, in cœlis sancti, & vitij expertes sistentur, non habentes rugam aut maculam. Hæc corruptio post regenerationem & baptismum superstes, quæ vulgò *Concupiscentiæ* nomine Synecdochicè appellatur, etsi in verè renatis & justificatis non amplius regnet, & indies magis magisque enervetur, est tamen non tantùm fomes, causa, aut pœna peccati, vnde metonymicè Peccatum appelletur, sed etiam propriè & verè Peccatum, seu malus & vitiosus habitus, per se & suâ naturâ damnabilis, etiamsi plenus voluntatis consensus nondum accesserit. Cum enim Apostoli disertè doceant, se ex Lege agnovisse hanc Concupiscentiam *e* esse Peccatum, eam rebellare Legi Dei mentibus sanctorum insculptæ, in Lege prohiberi, malam esse, & malos fructus ex se producere, non esse ex Patre, & cum sæpius expressè Peccatum appellent, sequitur eam etiam non metonymicè, sed verè & κυριώνυμως, Peccatum dici, quod proinde sicut reliqua omnia Peccata, per se sit damnabile.

e *Rom.* 7. 7. 23.

DE

DE STATV GRATIÆ, SEV DE REPARATIONE GENERIS HVMANI PER CHRISTVM.

DISPVT. LIX.

De Gratia Dei.

THESIS I.

HOmo quemadmodum sponte & voluntariâ transgressione in Peccatum, & justissimo Dei judicio per peccatum in extremam hanc Miseriam temporalem & æternam incidit, ita ex hoc Peccati & Miseriæ statu non potest liberari, & in Beatitudinis statum restitui, nisi ex solâ Dei Gratiâ, ex quâ Deus homini misero & æternæ damnationi obnoxio Filium suum Mediatorem & Redemptorem ordinavit, donavit, misit, & pro ipso in mortem tradidit, hominem ut Redemptoris beneficia amplectatur & sibi applicet, gratis fide donat, fidelem gratis justificat, & justificatum ex eadem gratiâ tandem æternâ gloriâ coronat. Gratia enim a sumus servati per fidem,

Quomodo Homo ex statu peccati & miseriæ liberetur?

a *Eph.* 2. 8.9.

& hoc non est in nobis, sed Dei illud donum est: non ex operibus, vt ne quis glorietur. Hæc duo, vt præcipua & indubitata Religionis Christianæ principia, ex Verbo Dei semper retinenda sunt: Non damnari quenquam nisi iustissimè propter sua ipsius merita & peccata: & non servari quenquam nisi ex solâ Dei Gratiâ. Huius itaque Gratiæ salutaris b τὸ πλάτος καὶ μῆκος καὶ βάθος καὶ ὕψος convenit ad Dei gloriam & nostri consolationem ex verbo Dei paulò penitius perscrutari.

b *latitudo & longitudo & profunditas & altitudo.*

II.

Quotupliciter vox Gratia Dei accipiatur?

Gratia Dei, Hebraicè *Ratzon*, Græcè Χάρις, c ὁμωνύμως dicitur, aut Propriè, aut Metonymicè: Propriè significat indebitum Dei favorem & benevolentiam gratuitam erga creaturas suas, ac maximè erga Hominem. Metonymicè aliquando nomen Causæ Effecto tribuitur, & tum significat beneficium & donum Dei ex illo favore promanans, quod in Scripturâ Græcè non tantùm χάρις, sed etiam, ad effectum e causâ suâ distinguendum, χάρισμα significantius appellatur. Illa in Deo residet: hæc à Deo creaturis confertur. Illa fons est inexhaustus, ex quo omnis generis beneficia & dona gratuita profluunt: hæc est rivus ex illo fonte derivatus. Illa salutis nostræ vnica & sola est causa d προηγουμένη: hæc omnia ad salutem necessaria complectitur media. Illa *Gratis dans*: hæc *Gratis data* rectè appellari potest. Favor Dei erga homines (de illis enim hic tantùm agimus) duplex est: *Generalis*, qui se extendit ad omnes & singulos homines, & quo ita diligit singulos, vt

c *æquivocè.*

d *intus movens.*

Quotuplex sit Gratia Dei?

velit eos non tantùm existere, sed & in natura suâ conservare, & multis beneficijs temporalibus afficere. *Specialis*, quo singulariter electos diligit, ijsque non tantùm benefacere vult, sed etiam salutem æternam, atque omnia ad eam necessaria media conferre. Dona etiam & beneficia ex favore Dei promanantia sunt duplicia: Alia sunt quæ tantùm spectant hanc temporalem vitam, & naturæ conservationem, quæ proinde etiam *Naturalia* appellari possunt: Alia sunt quæ ordinantur & requiruntur ad salutem æternam consequendam, & *Spiritualia* ac *Supernaturalia* appellantur. Potest quidem ille favor Dei Generalis *Gratia* appellari, quemadmodum etiam quodvis Dei beneficium hominibus collatum, quia Deus nemini quicquam debet: sed quando Natura & Gratia opponuntur, quod fit cum agitur de restitutione hominis in statum Gratiæ & salutis, tum per Gratiam Dei intelligi debent, non favor ille generalis, aut dona naturalia & communia, vt olim Pelagiani sub hâc æquivocatione Gratiæ latitare conabantur, sed tantùm Favor Dei specialis, & dona supernaturalia. Vtraque meritò appellantur *Gratia*, quia merè sunt gratuita, nec aliundè ortum habent, quàm à Dei bonitate & libera voluntate: & meritis nostris provocari aut acquiri nequeunt. Atque hæc Gratia Dei proprissimè debito, merito, viribus, & operibus hominum opponitur. De hâc autem salutari Gratiâ nos hic tantùm disputamus.

III.

Hæc Gratia Dei fons & causa vnica est totius salutis nostræ, non tantùm quoad principium,

sed etiam quoad medium, & consummationem illius: sicvt nulla pars sit, quæ huic Gratiæ Dei ascribi atque accepta ferri non debeat, sive ipsa salus in se & per se spectetur, sive media ad illam ducentia. Cum autem, juxta Apostolum, ad salutem seu Glorificationem tribus quasi gradibus perducamur, Prædestinatione, Vocatione, & Iustificatione, secundum illos gradus Gratiam Dei salutarem triplicem statuimus, & in Gratiam Prædestinationis, Vocationis, & Iustificationis dividimus, vt controversiæ, quæ inter nos & Pontificios Pelagianizantes de salutari hac Dei Gratiâ agitantur, distinctius proponantur, rectius intelligantur, & dilucidius explicentur.

Quotuplex sit Gratia Dei salutaris?

Gratia Prædestinationis seu *Electionis* est specialis Dei favor seu amor, quo Deus ab æterno non omnes, sed certos quosdam & singulares homines ab æterno complexus est, quos in Christo elegit ante jactum mundi fundamentum, & decrevit suo tempore efficaciter vocare, justificare, & glorificare. Meritò hic Dei favor Gratia appellatur, tum quia hujus Electionis causa nulla fuit in homine prævisa, sed vnica & sola est Dei Gratia, seu benevolus affectus voluntatis ejus: tum quia facta est ad laudem gloriosæ suæ gratiæ. Estq; hæc Dei Gratia *Æterna*, quâ Deus electos dilexit c *πρὸ χρόνων αἰωνίων*, fons & initium omnis gratiæ, quæ in tempore nobis confertur, & quæ inde *Temporalis* vocatur.

Quæ sit Gratia Prædestinationis?

Quæ sit Gratia Dei æterna?

c 2.Tim. 1.9.

IV.

Quos Deus ex Gratiâ suâ ad salutem ab æterno prædestinavit, eos etiam ex eâdem Gra-

tia, & per eandem suo tempore ad salutem vocat, & per vocationem media dat, quibus ad salutem perducantur. *Gratia Vocationis* dupliciter potest considerari: vel propriè accepta, & sic nulla alia Vocationis causa *f* ἐνεργούμενον dari potest præter gratuitam Dei benevolentiam & *g* πρόθεσιν, per quam solam vt Deus ab æterno motus est ad suos eligendum, ita etiam per eam solam in tempore movetur ad eosdem efficaciter vocandum. Vel Metonymicè accepta pro donis & beneficiis ad Vocationem necessariis. In hac significatione hic potissimum accipimus. Prout itaque Vocatio duplex est, Externa & Interna, ita duplicem statuimus Gratiam Vocationis: Alia est Externa, alia Interna. *Externa* est beneficium Dei, quo homines tùm per librum naturæ & creaturæ, tùm maximè & præcipuè per librum Scripturæ & per externa Verbi, Sacramentorum & aliquando etiam miraculorum media vocat ad sui cognitionem. *Interna* Vocationis Gratia est, vel Motio Dei transiens, vel Habitus permanens à Deo in homine per hanc motionem effectus: vnde illa *Gratia Movens*, hæc *Gratia Habitualis* appellari potest. Gratia movens duos habet gradus, primus est *Illuminationis*, quâ hominum mentes cœcæ per Spiritum Sanctum luce cognitionis Dei illustrantur, & voluntatem Dei ac viam salutis agnoscere & intelligere docentur: Secundus gradus est *Renovationis* seu *Regenerationis*, quâ Deus per Spiritum Sanctum Voluntatem & cor hominis immutat, renovat, flectit, trahit, convertit; & hâc motione conversionem & fidem in homine efficaciter operatur. Estque hæc Gratia movens

Quæ & quotuplex sit Gratia Vocationis?

f *intus movens.*

g *propositum.*

aut Prima, aut Secunda. *Prima* est, quâ è statu peccati efficaciter vocamur, & in statum Gratiæ transferimur. Hæc dicitur nova Creatio, suscitatio ex morte peccati, & regeneratio. De hac præcipua est quæstio in loco de libero arbitrio, in quo potissimum de hujus Gratiæ Dei cum libero hominis arbitrio concursu quæritur. Potest hæc Gratia in sensu commodo *Præveniens, Excitans*, & *Operans* appellari. *Secunda* est, quâ jam regenerati in statu Gratiæ corroboramur, dirigimur, servamur, vt ad finem vsque perseveremus. Hæc etiam in sensu commodo *Subsequens, Adjuvans* & *Cooperans* posset appellari: tametsi in sensu Pontificio appellatio hæc admitti non possit. *Gratia Habitualis* aut est Ordinaria, aut Extraordinaria. *Ordinaria* Gratiæ sunt Fides, Spes, Charitas, Timor Dei, Resipiscentia, Patientia, Lætitia in Deo, & reliquæ virtutes Christianæ, quæ per primam Gratiam in Electis effectæ, in regeneratis durabiliter permanent. *Extraordinariæ* Gratiæ seu h *χαρίσματα* sunt dona miraculosa linguarum, prophetiæ, sanationum & similia: Prophetis, Apostolis, Evangelistis, & præcipuis Ecclesiæ membris olim ad Ecclesiæ ædificationem collata.

h *dona gratuita.*

V.

Circa hanc Vocationis Gratiam, duæ inter nos & Pontificios præcipuæ sunt controversiæ. Prima est, An Gratia hæc sit Vniversalis? Altera, quæ ex priore fluit. An detur aliqua Gratia ad conversionem Sufficiens quæ simul non sit Efficax? Ad primam respondemus: Externam Vocationis Gratiam quæ fit per librum naturæ & creaturæ omnium hominum esse vniversalē: eam

An Gratia Vocationis sit Vniversalis?

verò

verò quæ fit per librum Scripturæ, non esse omnium, sed aliquorum. Comprobat enim experientia, quod docet Scriptura, Deum aliquando vni populo dare verbum & leges suas, alteri non ita facere, sed sinere aliquando vt gentes nonnullæ eant in vijs suis. Internam verò Vocationis Gratiam ne quidem omnibus externè vocatis esse communem. Nam ne quidem omnes, qui verbum Dei audiunt, Gratiam Illuminationis consequuntur, sed multi sunt qui aures suas obturant, & aggravant, & audiendo non audiunt, ac videndo non vident, vt intelligant. Gratia item Renovationis seu Regenerationis non est motio indifferenter se habens ad omnes, qui verbum audiunt, ac proinde non est Gratia illa communis omnibus externè vocatis, sed tantùm illis confertur qui reipsâ & efficaciter per eam convertuntur & regenerantur. Denique, multi reprobi Gratiam Illuminationis cum electis sæpè communem habent: Gratia verò Regenerationis solis electis est propria. Habent etiam reprobi aliquando habitualia quædam dona, cum ordinaria tum extraordinaria, cum electis communia, sed seria conversio, vera fides, sincera pietas, & similia dona sunt electis propria, quorum larvam aliquando hypocritę ostentant, veritatem autem non habent. Ad secundam quæstionem respondemus: Gratiam Vocationis externæ solam non sufficere ad conversionem hominis, si Gratia interna non accedat, sufficere tamen ad ἀναπολογίαν, hoc est, *i* ad omnem excusationis colorem ijs adimendum. Fatemur quidem externam Vocationis Gratiam per Verbum & Sacramenta sufficientem esse ad conversionem secundum quid, hoc est, in ordine

An Gratia Vocationis aliqua sit sufficiens, quæ non sit Efficax?

i *Rom.* 1. 20.

dine causarum secundarum, seu mediorum, quatenus nulla alia externa conversionis media præter illa requiruntur: non tamen sufficiens est simpliciter. id est, sine internâ motionis seu tractionis Gratiâ. Immò ne quidem interna Illuminationis Gratia, etsi ad ἐπαγωγίαν, ad conversionem tamen non sufficit sine altero internæ Gratiæ gradu. Nemo enim *l* potest ad Christum venire, nisi Pater eum traxerit. Vt homo ad Deum convertatur, non tantùm cœca mens est illuminanda, sed cor saxeum *m* auferendum, & carneum dandum, cor ejus est circumcidendum, innovandum, aperiendum; suscitandus est homo ex morte peccati, regenerandus, denuò creandus. Deus in hominis conversione operatur non tantùm ipsum posse credere, sed etiam *n* τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν; dat timorem suum *o* in corda eorum, vt ab eo non recedant, & efficit vt in præceptis ejus ambulent. Vnde sequitur, nullam esse Gratiam ad conversionem sufficientem, nisi hæc efficax tractio Patris accesserit, ac proinde omnem Gratiam ad conversionem sufficientem, esse etiam simul efficacem, id est, nullam ad conversionem sufficere, nisi eandem etiam efficiat. Quos Deus vult convertere eos movet non tantùm sufficienter, sed etiam efficaciter. Omnis enim *p* qui audivit & didicit à Patre venit ad Christum: quicquid Pater Christo dat, *q* venit ad eum: quoscunque Deus secundum propositum vocavit, *r* eos omnes etiam justificavit. Efficacia hujus Gratiæ non pendet à cooperatione humanæ voluntatis, ita vt ab eventu dicatur efficax, cum per cooperationem illam sortitur effectum. Hinc enim sequeretur,

Voluntati

l *Ioh. 6.* 44.

m *Ezech.* 11. 19.

n *Phil.* 2. 13.

o *Ier.* 32. 40.

p *Ioh.* 6. 45.

q *Ioh.* 6. 37.

r *Rom.* 8. 30.

Vnde pendeat efficacia Gratiæ?

Voluntati nondum regenitæ inesse aptitudinem, vt possit ex se assentiri & cooperare: ab assensu humano suspendi gratiæ divinæ dispensationem & efficaciam: hominem seipsum discernere: & hominis voluntatem posse efficacem Dei motionem superare atque impedire, ita vt Deus intus & foris omnia faciendo nihil posset proficere, si homines non velint. Neque pendet ab humani ingenij aptitudine, vt inde sit ejus efficacia, quod Deus eam Gratiam adhibeat, quomodò novit congruere cujusque ingenio, ita vt efficacia proveniat ex dispositione voluntatis, quam Deus prævidet. Eadem enim hinc incommoda sequuntur, & sic quoque voluntati non renatæ aptitudo ad bonum attribuitur. Sed pendet à potenti & viridâ Dei actione & motione, per quam efficaciter mala hominis voluntas in bonam mutatur, & homo ex nolente fit volens. Est autem Gratia hæc efficax non actio aliqua physica, quâ Deus hominis voluntatem aut cogat, aut sine propriâ deliberatione physicè determinet: effectum enim supernaturale non potest per operationem physicam produci: & sic homo nolens converteretur & crederet, quod implicat contradictionem. Neque est tantùm moralis suasio per se indifferens, cui penes hominem sit assentiri, vel repugnare: sic enim Deus non operaretur efficacius in homine convertendo, quàm Diabolus & Seductores in avertendo, & Gratiæ efficacia non consisteret in Dei motione, sed in vi argumentorum: & sic iterum poneretur in hominis nondum renati ingenio aptitudo suasioni obtemperandi & se convertendi. Sed Gratia efficax est operatio Dei supernaturalis, quâ foris

An à cooperatione humanæ voluntatis?

An ab aptitudine humani ingenij?

Quid sit Gratia efficax?

An sit motio physica?

An tantùm moralis suasio?

per Verbum & alia media ordinata, intus per Spiritus sui efficaciam non physicâ actione, sed divinâ, arcanâ, & ineffabili motione cæcam hominis mentem illuminat, voluntatem hominis perversam immutat, innovat & convertit, vt voluntas renovata spontanea [illegible] incipiat velle & eligere bonum à mente illuminatâ monstratum. Per hanc Gratiam efficacem Deus ita operatur in hominis voluntatem, vt voluntas ejus non velit amplius Gratiæ Dei resistere. Homo quidem irregenitus ex se non modo potest resistere, sed etiam nihil potest nisi resistere Gratiæ Dei: sed à Deo hac efficaci motione ita afficitur, vt voluntas illa resistendi per eam efficaciter auferatur: ita vt à parte hominis Gratia hæc nimis sit resistibilis, ex parte Dei efficaciter operantis minimè. Quare statuere Gratiam efficacem quæ sit resistibilis, est negare efficacem, ac proinde sibi ipsi contradicere, & Dei voluntatem cum efficace Gratiâ suâ hominum voluntati & resistentiæ blasphemè subjicere. Est itaque Gratia Dei efficax ita irresistibilis, vt nemo, qui eam habet, ei resistere velit aut velle possit, eo quod Deus voluntates efficaciter movet, ad hoc volendum & non aliud, non obstante libertate, qua ex se in contrarium flexibiles esse possunt. Quicunq; à Deo sic moventur, illi irrefragabiliter convertuntur, non tamen sine propriè voluntatis spontaneo motu, quem Gratia hæc infallibiliter in illis operatur.

[...]s prælectione.

An sit resistibilis?

VI.

Quæ sit Gratia Iustificationis?

Gratia Dei, quâ homo justificatur, seu quæ hominem Deo gratum facit, atque inde à Pontificiis *Gratum faciens* appellatur, nō Metonymicè,

sed

ſed propriè eſt accipienda. Non enim ſignificat qualitatem ſeu habitum in homine permanentem, ſeu juſtitiam homini ſubjectivè inhærentem, neq; activam charitatem noſtram, ſed Gratuitum favorem, benignitatem, miſericordiam, & benevolentiam Dei, per quam ſolam Deus motus Filium ſuum pro nobis in mortem dedit, etiam cum ipſius adhuc eſſemus inimici, & antequam nos vllo modo Deum diligeremus. Deus enim prius dilexit nos, *t* non nos prius Deum. Gratiâ ſuâ glorioſâ gratos nos fecit in illo dilecto Filio, & per Miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit. Charitas noſtra, qua nos Deum diligimus, hujus Gratiæ gratum facientis effectum eſt, eoq; illa eſt poſterior, & toto genere ab illa differt. Gratia itaque juſtificationis non eſt Gratia aliqua gratis data nobis inhærens, ſed Gratia gratis dans, quæ operibus & meritis hominum in Sacra Scriptura ſemper opponitur. Sed hæ quæſtiones, & ſiquę pręterea circa hanc de Gratia Dei doctrinam controvertuntur, in proximè ſequentibus diſputationibus fuſius ſuis locis excutientur.

An ſit habitus nobis inhærens?

t *Ioh.* 4. 10.

DISPVTAT. LX.

De Prædeſtinatione.

THESIS I.

HOmo peccator, & propter peccatum æternæ maledictioni obnoxius, à merita condemnatione non poteſt liberari, neque

Quomodo Deus gratiam effi-

eacem cõmunicet?

gloriæ cœlestis particeps fieri nisi per Redemptionem, beneficia, & merita vnica Servatoris nostri Iesu Christi. Horum beneficiorum homo etiam non potest fieri particeps, nisi per Fidem in Christum, sine qua impossibile est Deo placuisse. Fidem homo ex se nec habet, nec habere potest, sed est purum putum Dei donum, quod Deus in hominibus operatur per Gratiam Vocationis efficacem. Hanc gratiam efficacem Deus non communicat omnibus hominibus, sic enim omnes converterentur, crederent, & salvi fierent; neque dispensat secundum hominum merita aut dignitatem, sic enim non esset gratia: sed Deus, qui omnia facit secundum consilium voluntatis suæ, dispensat hanc gratiam secundum beneplacitum suum, hoc est, secundum æternum Prædestinationis decretum.

II.

Quid sit prædestinatio?

Prædestinatio divina est æternum & immutabile decretum Dei, quo apud se statuit certis quibusdam hominibus (de hominum enim Prędestinatione hic tantùm agimus) ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, per efficacia media, vitam æternam donare, & reliquos præterire, atq; ad laudem suæ justitiæ ob peccatum justè condemnare. In hujus decreti executione hic ordo est spectandus, qui in eventu cernitur. Quo enim modo & ordine Deus gloriam suam in tempore declarat, eodem etiam modo & ordine eam declarare ab æterno decrevit. Executio consilio respondet. Sed cum consilium hoc Dei ex ipsius infinita Sapientia promanet, quemadmodum omnis sapienter agens prius decernit finem, an-

teqnam

tequam deliberet de medijs, quibus finem asse quatur, ita hìc etiam omninò statuendum est, Deum sapientissimum finem illum, quem Scriptura & experientia testantur eum consequi, prius decrevisse, antequam de medijs, quæ finem hunc antecedunt, quicquam statuerit.

III.

Quid sit Electio?

Partes Prædestinationis duæ sunt, Electio, & Reprobatio. Electio est æternum Dei decretum, quo Deus ex vniversâ hominum multitudine certos quosdam singulares homines, quorum numerus definitus, certus, & ipsi cognitus est, ad vitam æternam ordinavit, per Christum & fidem in illum certò & infallibiliter perducendos, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ. Duæ ejus sunt partes prior est destinatio certorum hominum ad salutem. Posterior præparatio mediorum ad salutem homines illos perducentium. Prior Electio ad gloriam, posterior ad gratiam vulgò dicitur. Reprobatio est decretum Dei, quo Deus statuit reliquos homines præterire, in condemnatione merita relinquere, & justo suo judicio ob peccatum condemnare. Duo in hoc decreto sunt actus: Alter est negativus, qui est propositum non miserendi, eos non vocandi efficaciter, & non servandi. Alter positivus, qui est propositum justè eos condemnandi.

Quid sit Reprobatio?

IV.

Potissima, & momenti maximi controversia, quæ circa hanc de Prædestinatione doctrinam hodie agitatur, est de Causa tùm Electionis, tùm

Repro-

Reprobationis. Non autem quæritur præcipuè quare Deus elegerit, aut quare reprobaverit, sed cum Electio & Reprobatio sibi invicem contradictoriè opponantur, ita vt qui non eligitur, ille reprobetur, & qui non reprobatur, ille eligatur, quæritur potissimum, Quare Deus hunc hominem potius quam illum elegerit, puta Iacobum potius quàm Esavum, Petrum potius quàm Iudam? Bellarminus Augustini vestigijs hic insistens secundum Scripturam rectè docet nullam ejus rationem ex parte nostra assignari posse, ac proinde causam Electionis non esse prævisionem fidei, aut boni gratiæ divinæ vsus, sed solam & vnicam causam esse liberam & misericordem Dei voluntatem, & gratuitam *a* εὐδοκίαν, seu propositum voluntatis suæ. Quare ineptè hac in parte Bellarmino, atque ipsi Scripturæ, contradicunt recentiores Iesuitæ Pelagianorum vestigijs insistentes, cæterique omnes qui statuunt fidem & perseverantiam prævisam, vel bonum seu liberi arbitrij, seu gratiæ Dei vsum prævisum causam esse, quare Deus hunc præ illo elegerit. Quomodo enim Deus aliquem eliget propter aliquid, quod ipse in eo debet efficere, ac quod proinde ex electione fluit? An effectus suæ causæ causa esse potest? Elegit nos Deus vt *b* essemus sancti, non propter sanctitatem nostram prævisam. Electio non est *c* volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Quos Deus *d* ordinavit ad vitam æternam, illi suo tempore credunt: non autem propterea ad vitam ab æterno ordinat, quia prævidit credituros. Quos *e* prædestinavit ad vitam, illos efficaciter ita vocat, vt etiam justificet: non autem propterea ad vitam prędestinat, quia præ vi-

dit

Quæ sit causa Electionis?

a *beneplacitum.*

An Fides & Perseverantia prævisa?

b *Ephes.* 1. 4.
c *Rom.* 9. 16.
d *Act.* 13. 48.
e *Rom.* 8. 30.

dit vocationi responsuros. *f* Vocat secundum propositum electionis: non elegit secundum prævisam vocationis obedientiam. Sed Bellarminus sibi ipsi turpiter iterum contradicit, cum docet omnibus sufficientem gratiam à Deo conferri, quâ possent converti, credere, & salvari, si vellent: & efficaciam hujus gratiæ pendere à voluntatis humanæ aptitudine ac cooperatione: præcipuè autem cum docet Deum neminem ad gloriam destinasse, nisi ex prævisione bonorum operum & meritorum.

f Rom. 8. 28.

V.

Causa Reprobationis dupliciter potest considerari, prout duo sunt ejus actus, secundum quos Reprobatio alia negativa, alia positiva appellatur. Illa, quia Electioni opponitur, propriè Reprobatio dicitur: hæc potius Reprobationis est consequens, & non nisi impropriè, aut [illegible], Reprobatio vocatur. Causa Reprobationis negativæ, seu Reprobationis comparativæ, hoc est, quare Deus Esavum reprobaverit, seu non tam illum quam Iacobum elegerit solum est Dei beneplacitum & voluntas. Docet hoc ratio contrariorum. Vt enim eligit quos vult, ita præterit, seu non elegit quos vult: vt *g* quorum vult miseretur, ita quos vult indurat: vt vocat ad gratiam, quos vult, dat media salutis Verbum & Sacramenta quibus vult, ita etiam non vocat, quos non vult vocare, non dat, quibus non vult dare. Nonnullis revelat mysteria regni cœlorum, alijs non revelat sed abscondit, vtrobique eadem hæc causa in Scriptura assignatur, quia ita *h* Patri placuit. Quare etiam hic Bellarminus rectè

Quæ sit causa Reprobationis?

g Rom. 9 18.

h Luc 10. 21.

nega

An peccatum prævisum? c

d *Rom. 9. 11.*

negat contra recentiores Iesuitas Reprobationis hujus causam esse prævisum peccatum. Deus enim vt Iacobum dilexit, id est, elegit, sic Esavum odio habuit, id est, reprobavit, cum *d* pueri nondum essent nati, & nihil boni vel mali fecissent. Cum autem omnes homines naturâ sint filij iræ & mortui in peccatis, non potest Deus homines prævidere nisi pariter in se pravos, incredulos, & impœnitentes, ac proinde si prævisio pravitatis, infidelitatis, aut impœnitentiæ causa statuatur Reprobationis, cum illa similiter in omnibus reperiatur, sequeretur omnes homines fuisse reprobandos. Causa enim vniversalis in actu posita producit effectum vniversalem.

VI.

e *impropriè.*

An Deus hominem ordinaverit ad damnationem sine respectu peccati?

Cum verò Reprobatio positivè & *e καταχρηστικῶς* accipitur, opposita, non Electionis, sed Iustificationis decreto, ita vt per Reprobationem intelligatur consequens illud Dei decretum, quo Deus statuit hominem damnare, seu quo hominem æterno exitio destinavit, quod distinctionis causa Prædamnatio non incommodè appellatur, causa hujusce Reprobationis peccatum hominis omninò est statuendum. Cum enim æternum exitium sit pœna, quæ ex ordine justitiæ divinæ non possit infligi nisi habenti culpam, quæ ante pœnam justam semper debet antecedere, sequitur justissimum Deum non destinare quenquam æterno exitio sine respectu peccati. Et cum decretum executioni respondeat, certissimum est quemadmodum Deus ab æterno neminem damnat, seu æterno exitio punit,

nit, nisi ob peccatum, ita etiam ab æterno non decrevisse quenquam damnare nisi ob peccatum. Damnatio est actus non tam dominij, quam judicij. Iudex autem, qui innocentem damnat, cum sit Deo abominabilis, an justissimo Deo, qui totius mundi Iudex est, ascribemus injustitiam quam in alijs abominatur? Num injustus est Deus? *f* Absit: alioquin quomodo Iudex erit mundi? Agnoscimus quidem Deum habere absolutum jus, quo vt res omnes nunquam creare poterat absque injuriâ, ita etiam creatas quales quales sint destruere, aut in nihilum redigere posset absque injuriâ, sed quia etiam seipsum seu proprietates suas essentiales negare non potest, justitia autem Deo sit essentialis, sequitur jus hoc pugnare non posse cum ejus justitiâ, cujus laudem in meritâ reproborum condemnatione manifestare decrevit. Si quis ergo doceret Deum decrevisse sine vllo peccati respectu ex absolutâ voluntate homines damnare, & æternis cruciatibus punire, ille procul dubiò Deo manifestam injustitiam blasphemè attribueret: quod ipsum nonnullis Ecclesiarum Reformatarum Doctoribus à Pontificijs, alijsque, injustè & per calumniam exprobratur. Non diffitemur nonnullos paulò durius & incautius hic aliquando loqui, sed cum hæresis non in verbis sed in sensu sit, postulat candor Christianus, vt verba non in alienum sensum torqueantur, sed ex dicentis mente, de qua satis ex circumstantijs aut alijs locis constare potest, dextrè accipiantur. Patet enim satis manifestè illos sæpè impropriè loqui, synecdochicè consequens vnà cum antecedente accipientes. Quod autem non sentiant

f Rom. 9. 14.

illud, quod Adversarij ex verbis eorum aut malè intellectis, aut per sycophantiam contortis, perperam colligunt, satis manifestè patet, cum ipsi assertis verbis palam & passim docent justitiam Dei ab ejus imperio non esse separandam; Deum neminem destinasse exitio nisi justo: Deum in damnatione Reproborum velle suam justitiam declarare: nec quenquam damnationi addixisse nisi propter peccatum: & cum palam protestantur se non tantùm repudiare, sed etiam detestari, quæ Scholastici justitiam Dei ab ejus dominio separantes de absolutâ potestate nugantur; & cum conqueruntur atrocem doctrinæ illorum impingi calumniam, cum Adversarij fingunt, eos docere Deum nudâ & absolutâ sua voluntate & decreto aliquos ad damnationem ordinasse, sine respectu peccati.

DISPUTAT. LXI.

De Libero hominis Arbitrio.

THESIS I.

GRatiam Prædestinationis Gratia Vocationis, Æternam Temporalis, Gratis dantem, Gratis data, ut effectum causam sequitur, & ex illa hæc ut rivus ex fonte promanat. Quos enim Deus ab æterno ex gratia ad gloriam prædestinavit, eos etiam suo tempore ex eadem gratia, secundum illud voluntatis suæ

pro-

propositum, efficaciter vocat. Qualis & quotuplex sit hæc gratia Vocationis, & quæ circa illam præcipuæ inter nos & Pontificios sint controversiæ superiori, de Gratia Dei, disputatione vidimus. Hujus gratiæ subjectum recipiens quia Homo est, creatura rationalis, quæ intellectu & voluntate, seu vt in Theologorum Scholis vulgò dicitur, Libero Arbitrio est prædita, gravissima semper & difficillima extitit controversia de Gratiæ hujus divinæ cum Libero Arbitrio humano concursu, in hominis conversione. Quæstio enim hæc, vt ipsi Patres conqueruntur, vbi de Libero Arbitrio voluntatis humanæ & Dei Gratia disputatur, ita ad discernendum est difficilis, vt quando defenditur Liberum Arbitrium, negari Gratia Dei videatur, quando autem asseritur Gratia, Liberum Arbitrium putetur auferri. Difficultatem hanc auxerunt spinosissimæ, intricatissimæ, & infinitæ penè Scholasticorum circa hanc quæstionem disputationes & controversiæ, quæ cum pleræque sint Philosophicæ, & in sacra Theologia vix vsum aliquem habeant, non libet, neque operæpretium est, omnes attingere. Tantùm illas quæ alicujus sunt momenti & vsus, & quæ ad vindicandam Gratiæ divinæ gloriam maximè faciunt, excutiemus.

Doctrina de Gratia Dei, quomodo cohæreat cum doctrina de Libero Arbitrio?

II.

Controversiæ, quæ inter nos & Pontificios de Libero Arbitrio agitantur, aut sunt de ejus Natura, aut de ejus Viribus. Nomen Liberi Arbitrij quo Latini Theologi vtuntur, & quo Græcorum *αὐτεξούσιον*, quod nimis arrogans est, (proprium enim est soli Deo qui solus independenter agit,

Nomen Liberi Arbitrij quatenus retinendum?

a *ex se* (sive libera & independens) *potestas.*

agit, & actionum suarum absolutus est Dominus) exprimere solent, quamvis magna & periculosa laboret *b* ὁμωνυμίᾳ, nec minorem præ se ferat arrogantiam, præsertim cum homini corrupto attribuitur, non tamen omninò repudiamus, modò commodè secundum Dei verbum explicetur, & duo imprimis errores caveantur: ne cum homini Liberum Arbitrium attribuitur, homo statuatur absolutus actionum suarum Dominus, vt voluntas ejus Dei imperio non subsit: & cum homini corrupto tribuitur, ne eo significetur hominem in statu peccati se ad bonum & ad gratiam indifferenter habere. Est autem Liberum Arbitrium potentia naturæ rationalis intelligendi, volendi, aut nolendi, seu objectum aliquod ab intellectu monstratum spontaneo ac prædeliberato motu citra coactionem vel eligendi, vel repudiandi. *Arbitrium* dictum esse volunt respectu intellectus monstrantis voluntati objectum eligendum aut repudiandum: *Liberum* verò respectu voluntatis monstratum objectum vel eligentis vel repudiantis. Attribuitur Liberum Arbitrium Deo, Angelis, & Hominibus, sed magno cum discrimine. Deus vt perfectissimæ est intelligentiæ in mente, ita etiam solus perfectissimæ est Libertatis in voluntate, & solus verè *c* αὐτεξούσιος est, à nulla alia superiore causa pendens. Angelorum & hominum Voluntates ita sunt Liberæ, & actionum suarum causæ, vt nihilominus etiam subsint voluntati Dei, à cujus nutu dependent, reguntur, & flectuntur. Deus ex perfectione naturæ suæ intelligendo, volendo, & eligendo à vero bono aberrare non potest, ac proinde voluntas ejus immutabiliter

b nominis ambiguitate.

Quid sit Liberum Arbitrium?

An et quatenus homini possit attribui?

c ex se dominium aut potestatem *habens, absolutum dominium.*

sese

sese ipsa determinat semper ad vnum genere, hoc est, ad bonum tantùm. Angeli boni ex perfectione gratiæ, in quâ à Deo sunt confirmati immutabiliter etiam voluntates suas determinant ad bonum tantùm. Angeli mali ex perfectione malitiæ ad malum tantùm. Homines verò pro diverso statu voluntates suas tum ad bonum tantùm, tùm ad malum tantùm, tùm ad vtrumque vel bonum vel malum determinant. Quocunque tandem modo agant semper ex Libero Arbitrio, hoc est, ex præeunte mentis judicio, & spontaneo ac deliberato voluntatis motu agunt. Tantùm itaque abest vt homini Liberum Arbitrium detrahamus, vt contra, existimemus sine Libero Arbitrio hominem ne quidem hominem, hoc est, animal rationale esse posse.

III.

De judicio mentis seu intellectus si quæ sint controversiæ, quia vix sunt alicujus momenti, eas non attingimus. De Libertate Voluntatis præcipuè quæritur, quam Pontificij mirum in modum deprædicant, vt hac ratione hominis corrupti vires ad bonum attollendo, & gratiæ divinæ magnitudinem extenuando, ad bonorum operum merita stabilienda viam præstruant. Multas hic etiam movent quæstiones, quas quia vsum vix aliquem habent, transilimus. Præcipua autem hîc est quæstio, quàm prædictum in finem, magna cum contentione, nec minori cum imperitia, operosè disputant, an Libertas Voluntatis consistere possit cum Necessitate? Ad quam respondemus multas esse necessitatis species, qua- *An voluntatis Libertas consistere possit cum Necessitate?*

 rum

rum duæ tantùm sunt, cum quibus Libertas voluntatis non possit consistere. Prima est necessitas Physica, quæ est determinatio naturæ brutæ ad vnum semper eodem modo agendum, vel ex ordinatione Creatoris, vel ex naturali instinctu. Altera est necessitas Coactionis, quæ est determinatio naturæ rationalis ad vnum, præter & contra voluntatem, à violento externo principio. Hæc ita pugnat cum libertate voluntatis, vt nulla sit plane nec libertas nec voluntas, vbi coactio est. Cogi enim est adigi ad faciendum quod nolis. Voluntatem ergo cogi posse implicat contradictionem: nam voluntas coacta simul esset & Voluntas & Noluntas. Neque sola hæc necessitas libertati naturæ opponitur, sed etiam illa physica, alioquin bruta, quæ etiam sponte & instinctu naturali eligunt, dicerentur etiam esse prædita Libero Arbitrio, ad quod requiritur non tantùm electio, quæ fit sponte, sed quæ insuper etiam fiat d ἐκ προαιρέσεως, quæ in bruta non cadit. Reliquæ autem Necessitatis species cum voluntatis libertate optimè possunt consistere, qualis inter alias est necessitas Immutabilitatis seu Determinationis ad vnum genere, quæ est aut à perfectione naturæ, qualis est in voluntate Dei, aut à perfectione gratiæ, qualis est in bonis Angelis, aut à perfectione malitiæ qualis est in malis Angelis aut ab innatâ quadam peccandi & malè agendi propensione & benè agẽdi impotentiâ, qualis est in corruptis & irregenitis hominibus. Ex hypothesi enim hujus immutabilitatis & determinationis cum hi necessariò malè, illi necessariò benè agant, etiam Deus ipse & Angeli spoliandi essent Libero Arbitrio, si hæc necessitas libertatẽ

d ex praelectione.

An cum voluntatis Libertate consistat necessitas Immutabilitatis?

volun-

voluntatis tolleret. Quare etiam ad Liberum Arbitrium non requiritur necessariò libertas, quę dicitur, Contrarietatis, seu Specificationis, cum & illa nec in Deo, nec in Angelis locum habeat. Consistit etiam cum libertate voluntatis necessitas Dependentiæ, cui omnium creaturarum voluntates subjacent, quæ necessariò à Deo vt à causâ superiore dependent. Statuere enim hominem ita absolutum actionum suarum dominum, vt voluntas ejus à Dei nutu non dependeat, & falsum est, & blasphemum. Falsum est, quia Scriptura disertè testatur cor Regis esse in manu Domini, & tanquam rivos aquarum inclinare illud, quo voluerit: cor hominis excogitare viam suam, Iehovam autem dirigere gressum ejus. Blasphemum est, quia Deus ita de Providentiæ suæ throno impiè dejicitur, & creaturarum suarum voluntatibus indignè subjicitur. *An necessitas Dependentiæ?*

IV.

De Liberi Arbitrij Viribus maximè controvertitur, quibus vt olim Pelagiani totam hominis conversionem tribuebant, ita hodie Pontificij, etsi errores Pelagianos damnare & refutare videantur, eosdem tamen sub alijs phrasibus & verbis occultant ac tuentur. Linguam tantùm non mentem Pelagianorum mutarunt. De Dei & Angelorum Liberi Arbitrij viribus hic non disputamus. Quæritur tantùm, quid boni possit Liberum Hominis Arbitrium. Ad hanc quæstionem responderi non potest, nisi prius diversos hominis status distinguamus, qui sunt quatuor: Integritatis, Corruptionis, Rege- *Quæ sint vires Liberi Arbitrij in homine?*

nerationis, & Gloriæ. De viribus humani Arbitrij in statu Integritatis, cum de hoc disputavimus, actum fuit. In statu Gloriæ, quas vices sit habiturum disputare non est necesse, cum certum sit homines in eo statu fore *a ἰσαγγέλους*. De homine jam regenito, quid & quantum boni possit docebitur, cum disputaturi sumus de Perfectione hominis in hac vitâ. Hoc itaque loco tantùm agimus de viribus hominis corrupti & nondum regeniti, quid boni in hoc statu præstare possit. Hæc præcipua est controversia, quæ de Libero Hominis Arbitrio in Theologiâ disputatur: quæ nisi rectè explicetur, non potest Gratiæ divinæ necessitas, efficacia, & gloria in salutis nostræ negotio elucescere, neque indignitas & pravitas nostra rectè agnosci, neque conversionis nostræ gloria Deo in solidum debitè adscribi. Prius videndum de corrupti hominis Intellectus, deinde de Voluntatis viribus, illius circa verum, hujus circa bonum. Quæ ut rectè intelligantur, cum tam verum quam bonum sit triplex, Naturale, Civile, & Spirituale, quid in singulis possit intelligere & velle, distinctè erit considerandum: quamvis præcipua sit quæstio de Viribus hominis circa verum & bonum Spirituale.

a *Angelis æquales.*

V.

An et quatenus homo corruptus et non regenitus possit intelligere verū Naturale?

Intellectus hominis post lapsum non est planè extinctus, nam ne sic quidem homo mansisset, sed retinuit lucem aliquam, quâ comprehendere potest, sine speciali illuminationis gratiâ, omne verum Naturale, cujus cognitio omnium hominum mentibus naturâ insita & quasi connata est,

&

& cui sine aliquâ institutione assentimur. Potest etiam hominis non renati intellectus comprehendere verum omne Civile, quod ad hujus vitæ vsum facit, quales sunt omnes humanæ scientiæ cum Theoreticæ, quales sunt Logicæ, Physicæ, Mathematicæ, & similes; tum Practicæ, quæ docent quid sit agendum aut faciendum in ijs, quæ ad civilem hominum societatem, & ad externam disciplinam faciunt; & quales sunt artes humano generi necessariæ, cum mechanicæ tum aliæ. In quibus scientijs & artibus tamen nemo excellere potuit, sine speciali auxilio Spiritus Dei, qui peritiam, intelligentiam, & notitiam in omni arte specialiter confert. Et quamvis multi irregeniti singulari aliquando ingenij acumine & scientiâ præditi fuerint, omnes tamen *f* ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Quàm verò obtusum sit ingenium irregenitum, etiam in illis rebus, sapientissimorum Legislatorum & Philosophorum inter Ethnicos statuta & placita ab omni honestate & ratione aliena abundè docent. Verum autem Supernaturale, cujus cognitio ad consequendam vitam æternam requiritur, homo *g* ψυχικὸς non capit, nec potest cognoscere sed stultitia ei videtur: nemo principum *h* hujus sæculi, id est, qui præstantissimo etiam ingenio præditi fuerunt, cognovit: mundus *i* per sapientiam suam non cognovit: caro & sanguis *l* non detegunt. Nam quod ad cognitionem attinet rerum spiritualium & supernaturalium, quæ ad salutem sunt necessariæ, mens hominis non tantum obscurata est, sed etiam *m* ἡ σκοτία: adeò vt hæc salutaris cognitio haberi non possit, nisi per specialem illuminationis gratiam cor

f *Rom.* 1. 21.

An verum Supernaturale?

g *animalis* 1. *Cor.* 2. 14.

h 1. *Cor.* 2. 8.

i 1. *Cor.* 1. 21.

l *Mat.* 16. 17.

m *tenebra.*

aperiatur, & nisi Pater, qui in cœlis est, detegat, revelat, doceat, & donet nosse mysteria hæc regni cœlorum. Omnibus hominibus naturaliter quidem est ingenita persuasio & notitia esse Deum, adeò vt nulla gens tam sit efferata, nulla natio tam barbara, quæ lumine Naturæ non sciat Deum esse, sed cognitio hæc admodum est confusa, quam in varias species illi transformarunt. Noverunt quidem aliquid Dei, sed verum Deum, quis & qualis fuerit, ignorarunt: Cognitio enim veri Dei non hauritur ex axiomatibus Philosophorum, sed ex articulis fidei, qui non ex natura, aut creaturis sed ex solâ S. Scripturâ discuntur. Confusè quidem Philosophi aliquid de Deo cognoverunt, sed specificâ illâ cognitione caruerunt, quæ in Scripturâ revelatur, scilicet quòd Deus essentiâ sit vnus, quæ consistit in tribus Personis, quæ sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Quin etiam Deum esse cœli & terræ Creatorem non ex naturâ cognoscitur, sed fide intelligitur: multò minus naturâ cognosci potest Deum esse Redemptorem. Hæc enim cognitio à sæculis fuit gentibus abscondita, donec per Evangelij prædicationem, & specialem Illuminationis gratiam fuerit revelata.

An et quatenus Deus naturaliter cognosci possit?

VI.

Voluntas hominis irregeniti licet libera sit à coactione & necessitate merè naturali, seu determinatione merè Physicâ, per peccatum incidit tamen in miseram peccandi necessitatem, per quam amisit libertatem contrarietatis, quâ ante lapsum prædita fuit hominis voluntas, ita vt quamdiu homo est irregenitus, nihil aliud possit velle & eli-

An et quatenus Voluntas hominis sit Libera?

gere quàm quod malum est. Homo enim ex carne genitus, & necdum à Spiritu & aquâ regenitus, nihil aliud quàm caro est, in quâ bonum non habitat: mortuus est in peccato: nihil ei mundum est, sed mens & conscientia ejus polluta: est arbor mala, quæ bonos fructus ferre non potest. Ac proinde respectu hujus peccandi necessitatis Voluntas hominis irregeniti etiam secundum Sacræ Scripturæ phrasin potius *Serva* quam Libera est dicenda. Qui enim operam dat peccato, quod facit omnis irregenitus, Servus est peccati: atq; ibi demum Libertas est, vbi Spiritus Domini est, quem irregeniti non habent. Bonum Naturale, quod ad naturæ & vitę hujus sustentationem spectat, cujusmodi est edere, bibere, sedere, ambulare, & simile, in quo per se nec bonitas nec malitia moralis est, ita quidem est in voluntatis humanæ potestate, vt tamen illa subsit etiam Gubernationi Dei, in quo vivimus, movemur, & sumus. Deus enim, quoties ipsi libet, inhibere potest ne quis extensam manum possit ad se retrahere, & sæpè etiam voluntatem in hisce actionibus salvâ Libertate ad vnum objectivè determinat. Bonum Civile, quod circa externam disciplinam versatur, & virtus moralis æquivocè appellari potest, quia in Lege naturâ nota traditur & requiritur, potest quidem homo viribus naturę citra specialem regenerationis gratiam velle: sed in eo tamen nemo potest excellere, nisi ex dono auxilij specialis à Deo acceperit. Bonum autem quod verè & propriè Morale appellatur, prout in Lege Dei illud præscribitur, homo irregenitus nec velle nec præstare potest. Exigit enim Lex Dei in omni opere moraliter bono non tantùm

An rectè dicatur Serva?

Quid Voluntas possit circa Bonũ Naturale?

Quid circa Bonum Civile?

Quid circa Bonum Morale?

operis

operis materiam, quæ in operibus irregenitorum aliquando conspicitur, sed etiam ejus formam, quæ in hoc consistit, vt proveniat ex vera in Deum fide, quâ irregeniti destituuntur, & referatur tantùm ad Dei gloriam, quod etiam irregeniti non faciunt. Quare bonum Morale, quod verè bonum & Deo placens sit, homines irregeniti ex se nullum præstare valent: ac proinde virtutes Ethnicorum, quales in Aristide, Socrate, Scipione, & alijs celebrantur, virtutes quidem civiles appellari possunt, & quia hominum societati fuerunt vtiles, laudari etiam merentur, simulacra tamen virtutum potius, quàm veræ & morales virtutes sunt dicendæ, cum præcipuæ, quæ in veris virtutibus in Lege Dei requiruntur, conditiones in ijs deficiant; ob quem defectum licet per se & materialiter non sint actiones malę, per accidens tamen Peccata rectè appellantur. Atque hinc patet, quàm falsæ sint Pontificiorum assertiones, quibus docent hominem irregenitum, cum nulla tentatio vigeat, posse sine fide aliquod opus bonum præstare absque vllo peccato: item hominem irregenitum posse etiam se moralibus virtutibus præparare ad gratiam supernaturalem per eas consequendam. In hoc Civili bono eligendo etsi libertate sit præditus homo irregenitus, non tamen ita libera est ejus voluntas, quin semper etiam subjecta maneat necessitati dependentiæ à causa prima, sine cujus nutu & gubernatione speciali, ne in civilibus quidem actionibus, homines quicquam possunt velle, eligere, aut exequi. Non enim est hominis via ejus, nec viri, vt dirigat gressus suos. Cor hominis cogitat viam suam, & Dominus dirigit gressus ejus. Penes

An virtutes Ethnicorum sint peccata?

An Voluntas sit libera à necessitate dependentiæ?

hominem sunt acies cogitationum, sed à Iehova est sermo linguæ. Dominus inclinat cor quocunque voluerit. Flexit corda Ægyptiorum ut Israëlitis commodarent vasa aurea & argentea, Saulis ut ad bellum se accingeret, Absolonis ut consilium Achitophelis non sequeretur, Roboami ut sequeretur consilia juvenum. Bonum autem Spirituale, seu supernaturale quod ad salutem æternam consequendam, & ad Deum ritè colendum pertinet ac necessarium est, quale est se convertere ad Deum, & credere in Christum, quamvis ab intellectu gratiâ Illuminationis prædito monstratum, homo irregenitus, qui in peccatis mortuus, ac peccati servus est, & cujus omne figmentum cordis tantummodò malum est omni die, non potest ex se ullo modo velle aut præstare sine efficaci Renovationis gratiâ, per quam cor lapideum auferatur, & carneum indatur, hoc est prava voluntas tollatur, & bona creetur. Nemo enim ad Christum venire, hoc est, in eum credere potest, nisi Pater eum traxerit, & nisi ei à Patre datum fuerit. Cum homo convertitur, Deus eum convertit, Deus resipiscentiam ei dat: cum credit, Deus fidem donat, ejusque mensuram unicuique distribuit. Hæc autem Dei gratia non est suasio tantùm moralis aut influxus quidam indifferens, cui in potestate hominis sit vel assentiri, vel non assentiri; nec est tanquam hospes aliquis extus veniens ad fores nostras, quem præsentem penes nos sit vel intromittere vel excludere; talis enim gratia ad conversionem non sufficit, & sic conversionis nostræ gloria cum magnâ gratiæ divinæ contumeliâ magis hominum voluntati quam

Quid voluntas hominis possit circa bonum Spirituale?

An sit in hominis Arbitrio gratiæ Dei assentiri, aut non assentiri?

Dei

Dei gratiæ ascriberetur, ac gratia Dei potestati & libidini humanæ indignè subjiceretur: sed est motio efficax, quâ Deus pro efficacitate fortis roboris ipsius, quam exeruit in Christo cum ex mortuis eum excitavit, hominem in peccatis mortuum vivificat, novam creaturam facit, bonum opus in eo non tantùm inchoat, sed etiam perficit, & non tantùm potentiam volendi, sed etiam ipsum velle & efficere in eo operatur, cor ejus ad statuta sua inclinat, & efficit vt in illis ambulet. Non itaque est talis motio, quæ si duobus eadem adhibeatur, vnus credat alter non credat, aut vt ejus efficacia pendeat à voluntatis humanæ cooperatione, aut vt operatio gratię divinæ & cooperatio voluntatis humanæ conversionem hominis simul efficiant, aut vt efficacia gratiæ impediri possit, si homo nolit cooperari: sed est motio talis, quæ quando præsens est & in actu posita voluntatem ita afficit, vt eam infallibiliter flectat, & vt licet illa ex naturæ defectu possit nolle, & ex se sit flexibilis ad oppositum, atque à carne etiam ad dissentiendum revocetur, tamen ex gratiæ hujus efficacis præsentiâ non possit non velle, seu non velit non assentiri Deo vocanti, imò vt etiam non possit non velle assentiri, & vt sic voluntariè quidem, sed & necessariò, hoc est, infallibiliter assentiatur. Nec tamen hinc sequitur, Deum cum hominibus in ipsorum conversione agere, vt cum truncis, stipitibus, vel brutis instrumentis, aut hanc Dei motionem tollere voluntatis humanæ Libertatem, Deus enim voluntatem hominis non violenter torquet, nec invitam cogit, nec physicè ad vnum determinat, sed modo hyperphysico,

An homo in sua conversione sit instar trunci aut stipitis?

occulto, mirabili, & nobis inexplicabili suaviter flectit, vt voluntas præeunte pleno rationis judicio, ac mentis deliberatione, propriâ & spontaneâ electione, ac proinde salvâ libertate, infallibiliter assentiatur, & sic homo ex nolente volens efficiatur.

DISPVTAT. LXII.

De Fide Iustificante.

THESIS I.

PRæcipuum Gratiæ Vocationis effectum est Fides Iustificans, quæ est habitus per prædicationem Evangelij à Spiritu Sancto in animis hominum effectus, quo veritatem divinam ad salutem cognitu necessariam intellectu percipiunt, eamque certâ animi assentione amplectuntur, ac promissiones gratiæ Dei in Christo certâ cordis fiduciâ sibi applicant, ad Dei gloriam & salutem suam. Ad hujus fidei constitutionem requiruntur tres partes essentiales, quarum duæ priores consistunt in Intellectu, tertia in Voluntate. Subjectum enim Fidei non tantùm est Mens Veritatem divinam cognoscens & intelligens, vt veram ac certam, sed etiam Voluntas eandem sibi applicans. Vtrique animæ facultati Fides inest, licet non eodem modo: Intellectui primò, per se, & propriè, Voluntati secundariò & respectu operationis, quia hæc elicit & imperat actiones, quas ratio dictat.

Quid sit Fides Iustificans?

Quæ ejus partes?

Quod ejus Subjectũ?

An etiam Voluntas?

II.

An Fides sit Notitia?

In Intellectu requiruntur duo, *Notitia*, & *Assensus*. Notitia, quæ in Fide requiritur, non est scientia conclusionum acquisita per medium demonstrationis, ex principiis naturâ notis: objectum enim Fidei supernaturale rationis naturali lumine assequi non potest: sed est explicata cognitio omnium Fidei articulorum in Verbo Dei revelatorum, & ad salutem cognitu necessariorum. Hæc Notitia in Fide necessariò requiritur, quæ propter illam Sapientia in Scriptura sæpè appellatur, & ignorantiæ passim opponitur. Nam disertè Christus sui cognitione multos justificaturus dicitur, atque ipse docet ad vitam æternam consequendam omninò requiri, vt cognoscamus Patrem esse illum solum verum Deum, & quem ille misit Iesum Christum.

An Fides implicita Pontificiorum sit vera Fides?

Quare implicita illa & carbonaria Pontificiorum Fides, quæ consistit in ignorantia, & simplici assensu rerum non cognitarum, quò profitentur miseri homines se credere, quod & quomodo Ecclesia credit, atque interim planè ignorant, an illud album an atrum sit, stulti, bruti, & pecuini potius stuporis, quàm Fidei nomine est insignienda. Nemo enim, nisi stolidus, rei planè ignotæ assensum potest præbere.

III.

An Fides sit Assensus?

Alterum quod in intellectu requiritur est Assensus, quo pro veris habemus omnia illa quæ in Lege & Evangelio sunt revelata, etiam ea quę captum humani ingenij superant. Hæc duo constituunt Fidem quæ vocatur Historica, & ad Fi-

Quid sit Fides Historica?

dem

dem justificantem, etiam necessariò requiruntur, sed non sufficiunt. Vtrumque enim etiam in Diabolis, & multis sæpè impijs reperitur, qui tamen in numerum verorum Fidelium referri non possunt, neque per hanc notitiam & nudum hunc assensum justificantur. Imò etsi ad notitiam & assensum accedat aliquis cordis affectus levis & momentaneus, vel ex cognitionis jucunditate, vel ex spe commodorum terrenorum proveniens, qui persecutionis tempore iterum evanescat, qualis Fides πρόσκαιρος, seu Temporaria vocatur. Aut si etiam præterea accedat certa persuasio de futuro aliquo effectu miraculoso, ex promissione divinâ & revelatione speciali concepta, quæ Fides Miraculorum dicitur. Magna itaque differentia est inter hasce Fidei species, & veram Fidem Iustificantem, non tantùm respectu effectorum, sed etiam ipsius formæ. Fidem enim Historicam ipsi Dæmones habent, sed illa, sicut & Temporaria, non habet radicem, hoc est, vivam illam animi fiduciam de remissione peccatorum, quæ ad justificationem præcipuè requiritur. Et quamvis totam quis Miraculorum Fidem habeat, ita vt montes transferat, non autem Fidem illam habeat, quæ per charitatem efficax est, nihil est. Christus enim in illo die multis, qui hanc historicam etiam miraculorum Fidem habuerunt, qui in nomine ejus prophetaverunt, Dæmonia ejecerunt, & multas virtutes ediderunt, dicet: Certè nunquam novi vos.

Quid sit Fides temporaria?

Quid Fides Miraculorum?

An sit differentia inter Fidē justificantem & reliquas Fidei species?

IV.

Ad constitutionem Fidei Iustificantis præter

An ad Fidem necessariò requiratur Fiducia?

Notitiam & Assensum insuper atque imprimis in Voluntate requiritur *Fiducia*, quæ non tantùm est plena & dubitationis ac disceptationis expers persuasio, de veracitate, fidelitate, potentia, & misericordia Dei in genere, sed, etiam certa & singularis persuasio, quâ vnusquisque fidelis certò confidit Filium Dei se dilexisse, & semetipsum pro se tradidisse, & se per Christum cum Deo reconciliatum, & peccata sua omnia propter Christum à Deo sibi gratis esse condonata, atque ita omnia Christi beneficia amplectens & sibi applicans, in Dei misericordiâ planè acquiescit. Hæc fiducia ad Fidem Iustificantem, sive vt adjunctum ejus & consequens necessarium, sive vt pars ejus integralis, ita necessariò requiritur, vt nulla Fides sit vera aut justificans, quæ hâc fiducia careat. Atque hinc Fides ab Apostolo vocatur b πληροφορία, c πεποίθησις, & d ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων. Quare cum vera Fide Iustificante consistere non possunt non tantum diffidentia & desperatio, sed etiam perpetuæ de gratiâ & misericordiâ Dei dubitationes. Neque est hæc Fiducia specialis misericordiæ arrogans & superba præsumptio pietati noxia, sed grata Deo, & ab ipso præscripta ac postulata obedientia Fidei. e Ἐποχὴ autem illa Pontificia, quâ pios de certitudine misericordiæ Dei & salutis semper dubios faciunt, nec à damnationis metu vnquam liberos esse volunt, Deum mendacij & inconstantiæ insimulat, consolationem omnem Christianorum tollit, Fidem in vagam quandam opinionem transformat, ac proinde nihil aliud est quàm desperationis officina, conscientiarum carnificina, & in-

b *Heb*. 10. 22.
c *Eph*. 3. 12.
d *Heb*. 11. 1.

An cum Fide consistere possit perpetua dubitatio de misericordia Dei?

e *inhibitio*.

ferni vestibulum ac barathrum, in quod miseræ animæ præcipitantur.

V.

Pro diversis hisce Fidei partibus objectum Fidei Iustificantis diversimodè considerari potest. Objectum Notitiæ & Assensus non sunt Traditiones hominum, aut quævis Ecclesiæ mandata, sed omne & solum Dei Verbum Prophetarum & Apostolorum scriptis revelatum: & metonymicè etiam Ministri Verbi Dei, qui Verbum illud Fidei annunciant. Fiduciæ autem Objectum non sunt nostra merita, aut opera, aut satisfactiones nostræ, vel aliorum hominum pro nobis, sed est Promissio Evangelica de remissione peccatorum propter Christi merita & satisfactionem à Deo gratis obtinendâ. Vt enim mandata Dei objectum sunt obedientiæ nostræ, ita Dei promissiones objectum sunt Fiduciæ. Ab hoc proprio & singulari objecto Fides dicitur Iustificans, quæ non tantum credit articulos Fidei esse veros, puta, Christum esse Servatorem fidelium, natum ex virgine, mortuum, & resuscitatum, esse peccatorum remissionem, & vitam æternam, sed etiam hosce articulos, & generales Dei promissiones speciatim applicat, vt verè fidelis certò confidat Christum etiam suum esse Servatorem, pro se natum, mortuum, resuscitatum: sibi quoque peccata esse remissa, & se vitæ æternæ hæredem esse, & post hanc vitam ejus participem fore.

Quid sit objectum Fidei?

An Promissiones Evangelicæ?

VI.

Fides hæc Iustificans tanquam fœcunda mater Charitatem ejusque opera producit, & per eam

An Charitas sit forma Fidei?

efficax est: sed cum Fides Charitatem, vt causa effectum, præcedat, & Fidei effecta tribuantur, quæ Charitati non competunt: cum Charitatis mensura sit Fides, quæ Charitatem moderatur, & cui Charitas obtemperare debet: cum Charitas & Fides diversæ sint virtutes eiusdem generis, quarum vna alterius forma esse nequit; denique, cum Charitas actionum Fidei non sit principium, sequitur etiam Charitatem Fidei formam necesse, nec dici posse. Quamvis autem Fides justificans virtus sit, quæ secundum naturam, proprietates, & definitionem à Charitate sit diversa, ita tamen inseparabiliter Charitatem sibi conjunctam habet, vt vera & viva Fides sine Charitate esse non possit, & vbicunque vera & sincera Charitas est, certum hoc sit inditium ibi veram Fidem esse præsentem. Nam quisquis diligit, ex Deo natus est, & novit Deum: qui non diligit non novit Deum: nam Deus est Charitas, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Fides absque operibus Charitatis mortua est, & illa Fides hominem non potest servare.

An Fides à Charitate posit separari?

DISPVTAT. LXIII.

De Iustificatione.

THESIS I.

QVos Deus ab æterno secundum gratuitam suam benevolentiam, quam præstituerat

in

in ſeſe, pro benevolo affectu voluntatis ſuæ, ad vitam & gloriam æternam præfeſtinavit, eos etiam, ſecundum illud propoſitum ſuum, efficaciter vocat: & quos ita vocavit, eos juſtificat, & juſtificatos glorificat. Vocationis itaque beneficium, de quo ſuperiori diſputatione actum fuit, beneficium Iuſtificationis immediatè conſequitur, de quo jam porrò agendum. *Iuſtificare*, vt etiam vox Hebræa *Hitzdick*, & Græca Δικαιοῦν, cum agitur de Iuſtificatione hominis coram Deo, nunquam in Sacra Scriptura ſignificat alicui juſtitiæ habitum infundere, ſeu juſtum facere, ſed propriè & ordinariè ſignificat aliquem in judicio abſolvere, juſtum declarare, ſeu pro juſto habere. Eſtque forenſe verbum, & in foro ſignificat aliquem δίκαιον νομίζειν, juſtum & inſontem pronunciare, ſive is reverà juſtus ſit, ſive injuſtus, ſive jure id fiat, ſive injuria. Injuſti enim judices ſæpè juſtificant improbum, & condemnant juſtum, quod abominatio eſt Iehovæ. A foro autem humano vox hæc tranſlata eſt ad divinum, & ſéper ei opponitur vox κατακρίνειν, hoc eſt, *condemnare*. In hac forenſi ſignificatione Apoſtolum, cum diſputat de Iuſtificatione hominis coram Deo, vocem hanc accipere manifeſtè patet, cum Iuſtificationi diſertè condemnationem opponit, cum docet juſtitiam nobis non infundi, ſed imputari; nos juſtificari abſque operibus legis, quod ipſum per juſtitiæ, quæ legis opus eſt, infuſionem fieri nequit.

Quid vox Iuſtificare ſignificet?

II.

Cum autem judicium Dei, coram cujus tribunali nos omnes ſiſtemur, ſit juſtum & ſecun-

dum veritatem, ac propterea, quod in hominibus abominatur, ipse non facit, vt scilicet justum declaret & absolvat eum, qui nullo modo justitiam habet, imprimis hic quæritur: Quænam sit illa Iustitia, quam nos habere debemus, vt coram Dei tribunali comparentes in ejus judicio absolvamur, & non condemnemur? Quæstionem hanc esse omninò fundamentalem ac maximi momenti facile omnes vident, qui intelligunt, judicium hoc esse peremptorium, in quo aut Vita æterna, aut Mors æterna homini adjudicabitur: Vitam autem nemini ibi adjudicandam, nisi habeat justitiam, cujus corona est Vita æterna: & æternæ ibi condemnationis sententiam pronunciandam adversus omnes eos, qui coram Deo comparebunt, aut planè vacui ab omni justitiâ, aut non habentes eam justitiam, quæ in Dei judicio possit consistere. In hâc quæstione vt totius salutis nostræ cardo versatur, ita etiam hujus nostræ disputationis maximè versabitur. Præcipua autem inter nos & Pontificios circa hanc justitiam controversia est, an justitia illa, per quam in Dei judicio consistemus, & quæ Formalis vulgò appellatur, sit in nobis subjectivè vel inhæsivè, vt habitus, aut qualitas aliqua nobis inhærens: An verò justitia illa sit subjectivè extra nos in Iesu Christo, & nostra fiat per gratuitam Dei imputationem? Prius statuunt Pontificii; Nos posterius affirmamus.

Quæ sit illa justitia, qua coram Deo justificamur?

Quis sit præcipuus status Controversiæ?

III.

An justificemur coram Deo

Agnoscimus quidem in hominibus renatis per efficacem Spiritus Sancti operationem inchoatam justitiam aliquam inhærentem, quæ

consistat in habitibus fidei, spei, charitatis, & aliarum Christianarum virtutum, sed constanter atq; omninò negamus hanc iustitiam esse iustitiam illam, quæ in divino iudicio consistet, & propter quam Deus hominem sit iustificaturus, hoc est, à reatu meritæ condemnationis absoluturus, & vitam æternam ei adiudicaturus. Iustitia enim, quæ in Dei iudicio consistere poterit, debet omnibus numeris, secundum omnes gradus & partes esse perfectissima, & omnis vitij admixtione carere: qualem in nullo homine, ne sanctissimo quidem (Christum excipi docet oppositio) in hâc vitâ reperiri Scriptura & experientia clarè contestantur. Nec à reatu meritæ condemnationis præcedentibus peccatis contracto quenquam potest absolvere præstatio iustitiæ præsentis, ad quam singulis momentis ex debito obligatur. Neque vlla etiam proportio dari potest inter compensationem æternæ pœnæ commeritæ, aut prœmium vitæ æternæ, & inter temporalis alicujus & imperfectæ justitiæ aut obedientiæ prestationem. Deinde nulla est in homine renato iustitia inchoata, sanctitas, aut virtus, quæ non sit fidei & Iustificationis effectû, ac proinde non præcedit hominem justificandum, sed sequitur hominem justificatum. Si verò homo per propriam & inhærentem justitiam in judicio Dei posset consistere, Christus frustra esset mortuus: hæreditas non esset ex gratiâ; & homo gloriandi haberet materiam. Quare Scriptura pluribus in locis expressissimè testatur hominem coram Deo non justificari ex operibus Legis, nec ex operibus justis, quæ fecerit, hoc est, per iustitiam aliquam ipsi inhærentem, sed eos qui propriam, hoc est,

per iustitiam nobis inhærentem?

inhærentem justitiam student constituere. justitiæ Dei non esse subjectos. Ac propterea etiam veri fideles abnegatâ justitiâ propriâ ad Christi merita semper confugerunt, vt comperirentur in eo non habentes suam justitiam, quæ est ex lege, sed eam quæ est per fidem Christi, id est, justitiam quæ est ex Deo per fidem.

IV.

An omnia opera excludantur ex causis Iustificationis?

Iustitia itaque illa, quâ coram Deo justificamur; non consistit in habitibus, aut virtutibus nobis inhærentibus, neque in vllis operibus aut actionibus nostris ex illis provenientibus: sed disertè in Scripturâ à Iustificatione excluduntur omnia omninò opera nostra, non solum ceremonialia, aut ea quæ ex liberi arbitrii viribus naturalibus proficiscuntur, aut quæ cum opinione meriti præstantur, sed in vniversum omnia tam consequentia, quam antecedentia, etiam illa, quæ à renatis fiunt post conversionem, & ex fide proveniunt. Confirmat idipsum Apostolus luculentissimè exemplo Abrahami, quem disertè testatur non fuisse justificatum operibus, non tantùm illis quæ antè conversionem, sed etiam quæ jam conversus fecerat, ne haberet materiam gloriandi apud Deum, ne quidem præstantissimâ illâ, quam Deo paratus erat præstare, obedientia in filii sui immolatione. Quo autem modo Abrahamus coram Deo fuit justificatus, qui pater fuit omnium credentium, eodem planè modo justificantur & omnes eius filii spirituales. Et cum nemo nisi per gratiam Deo reconciliatus ac iustificatus bene operari possit, insanum est effectum ponere ante causam, aut hanc ab

An etiam opera renatorum?

effectu suspendere. Omnes autem renatorum iustitiæ, hoc est, præstantissima opera, cum sint peccatis inquinata, & sicut panniculus remotionum, quomodo in Dei iudicio poterunt consistere, qui secundum veritatem iudicat, & iustitiam suam abnegare non potest? Quare opera nostra, quæcunque tandem illa sint, non tantùm non possunt esse tota nostra iustitia, quâ coram Deo consistimus, sed etiam ne pars quidem eius iustitiæ. Si enim pars essent iustitiæ, Christus non foret perfectus Servator noster, & indignè ac blasphemè eius sanctissima merita sordibus nostrorum operum permiscerentur, atque ita etiam iustificatio nostra nullo modo esset gratuita. Gratia enim si non est omni modo, ne quidem vllo modo est gratia. Si per gratiam, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.

An iustificemur partim per opera, partim per gratiam?

V.

Sed iustitia illa, quâ coram Deo consistimus, est sola iustitia Iesu Christi Mediatoris & Salvatoris nostri, qui nobis à Deo factus est iustitia: & sicut per contumaciam *a* vnius hominis Adami peccatores constituti sunt omnes homines, ita per vnius Christi obedientiam iusti constituentur omnes fideles. Nam propter impotentiam Legis à carne contractam, Deus misso Filio in carnem damnavit peccatum in carne, vt *b* δικαίωμα illud Legis impleretur in nobis: & præstituit eum, vt esset *c* placamentum per fidem in sanguine ipsius, ad demonstrationem iustitiæ suæ. Ille factus est pro nobis *d* peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Prout autem Lex ab homine peccatore duo exigit, Maledi-

An Christi iustitia sit illa iustitia nostra quâ coram Deo iustificamur?

a Rom. 8. 3.

b Rom. 8. 4.

c Rom. 3. 25.

d 2. Cor. 5. 21.

Quot sint partes huius iustitiæ.

ledictionem propter factam transgressionem, & totius Legis præstationem, si velit ingredi ad vitam, ita iustitia Christi, qui nostro loco factus est sub Lege, etsi numero sit vnica, partes tamen duas habet. Prima est voluntaria pœnæ propter inobedientiam nostram debitæ persolutio, qua a reatu condemnationis meritæ in iudicio Dei absolvimur: Secunda est sanctitas eius, seu perfectissima cum naturæ tum actionum illius cum Lege Dei conformitas, & exactissima omnium Legis mandatorum externa & interna observatio, qua nobis ius vitæ æternæ acquisivit. Hinc Scriptura passim dicit nos iustificari per redemptionem *e* factam in Christo, *f* per sanguinem Christi, Christum pro nobis factum esse *g* execrationem, Christum esse finem Legis, & per eius obedientiam nos iustos constitui. Atque hæc Christi iustitia cum subiectivè extra nos sit in Christo, nostra fit iustitia per imputationem divinam. Quemadmodum enim Christus, qui peccatum non novit, factus est pro nobis peccatum, seu nostra peccata ipsi sunt imputata, ita vt pro illis ipsi fuerit satisfaciendum, tanquam si ipse ea commisisset; ita per similem imputationem nos simus iustitia Dei in ipso, hoc est, Deus vi communionis & nexus illius spiritualis, qui inter Christum caput, & nos corpus eius mysticum intercedit, Christi iustitiam gratis nobis suis mēbris imputat, ac si illam ipsi præstitissemus. Ab hac gratuitâ imputatione Dei passim vocatur in Scripturâ Dei iustitia, quæ propriæ & nostræ iustitiæ inhærenti semper opponitur. Iustitia itaque qua iustificamur, non est inhærens nobis, sed imputata nobis, & per imputationem nostra

e Eph.1.7
f Coloss.1.14
g Gal.3.13.

Quomodo iustitia Christi fiat nostra?

facta:

facta: & quia fideles cum Christo capite vnum corpus mysticum constituunt, hoc respectu justitia illa non planè ipsis externa, sed quodammodo etiam interna vocari potest. Imputativa autem hæc Iustitia non est putativa aut commentitia, quæ consistat in inani tantùm opinione aut imaginatione, sed non minus verè est justitia nostra, cum nobis à Deo gratis imputata est, quàm si nobis ipsis subjectivè inhæreret. Hanc Christi justitiam cum Deus non imputet nisi fidelibus, & nos ejus participes fieri nequeamus nisi per fidem, quâ Christi merita apprehendimus, & hanc justitiam nobis applicamus, hinc fit vt Scriptura hanc justitiam vocet h justitiam quæ est per fidem Christi, quæ est ex Deo per fidem, & justitiam fidei, quæ semper in negotio Iustificationis justitiæ Legis, ex operibus, per legem, & justitiæ propriæ opponitur: vt Scriptura etiam Iustificationē Fidei metonymicè attribuat, cum dicitur nos justificari ex fide, per fidem, & Fidē imputari ad justitiam. Non hoc sensu quod Fides nostra sit illa ipsa justitia formalis, quâ coram Deo justificemur; est enim imperfecta, & sic justitia Christi excluderetur, & homo per propriam justitiam & per opera sua justificaretur, cui disertè tota Scriptura contradicit: sed Fides in negotio Iustificationis tantùm consideratur, vt instrumentum spirituale, quo justitiam Christi, seu i τὴν δωρεὰν τῆς δικαιοσύνης apprehendimus, cui instrumento metonymicè attribuitur, quod causę est principalis. Et quia nulla alia virtus aut actio Christiana est, præter hanc fidem, per quam justitia hæc apprehendi potest, rectè dicitur nos justificari per Solam Fidem, præsertim cum

Quæ sit justitia fidei?

h *Rom.* 3. 22.

Quomodo dicamur Fide justificari?

i *Rom.* 5. 17.

An justificemur per solam fidem?

cum fidei opera nostra, vt iustitia imputata & propria opponuntur. Sola enim instrumentum est, per quod Christi iustitia apprehenditur, & sola agit in opere iustificationis, licet non sit, nec esse possit, sola, hoc est, separata ab operibus bonis, vt oculus solus videre dicitur, etsi non solus existat, & solus seu separatus à reliquis corporis membris videre non possit. Docemus itaque nos iustificari non per fidem, quæ sola sit, hoc est, inanis & vacua ab operibus bonis, sed per fidem vivam, & per opera Charitatis efficacem; solam tamen Fidem iustificare, opposite ad bona opera, non quatenus illa separantur à Fide, sed quatenus excluduntur ab actu Iustificationis.

VI.

Quid sit Iustificatio hominis coram Deo?

Iustificatio itaque hominis coram Deo est actus Dei iudicialis, quo hominem in se peccatorem, sed credentem in Christum, & fide verâ Christi iustitiam apprehendentem, declarat per Christi iustitiam sibi imputatam absolutum esse à reatu mortis æternæ, & ius habere ad vitam æternam. Duæ sunt huius Iustificationis partes.

Quæ sint partes Iustificationis?

Prima est Imputatio Iustitiæ Christi, quam Deus omnibus fidelibus gratis donat & ascribit, ac si ab ipsis præstita esset. Secunda consistit in duplici actu, pro duabus illis iustitiæ Christi partibus. Primò propter perfectam Christi pro peccatis nostris satisfactionem seu pœnæ persolutionem, Deus fidelibus peccata remittit, seu à reatu meritæ condemnationis absolvit. Secundò propter perfectissimam, quam etiam nostri loco Christus præstitit præceptis Legis obedientiam, fidelibus adiudicat vitam æternam. Partes hæ simul in

actu

actu Iustificationis concurrunt, ita vt vna sine altera existere non possit, & vt vnâ positâ, altera necessariò etiam ponatur. Atque hinc fit, vt vna pars, puta Remissio peccatorum, pro totâ Iustificatione Synecdochicè in Scripturâ sæpius accipiatur. Nulla tamen esse potest peccatorum Remissio, nisi præcedat iustitię Christi Imputatio, propter quam solam peccata fidelibus gratis remittuntur. Et quibuscunque peccata remittuntur, illi non manent in statu neutro, sed simul etiam propter eandem Christi iustitiam ipsis imputatam ius vitæ æternæ consequuntur. Atque hinc etiam apparet, cum Deus non aliqua tantùm sed omnia omninò peccata credentibus remittat nec partem vitæ æternæ, sed totam vitam adiudicet, quamvis in fidei magnitudine graduum inæqualitas reperiatur, nullam tamen in Iustificatione esse inæqualitatem, sed omnes, quicunque iustificantur, eodem modo & perfectè à Deo iustificari. *An Iustificatio sit inæqualis?*

DISPVT. LXIV.

De Certitudine Salutis.

THESIS I.

FIdei Iustificantis, & Iustificationis per fidem effectum seu consequens est *Certitudo Salutis*, seu certa animi persuasio, quâ homo fidelis certò statuit se coram Deo pleniè esse iustificatum, & cum Deo reconciliatum; non amplius *Quid sit Certitudo Salutis?*

esse

esse sub Legis execratione, sed sub Dei gratiâ ac benevolentiâ, in eaque se perpetuò esse mansurum, ac tandem æternæ in Cœlis beatitudinis participem futurum. Huic opponuntur Diffidentia, & perpetuæ de Gratia Dei, & de salute Dubitationes, quæ fidem infirmorum subinde quidem oppugnant & quatiunt, hanc tamen verè fidelium certitudinem nunquam expugnant, aut penitus evertunt.

II.

Quotuplex sit hæc certitudo

Est autem duplex hæc Certitudo: vna est de præsenti statu gratiæ: altera de certâ in eodem perseverantia ad finem vsque vitæ. Vtraque simul conjuncta veræ animi tranquillitatis, pacis, & consolationis Christianæ fundamentum est, & certitudinem Salutis ac beatitudinis æternæ firmam in animis fidelium generat. Pontificii vtramque certitudinem negant, homines de gratia Dei & salute sua perpetuò dubitare jubent, & docent neminem in hac vita sine speciali & extraordinaria revelatione certum esse posse, aut de præsenti Dei Gratia, aut de certa perseverantia. Nos autem vtramque certitudinem verè fidelibus secundum Dei verbum in hac vita attribuimus, tanquam singulare Filiorum Dei privilegium, & firmum in mediis tentationibus atque afflictionibus præsidium.

III.

An fideles in hac vita certi esse possint de præsenti Dei gratia?

Deus veracissimus cum in Evangelio etiam interposito juramento, certò promiserit se credentibus & resipiscentibus peccata omnia esse gratis remissurum: cum Christus promissiones

illas Evangelicas sanguine suo obsignaverit, eædemque Sacramentorum usu fidelibus confirmentur: Et cum fideli cuilibet infallibilibus testimoniis de fidei & conversionis suæ veritate & sinceritate constare possit, sequitur quemlibet fidelem de remissione peccatorum & gratia Dei præsenti certum esse posse, nec ullam esse rationem, quare de ea dubitare debeat, aut possit. Sic enim colligit fidelis: Quicunque in Christum verè credunt, illis peccata omnia sunt remissa, omnesque illi cum Deo sunt reconciliati. Ego autem verè credo in Christum. Ergo mihi peccata omnia sunt remissa, & cum Deo ego quoq; sum reconciliatus. De huius Conclusionis, quâ fideles certitudinem suam de gratia Dei præsente exprimunt, necessitate ac firmitudine ut constet, veritas Premissarum, ex quibus conclusio hæc sequitur, imprimis examinanda erit. Maiorem propositionem confirmant omnes promissiones Evangelicæ, quarum illa quasi summa est quam proinde Pontificii non possunt negare, nisi Deum mendacem faciant, & totum simul Evangelium abnegent. De Minoris itaque veritate precipuè controvertitur, an quis de ea in hac vita certitudinem habere possit? Ex certa autem de huius veritatis persuasione pendet tota salutis certitudo: nemo enim certus esse potest de Salute, nisi prius certus sit de sua fide sincera, cum nullis nisi fidelibus promissio Salutis sit facta.

IV.

Quod in Christum verè credant, de eo certitudinem habere possunt, & habent omnes verè fideles, non ex frivolis aut fallacibus conje- *An & unde quis certus esse pos-*

cturis,

sit se habere veram fidem?

ctuis, sed ex firmis & indubitatis testimoniis, quorum alia sunt interna, alia externa. Internum testimonium duplex est: primum est testimonium Spiritus nostri, & propriæ conscientiæ. Vt enim qui oculis corporeis videt, scit se videre; ita etiam qui credit, scit se credere, & scit cui crediderit, ac quomodo à morte ad vitam certò sit translatus: & quia cor ipsius eum non condemnat, scit etiam fidem & conversionem suam, etsi aliquando sit infirmior, & languidior, esse tamen *a* ἀνυπόκριτον, & sinceram. Alterum est testimonium Spiritus Sancti vnà testantis cum spiritu nostro nos in nomen Christi credere, ac proinde nos esse filios Dei. Huius Spiritus, qui Spiritus est veritatis testimonio, tanquam arrhabone & sigillo, certitudo hæc in cordibus credentium obsignatur. Externa testimonia sunt fructus fidei, quibus magis magisque certi redduntur credentes se esse bonas arbores, & Christo per Spiritum eius insitos, cum in ipso fructus ferant, à quo separati, nihil boni possunt facere. Operibus itaque bonis, non ex hypocrisi sed ex vera fide & serio pietatis studio profectis, vocatio nostra nobis magis magisque firma efficitur. Hæc testimonia simul coniuncta omni exceptione sunt majora, atque in animis fidelium firmam ingenerant de fidei & conversionis suæ veritate ac sinceritate certitudinem: quamvis non sint in omnibus fidelibus, atque etiam in vno eodemque, omni tempore, æquè manifesta atque evidentia.

a *sive dissimulatione*, vel hypocrisi.

V.

Quamvis autem quis ex fide sua de præsenti

Dei

An verè fideles certi esse possint de perseverantia in fide & gratia Dei?

Dei gratia planè persuasus sit, nondum tamen potest de Salute sua omninò certus esse, nisi simul etiam sit certus, se in illa fide ad finem vsque vitæ perseveraturum, atque ita in statu gratiæ perpetuò mansurum. Hanc certitudinem imprimis negant Pontificij, docentque verè fideles & regeneratos singulis momentis fide posse excidere, ac proinde de perseverantia in fide & gratia Dei, atque ita de Salute sua nunquam certos esse posse, quamdiu sunt in hac vita. Nos contrà docemus verè fideles etiam certos esse posse ac debere, non tantùm de præsenti gratiæ statu, sed etiam de certa in eodem perseverantia ad finem vitæ: ac proinde etiam de Salute æternâ post hanc vitam certò obtinenda. Qui enim ad finem vsque perseveraverit, *b* is salvus erit. Hanc certitudinem etiam hoc modo colligunt. Quicunque in Iesum Christum verè credunt, illi in hac fide ad vitæ vsque finem certò perseverabunt. Ego in Christum verè credo: Ergo ad finem vsque vitæ in fide certò perseverabo: & per consequens, post hanc vitam æternæ beatitudinis certò & infallibiliter particeps ero. De veritate Minoris vnde certò fideli constare possit, jam supra dictum est. Hic potissimùm erit probanda Majoris veritas, quam Pontificij, alijque, expressè negant. De illa nequicquam dubitasse verè fideles satis ex Scriptura apparet, cum profiteantur se certò persuasos esse *c* nullam rem conditam esse, quæ illos possit separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu: omnes justificatos certò etiam esse glorificandos: & se certò scire cum terrestris hujus domus tabernaculum dissolutum fuerit *d* ædificium

b *Marc.* 13.13.

c *Rom.* 8. 39.

d 2. *Cor.* 5.1.

ficium ſe ex Deo habituros domicilium non manufactum, æternum in cœlis: ſe Chriſto cum manifeſtabitur, ſimiles futuros: & per eum ad gloriam eſſe reſuſcitandos. Hanc certitudinem ſine firma de veritate huius Maioris perſuaſione habere non potuerunt. Sed eius probatio ſequenti Diſputatione fuſiùs inſtituetur.

VI.

Cum itaque Deus Salutem æternam omnibus credentibus, & in fide perſeverantibus certiſſimè promiſerit, omneſque veri fideles de veritate fidei ſuæ & de certa in eadem perſeverantia firmiſſimis teſtimoniis perſuaſi eſſe poſſint, ſequitur etiam omnes eos de Salute ſua æterna firmam certitudinem habere non tantùm poſſe, ſed etiam debere. Credere enim non eſt dubitare; & vera Fides non eſt opinio, hæſitatio, dubitatio, aut tantum coniectura quædam, ſed firma e ὑπόστασις rerum ſperandarum, & certa f πεποίθησις, quæ g παῤῥησίαν, πληροφορίαν, & ſpem parit, quæ h οὐ καταισχύνει. Non attribuimus tamen fidelibus eiuſmodi certitudinem, quæ nullis vnquam dubitationibus oppugnetur, aut concutiatur, ſed quæ cum dubitationibus & diffidentia ita luctetur, vt ſemper victrix emergat. Nec eiuſmodi certitudinem, quæ omnem piam ſollicitudinem, & filialem Dei timorem, in quo ſalutem noſtram operari debemus, penitus excutiat, (hæc enim non ſpiritualis, ſed carnalis eſſet ſecuritas) ſed quâ Fidelis de æterno atq; immutabili Dei erga ſe amore, cuius ſenſus in corde eius per Spiritum Sanctum effuſus eſt, plenè perſuaſus, ad Deum redamandum, & debitum

e *Heb.* 11. 1.
f *perſuaſio.*
g *confidentiam*, firmam perſuaſionem.
h *Rom.* 5. 5.
Qualis certitudo veris fidelibus attribuatur?

bitam ei gratitudinem omnibus pietatis & charitatis officijs ex animo præstandam, magis magisque excitetur. Quare Pontificij non tantùm injustè, sed & impiè calumniantur omnem hanc verè fidelium de gratia Dei & salute sua certitudinem esse superbam præsumptionem, quæ humilitatem Christianam non deceat, esse vanam & fallacem opinionem, quæ sæpius fallat, ac deniq; esse securitatem, quæ pietati sit noxia, & salutarem omnem Dei timorem planè extinguat. Illi verò cum Christianos quantumvis promissionibus divinis & meritis Christi verâ fide innitentes, de gratiâ Dei & Salute suâ nihilominus semper dubitare jubent, non tantùm omnem fidem, spem, pacem, & consolationem Christianorum evertunt, miseras hominum conscientias perpetua inquietudine excruciant, ac tandem in desperationis barathrum præcipitant; sed etiam Deum ipsum infidelitatis & inconstantiæ satis manifestè insimulant. Et cum eos interim, qui à Pontifice Romano omnium peccatorum suorum indulgentias pecunia obtinuerunt, qui bona sua in Monasteriorum structuram aut reditus collocarunt, aut alio quodam modo superstitionibus Pontificijs operam impenderunt, de Salute sua certos & securos esse jubent, apertè ostendunt se mendacis hominis verbis majorem fidem quàm divinis promissionibus habere, & superstitiones atque l ἐθελοθρησκείας suas perfectissimis Christi meritis blasphemè præferre.

An Certitudo Salutis sit præsumptio fallax & noxia?

l *cultus voluntarios?*

DISPVTAT. LXV.

De Perseverantia Sanctorum.

THESIS I.

Quod sit fundamentum certitudinis salutis?

CErtitudo Salutis, quam verè fideles in hâc vitâ habent, præcipuè pendet à certitudine Perseverantiæ in verâ fide ad finem vsque vitæ. Quamvis enim quis certus sit se hoc tempore veram & vivam habere fidem, quâ Christo verè sit insitus, & divinæ gratiæ particeps factus, nondum tamen de æterna salute planè persuasus esse potest, nisi etiam certus sit se in hâc fide ad finem vsque vitæ perseveraturum: a Ὁ γὰρ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται. Pontificij, vt omnem salutis certitudinem tollant, & miseras hominum conscientias in perpetua dubitatione & inquietudine detineant, etiam hanc Perseverantiæ in vera fide certitudinem planè negant. Nos contrà ex verbo Dei docemus fideles non tantùm certos esse posse de veritate fidei suæ, & per eam de præsenti gratia, sed etiam se in illa vera fide ac gratia Dei perseveraturos ad finem vitæ, & consequenter se post hanc vitam salutis æternæ certò fore participes. De hujus itaque in fide Perseverantiæ certitudine, ejusque veritate jam porrò erit despiciendum.

a *Marc.* 13.13.

II.

Hoc autem vt commodè fiat, atque omnis tùm cavillandi, tùm calumniandi, tùm etiam doctrinâ

hâc

hâc ad securitatem carnalem abutendi ansa præcidatur, imprimis observanda sunt hæc duo: Primum est, de quâ fide loquamur, cui certam Perseverantiam attribuimus. Secundum, qualem verè fidelibus Perseverantiam attribuamus. Non diffitemur, quod Scriptura expressè testatur, esse nonnullos qui fidem habeant *b* πρόσκαιρον, & tempore persecutionis *c* deficiunt, quia radicem non habent in sese: aut qui à professione fidei seu doctrinæ Christianæ desciscunt, & spiritibus deceptoribus attendunt: sæpè etiam evenire, vt qui pro verè fidelibus aliquandiu habiti fuerunt, hypocrisin suam tandem prodant, & tanquam *d* canes ad vomitum, & sues lotæ ad volutabrum cœni revertuntur: sed negamus tales vnquam verâ & vivâ fide fuisse præditos. Si enim ex verè fidelibus fuissent, mansissent vtique cum illis: cum verò deficiunt, manifestum fit non omnes esse verè fideles, qui pro talibus seipsos venditant, aut ab alijs habiti fuerunt. Temporaria illa fides & doctrinæ professio communis etiam est hypocritis & reprobis, sed vera fides tantùm est electorum. Qui verò in Christi sermone non manent, & spem illam, de qua gloriantur, ad finem vsque firmam non retinent, illi nunquam fuerunt verè discipuli Christi, aut ejus consortes facti. Loquimur autem de verâ & vivâ fide, quâ Christo verè tanquam viva membra capiti, & fructiferi palmites viti inserimur, & per quam omnium ejus beneficiorum participes simus. Huic fidei soli certitudinem Perseverantiæ ascribimus, ac proinde quæstio est de Perseverantia non Hypocritarum, sed verorum fidelium, non hominum carnalium, sed Sanctorum, seu sanguine & Spi-

Quali fides perseverantia attribuatur?

b *temporariam.*

c *Mat.* 13. 21.

d 2. *Pet.* 2. 22.

ritu Christi verè sanctificatorum.

III.

Qualis perseverantia veris fidelibus adscribatur?

Perseverantia etiam, quam hisce verè fidelibus adscribimus, accuratè distinguenda est. Non enim docemus ita eos in fide semper perseverare, vt in nulla vnquam peccata possint incidere, aut vt nulla vnquam fidei effecta possint amittere, sed agnoscimus & docemus, quod Scriptura & experientia contestantur, omnes verè fideles, quamdiu in hac vita sunt, nondum ita perfectè regenitos esse, quin semper circumgestent superstites carnis reliquias, cum quibus perpetuò illis sit luctandum, atque in hac lucta sæpè illos periculosis carnis tentationibus succumbere, & non tantùm in leviora, sed nonnunquam etiam in gravia peccata incidere, quibus ipsorum fides haud leviter infirmetur & concutiatur. Fatemur etiam verè fideles aliquando insignia nonnulla Spiritus Sancti dona, quæ ad ipsorum consolationem, & pietatis promotionem admodum sunt vtilia, ad tempus amittere, & subinde tam gravibus oppugnari tentationibus, vt efficaci illo gratiæ divinæ sensu ad tempus destituantur: sed negamus eorum fidem planè deleri & extingui, aut eos Spiritum regenerantem omninò amittere: & asserimus omnes verè fideles & regenitos à Dei gratia ita efficaciter & potenter in omnibus tentationibus confirmari, & à plenariâ Apostasia conservari, vt veram fidem nunquã totaliter, aut finaliter, vti loquuntur, sint amissuri, sed in eâdem perpetuò, & ad finem vsque vitæ sint perseveraturi. Hujus assertionis veritas imprimis hîc est inquirenda, cui omnis de salute certitudo nostra innititur.

IV.

Duo sunt assertionis nostræ membra, quæ singulatim sunt probanda. Primum est, Fideles in hâc vitâ fidem veram nunquam penitùs seu totaliter amittere. Alterum, eos neque finaliter à fide & gratiâ Dei excidere. Primo membro confirmato elucescit etiam veritas secundi, quam nonnulli quidem agnoscunt, qui tamen prioris veritati non omninò assentiuntur. Veritas primi membri potissimùm innititur & comprobatur promissionibus divinis, quæ extant in formula fœderis gratuiti. Vt enim Mediatoris Christi duo sunt præcipua beneficia, Iustificatio, & Sanctificatio, seu Regeneratio, ita Deus fœderatis vtrumque promittit: beneficium Iustificationis, cum promittit *e* se condonaturum iniquitatem ipsorum, & peccati ipsorum non recordaturum: Beneficium regenerationis, cum promittit *f* se inditurum legem suam menti eorum, & cordi eorum inscripturum: nec tantùm promittit se regenerationem hanc tantùm esse inchoaturum, aut semel effecturum, sed etiam se eos in hoc beneficio semper conservaturum, nam in eâdem fœderis formulâ expressè addit, se inditurum tale cor, vt revereantur eum omnibus diebus, se pangere ipsis fœdus perpetuum, fore vt non avertat se à prosequendis ipsis, & reverentiam sui inditurum animo ipsorum, vt non recedant à Deo. Hæc beneficia Christus fœderis hujus Mediator fideliter etiam nobis præstat. Nam quâ Rex noster potenter fideles conservat & confirmat, eorumque corda stabilit, ne vnquam à vera fide penitùs excidant, ne è manu ipsius eripiantur, aut portæ

An fideles veram fidem totaliter aliquando amittant?

e Heb. 8. 12.
f Heb. 8. 10.

inferorum adversus ipsos prævaleat, nec sinit eos tentari supra id quod possint, *g* sed unà cum tentatione præstat etiam exitum, ut possint eam sufferre: quà Sacerdos noster pro omnibus, qui in nomen ejus credunt, & credituri sunt, orat, ne fides eorum deficiat, sed ut ab improbo illo conserventur: & in hisce precibus suis semper exauditur. Atque hujus promissionis divinæ & fidelis Christi conservationis certitudo in cordibus fidelium per Spiritum Sanctum promissionis, qui in æternum cum illis manet, tanquam per arrhabonem & sigillum obsignatur in diem redemptionis. Quare Apostoli evidenter testantur verè fideles & regenitos peccato non dare operam, *h* quoniam semen Dei, quo regeniti sunt, in ipsis manet, nec posse peccatis operam dare, quia ex Deo sunt nati: seipsos conservare per Dei gratiam, & Improbum illum non attingere eos: semel peccato mortuos, non iterum vivere in eo; per Spiritum semel verè liberatos dominio peccati non iterum subjici: qui in primâ à peccatis resurrectione partem habent, in eos secundam mortem non habere potestatem: regenitos omnes in spem vivam virtutis Dei præsidio custodiri per fidem ad salutem paratam revelari præstituto tempore. Et disertè profitentur se persuasos esse, fore ut qui bonum opus in fidelibus incepit, *i* perficiat usque ad diem Iesu Christi. Atque hanc ob causam verè fideles comparantur *l* arbori plantatæ ad rivos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cujus folia non decidunt: monti Zionis, qui non dimovetur, sed in seculum permanet: & domui, quam vir prudens ædificavit super petram: decidit nimbus,

vene-

g 1. *Cor.* 10.13.

h 1. *Ioh.* 3.9.

i *Phil.* 1. 6.

l *Psal.* 1. 3

venerunt flumina, & flaverunt venti & inciderunt domui illi, sed non cecidit, quia supra petram fundata erat.

V.

Ex his etiam constare potest de veritate secundi assertionis nostræ membri, quo statuitur verè fideles à fide & gratia Dei nunquam finaliter excidere. Qui enim nunquam fide totaliter excidit, ille semper & finaliter etiam in eadem perseverat. Vera autem fides cum non sit omnium, sed tantùm electorum, & certissimum sit ex verbo Dei æternum electionis divinæ decretum esse immutabile, non esse possibile vt electi seducantur, electos vitam æternam certò assequi, prædestinatos non tantùm vocari, & justificari, sed etiam glorificari, vocationem Dei esse m ἀμεταμέλητον, sequitur verè fideles ex fide suâ certos esse posse ad vitam æternam se esse ordinatos seu electos, ac proinde quia vita æterna non confertur nisi fidelibus in fide Perseverantibus, se etiam certò ad finem vsque vitæ in fide Perseveraturos. Alioquin æternum electionis decretum aut prorsus esset negandum, aut mutabile statuendum: quod vtrumque manifestè falsum est. Hinc est quod Christus expressè testatur hanc esse voluntatem Patris, vt quicquid ipsi n dederit, non perdat ex eo, sed suscitet illud in vltimo illo die: se eos omnes, quos Pater illi dedit, o custodivisse, & neminem ex ijs perijsse: se ad finem vsque suos diligere: & fideles omnes non tantùm habituros esse, sed jam omninò habere vitam æternam, quod ad proprietatem, certitudinem & initium ejus attinet. Ex quibus apparet, etiamsi daretur

An verè fideles à fide & gratia Dei finaliter nonnunquam excidant?

m *Rom.* 11.29.

n *Ioh* 6. 39.

o *Ioh.* 17. 12.

fideles in hâc vitâ fide totaliter excidere,(quod tamen nunquam fieri supra probatum est)certum tamen esse eos nunquam finaliter excidere: atque ita semper immotam stare ac firmam verè fidelium de salute suæ certitudinem tot firmamentis subnixam.

VI.

An doctrina de certa fidelium perseverantia pariat securitatem carnalem?

Ne tamen quis hâc doctrinâ abutatur ad securitatem carnalem, aut illa huic pulvinar substerni calumnietur, diligenter observandum est, nos hîc non disputare, an veri fideles simpliciter non possint à fide excidere: agnoscimus enim vltrò omnes verè fideles, quamdiu in hac vita sunt, illis fidei infirmitatibus & tentationum periculis esse obnoxios, vti si sibi relinquerentur, singulis momentis fidem possent amittere; ac propterea debere semper illos suæ infirmitatis conscios omnem piam sollicitudinem adhibere, vt pericula illa præcaveri possint: Sed hoc est quod quæritur, an vnquam sit futurum, vt verè fidelis totali & finali apostasia fidem planè excutiat atque amittat. Docemus autem nos, quamvis hoc fieri possit, respectu infirmitatis, quæ est in verè fidelibus, nunquam tamen hoc esse futurum, quia Deus, secundum promissiones suas, per Spiritum suum eos ab apostasia conservat, & præsidio virtutis suæ in fide stabilit, confirmat, & custodit ad salutem. Cum fidelis p cadit non dejicitur, sed Iehovah sustentat manum ejus. Officium fidelium est omnia adhibere media, quibus in fide stabiliantur, & apostasia præcaveatur, sed interim nihilominus certi sunt Deum per gratiam suam ad officium hoc semper ipsos esse excita-

p *Psal.* 37.

turum,

turum, & per media illa in fide eos conservaturum. Media enim qualia sunt à parte Dei, exhortationes, commonefactiones, minæ, pollicitationes, & à parte fidelium, preces, vigiliæ, periculorum fuga, & similia, quibus in fide conservantur, & ipsa certitudo Perseverantiæ, cum sint sibi invicem subordinata, non se mutuò tollunt, sed ponunt. Certæ Dei promissiones vt in ordinarijs Dei operibus non excludunt media, ita nec media, si quæ Deus adhibet aut adhiberi mandat, certitudinem promissionum tollunt sed stabiliunt. Perseverantiæ autem hujus fundamentum non consistit in humanæ voluntatis incertâ determinatione, sic enim nulla ejus, nec salutis, esset certitudo, & salus à mutabili hominum voluntate penderet, ac in hominis manu sita esset, sed pendet à Dei immutabili consilio, firmis & infallibilibus promissionibus, ac potenti & fideli conservatione, quam vt promisit benignè, ita præstat efficaciter omnibus electis & vera fide Christo semel insitis: ita vt non tantùm possint, si velint, in fide perseverare, sed etiam vt semper velint, & certò ad finem vsque vitæ perseverent.

An certitudo Perseverantiæ pendeat à voluntate hominis?

DISPVTAT. LXVI.

De Perfectione hominis in hâc vitâ

Thesis I.

DVo sunt Iesu Christi Mediatoris præcipua

An et quomodo fideles in Christo perfectè Legem impleverint?

pua & semper conjuncta beneficia, Iustificatio, & Sanctificatio seu Regeneratio. In Iustificatione verè fidelibus à Deo gratis imputatur perfectissima Christi justitia & obedientia, quam nostro loco legi divinæ præstitit, quæ consistit, tùm in persolutione pœnæ à nobis commeritæ, tùm etiam in mandatorum Legis exactissima observatione, ita vt in Christo censeantur omnes verè fideles, tùm quod ad pœnam, tùm quod ad obedientiam absolutissimè & perfectissimè Legem Dei implevisse. Per beneficium Regenerationis in verè regenitis inchoatur quidem in hac vita seria, sincera, & minimè fucata obedientia Legis, etiam secundum omnes ejus partes, sed quæritur an in hac vita ita perfectè regenerentur, vt nullæ amplius reliquiæ carnis in regenitis superstites maneant, seu an regeniti in hac vita omnibus numeris & gradibus absolutè perfectam Legis divinæ internam & externam observationem præstare possint? Pontificij vt stabiliant operum merita & justitiam propriam, affirmant. Nos verò negamus.

II.

An vllus Sanctus vnquam extiterit, qui Legem Dei perfectè impleverit?

Duo autem contra sententiam Pontificiorum ex Scriptura asserimus. Primum est, nullum vnquam extitisse hominem, quantumvis sanctissimum (Christum excipi par est) quem Legem Dei in hac vita perfectè implevisse constet. Quamvis enim nonnullis sanctis hominibus illustria in Scriptura testimonia sanctitatis attribuantur, vt pote quod justi, integri, recti, timentes Dei, recedentes à malo, viri secundum cor Dei, & vasa electionis vocentur, quod secundum Deum inde-

sinenter ambulaverint, incedentes in omnibus præceptis & ritibus Domini inculpatè, tamen & eorum ipsorum lapsus & infirmitates etiam describuntur, vt constet sinceritatem quidem obedientiæ, non autem absolutissimam graduum perfectionem in ipsis fuisse. Hinc est quod illi ipsi peccata sua coram Deo etiam confiteantur, deprecantes severum Dei judicium, & agnoscentes nec se, nec vllam carnem, *a* coram Deo consistere posse, si Deus judicio congredi cum ipsis, & iniquitates observare velit. Quinetiam Prophetæ & Apostoli disertè testantur non esse vllum hominem, sive regenitum sive irregenitum, qui non peccet, neminem posse dicere, *b* purificavi animum meum, mundus sum à peccato meo: neminem *c* errores & peccata sua posse intelligere: nos omnes etiam regenitos in multis labi, bonum quod volumus, *d* non facere, & malum, quod nolumus, hoc agere: ac propterea nos ipsos fallere *e* & veritatem in nobis non esse, si dixerimus nos peccatum non habere. Quare etiam Christus mandat omnibus regenitis, etiam sanctissimis, vt quotidiè Deum orent, remitte nobis debita nostra: quod necessum non foret, si quotidie nova debita non contraherent.

a *Ps.* 143 2.
b *Prov.* 20. 9.
c *Psal.* 19. 12.
d *Rom.* 7. 19.
e 1. *Ioh.* 1. 8.

III.

An regeniti perfectè possint Legem Dei implere?

Secundum est, non etiam posse quenquam in hac vita, etiam excellentissimis regenerationis donis, quæ Deus in hac vita conferre solet, præditum, perfectè Legem Dei implere. Quemadmodum enim Deus olim fecit vt manerent gentes aliquæ, ad probandum eis Isaëlitas, vt docerent eos bellum, ita quoque Deo pro infinita

sapientia

ſapientiæ ſuæ viſum eſt, per gratiam regeneratio-
nis non omnes omninò carnis reliquias ex ho-
mine auferre, quamdiu hic vivit, vt ſub perpetuo
certaminis & luctæ cum carne exercitio, in infir-
mitatis ſuæ agnitione, pietate, & fide proficere,
& ad liberationem ex iſto corpore mortis aſpirare
magis magiſque addiſcat. Placet ſapientiæ divi-
næ, vt ordo inſtaurationis noſtræ ſit ſucceſſivus,
donec ad metam Perfectionis in gloria venia-
f *Angelis æquales.* mus, depoſita peccati carne. *f* ἰσαγγέλους demum
nos efficere decrevit poſt hanc vitam. Quamdiu
autem reliquiæ peccati in homine maneat, tam
diu impoſſibile eſt, vt ſit ſine peccato, aut vt Le-
gem Dei perfectè implere poſſit. Et cum ex parte
tantùm hic cognoſcamus, non autem perfectè,
& obedientia noſtra ex fide provenire debeat,
ſequitur ex imperfecta fide imperfectam tantùm
obedientiam præſtari poſſe. Quare Apoſtoli per-
g *Rom.* 8. 3. fectam Legis præſtationem vocant *g* τὸ ἀδύνα-
τον τοῦ νόμου, idque propterea ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς
σαρκός: item jugum, quod neque Patres noſtri, ne-
que nos portare voluimus. Ipſi enim de ſe profeſſi
ſunt, quamvis jam eouſque in regeneratione
progreſſi, vt nullius mali ſibi conſcij eſſent, non
tamen propter hoc ſe eſſe juſtificatos, nec ſe ar-
bitrari, quod jam metam apprehenderint aut con-
ſummati ſint, ſed contendere ſemper ſcopum &
h *Phil.* 3. 14. metam verſus, ad præmium *h* ſupernæ vocationis
Dei, in Chriſto Ieſu. Quamvis itaque regeniti
per gratiam Spiritus Sancti idonei efficiantur, vt
mandata Dei alacriter, promptè, & ſincerè poſ-
ſint obſervare, tamen, quia quamdiu in hac vi-
ta ſunt, rebellantis carnis reliquias circumferunt,
impoſſibile eſt eos ita perfectè Legem Dei ſe-

cundum

cundum omnes partes & gradus implere, eamque vitæ integritatem ita perpetuò & perfectè præstare, vt nusquam vel cogitationibus, vel verbis, vel factis impingant.

IV.

An regeniti plus boni possint præstare, quàm Lex exigat?

Atque hinc etiam apparet alius multo crassior Pontificiorum error, cui perfectionem Monasticam, Indulgentiarum Thesaurum, Missas pro defunctis, aliasque blasphemas superstitiones superstruunt, cum docent hominem regenitum non tantum Legem Dei perfectè posse implere, sed etiam plus boni posse præstare, quàm Lex Dei a nobis exigat. Errorem hunc quia superioribus disputationibus refutavimus, hic non persequemur. Tantum hoc addimus, ei refutando vnicum hoc Christi dictum abundè sufficere, cum disertè docet: cum omnia, quæ edicta sunt vobis feceritis, dicite, *i* Servi inutiles sumus: nam quod debuimus facere, fecimus. Est itaque hæc opinio non tantùm vana & temeraria, sed etiam plena intolerabilis arrogantiæ, & manifestæ in Deum impietatis, quasi Lex ipsius non esset perfecta omnis bonitatis regula.

i *Luc*. 17. 10.

V.

An regeniti vllum opus bonum possint præstare, quod non sit imperfectum, & inquinatum?

Tantùm verò abest vt regeniti in hac vita omnia Dei præcepta perpetuò & perfectè servare possint, vt quamvis per efficacem Spiritus Sancti gratiam opera præstare possint, quæ Deo propter Christum grata sunt, quia ex fide profecta, sine qua impossibile est Deo placere, tamē ne vnum quidem opus bonum possunt præstare, quod

ita

l examen.

An omnia opera renatorum mortē mereantur?

ita purum & perfectum sit, si in rigido Dei judicio examinetur ad exactissimam illam, quam Lex postulat, *l* [illegible], quod non imperfectum & carnis nævo deforme atque impurum deprehendatur. Omnia enim Renatorum opera bona quamvis à Spiritu Sancto promanent, tamen quia proxima eorum principia sunt mens, & voluntas hominis, quæ multum ingenitæ vitiositatis etiā in regenitis retinent, sapiunt etiam proximarum causarum naturam, ac proinde semper aliquam imperfectionem admixtam habent, & carnis nævis atque infirmitate sunt inquinata. Quare etiam pij rotundè confitentur omnes ipsorum justitias esse instar panniculi remotionum. Et quia Lex Dei non tantùm manifestos transgressores, sed etiam eos qui ab ejus *m* [illegible] vel tantillum deflectunt, qui in omnibus *n* non manserint, qui in vno tantùm impegerint, æternam maledictionem meritos esse pronunciat, sequitur etiam præstantissima renatorum opera, si Deus ea secundum Legis rigorem, exclusa omni misericordia, judicare vellet, propter imperfectiones & nævos æternam mortem mereri. Atque hinc apparet quam sit ab omni veritate alienum, cum Pontificij renatorum operibus vim merendi vitam, & justificandi coram Deo, adscribunt.

m exacto jure.
n Deut. 27.26. Gal. 3. 10.

VI.

An bona renatorum opera propriè et simpliciter sint peccata?

Nec tamen propterea docemus omnia regenitorum bona opera propriè & simpliciter esse peccata aut impura. Non enim quod simpliciter & absolutè purum esse negatur, mox etiam simpliciter & absolutè impurum est appellandum. Alia enim est operis impuritas per se, cum directè

sit quod Lex Dei fieri vetat, alia per accidens, cum fit quidem quod Deus mandat, sed non tam perfecto modo, prout lex exigit. Renati faciunt quidem quod Dei Lex præscribit animo sincero, sed non omninò toto, quod ipsum etiam Lex postulat: atque hæc eorum opera quatenus secundum Legem Dei, ex fide, ad Dei honorem fiunt, bona sunt opera per se, sed propter imperfectionem & carnis infirmitatem admixta fiunt impura, ita vt simpliciter & absolutè justa appellari non possint: & hoc respectu per accidens etiam peccata dici non est absurdum, cum omnis perfectionis in Lege requisitæ defectus sit o *ἀνομία*, ac proinde etiam p *ἁμαρτία*. Imperfectiones autem illæ gratuitò ipsis propter Christum à Deo condonantur, & perfectissima Christi justitia teguntur, ne vnquam in judicium Dei veniant.

o *legis transgressio.*
p *peccatũ.*

DE BONIS OPERIBVS.

DISPVT. LXVII.

De Bonis Operibus, in genere.

THESIS I.

Fides, quâ coram Deo justificamur, tanquam bona & fertilis arbor fructus suos semper profert, qui sunt Opera Bona, per quæ sem-

per

a *operans.* per est *a ἐνεργουμένη*. Fides, *b* si opera non habeat, b *Iacob.2.17.* νεκρά ἐστι καθ' ἑαυτήν, nec potest fides illa hominem servare. Conjuncta sunt semper Iustificationis & Sanctificationis beneficia. Christus c *Tit.2.14* *c* dedit semetipsum pro nobis, vt redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi populum peculiarem accensum studio bonorum operum. Servati quidem sumus gratiâ, per fidem; non ex operibus, ne quis glorietur: sumus nihilominus opus Dei conditi in Christo Iesu ad opera bona, d *Eph.2.10* quæ præparavit Deus, *d* vt in ijs ambulemus. *Quid sint Bona Opera?* Sunt autem bona opera actiones à Deo in lege ipsius nobis præscriptæ, & mandatæ, & secundùm illud legis præscriptum per gratiam Christi à regeneratis ex vera fide ad solius Dei gloriam & proximi ædificationem præstitæ. Nec tantùm ejusmodi actiones, sive internæ sive externæ, sed etiam habitus animi, per quos actiones bonæ fiunt, seu virtutes Christianæ, loquendi consuetudine in Scripturis recepta, Bona Opera appellantur, vt hac appellatione significetur non tantùm in corde virtutes esse possidendas, sed etiam opere exercendas, De hisce tùm habitibus, tùm actionibus bonis, nec leves nec paucæ inter nos & Pontificios intercedunt controversiæ, quarum nonnullæ in præcedentibus disputationibus per occasiones expositæ fuerunt, reliquæ jam porrò à nobis excutientur.

II.

Quæ sint causæ Bonorum Operum? Quæ efficiens? Bonorum Operum causæ imprimis sunt considerandæ, vt eorum natura, & controversiarum fontes evidentiùs perspiciantur. Causa efficiens principalis est gratia Spiritus Sancti regeneran-

tis,

tis, sine qua nullum bonum opus inchoari, nedum perfici potest. Deus ponit spiritum suum in medio hominum, quo facit, vt in statutis ejus ambulent & jura ejus observent facientes ea. Ille compingit nos ad omne opus bonum ad præstandam ipsius voluntatem, efficiens in nobis quod gratum sit in conspectu suo. Ille Bonum Opus in nobis incipit & perficit, atque efficit ipsum velle & ipsum agere. Vnde Opera Bona fructus Spiritus vocantur, eaque facientes Spiritu Dei agi dicuntur. Secundaria & proxima causa efficiens est hominis regeniti mens, vera Dei cognitione per Spiritum Sanctum illustrata, & voluntas renovata ac conversa. Materia Bonorum Operum est mandatum Dei expressum in Lege, quæ vnica & perfecta regula est Operum verè Bonorum, & in qua perfectissimè expressum continetur, quicquid Deus à nobis fieri aut omitti velit. Neque Evangelium nova & perfectiora mandata nobis præscribit, aut nova perfectionis majoris consilia Legi superaddit. Forma est exacta cum præscripto Legis divinæ conformitas, in qua non tantùm res facienda sed & modus faciendi præscribitur & finis. Finis primarius est, vt per obedientiam nostram Dei gloria illustretur, & vt ipsi debita pro beneficiis, tùm creationis & conservationis, tùm maximè redemptionis gratitudo præstetur. Secundarij fines aut nos ipsos respiciunt, aut proximum. Vt nos ipsi ex hisce fructibus magis magisque certi reddamur nos esse bonas arbores, vt vocationem nostram ijs exornemus, adversariis os obturemus, temporales & æternas pœnas evitemus, & præmia benedictionis temporalis & æternæ gratuitò pro-

Quæ materialis?

Quæ formalis?

Quæ finalis?

missa consequamur. Vt proximo prosimus, exemplo pietatis præluceamus scandalo non noceamus, sed eum ædificemus & lucrifaciamus. Hæ omnes causæ ad constitutionem Boni Operis simul concurrere debent, adeò vt si vel vna earum desit, opus nec bonum, nec Deo gratum censeri debeat.

III.

An irregeniti possint præstare Opera Bona?

e Mat. 7. 17.

Atque ex his apparet homines irregenitos, qui hâc Spiritus Sancti gratiâ destituuntur, non posse præstare vlla opera verè bona. Arbor *e* enim mala non potest bonos fructus ferre. Præstant aliquando, opera, quæ quantum ad materiam, seu operis substantiam, bona sunt, sed quia nec proveniunt ex fide, sine qua impossibile est Deo quicquam placere, neque ad Dei gloriam fiunt, neque eo modo quo Deus præcepit præstantur, hoc est, quia in illis operibus causa tantùm est materialis, reliquæ autem tùm efficiens, tùm formalis, tùm finalis simul desunt, non possunt Bonorum Operum nomine insigniri, sed ob defectum reliquarum causarum meritò peccata appellantur: vt in superioribus disputationibus nuper fuit demonstratum. Ac propterea etiam Gratiam Regenerationis aut Iustificationis mereri, ne ex congruo quidem, possunt. Neque hoc nomine venire etiam possunt opera, in quibus deest causa materialis, qualia sunt non tantùm ea, quæ directè pugnant cum Lege Dei, sed etiam omnia illa opera quæ præter vel extra Legem Dei, vel ab hominibus publicâ aut privatâ autoritate mandata, vel sponte suscepta sunt, & in Scriptura *f* διδασκαλίαι καὶ ἐντάλματα τῶν ἀν-

An opera quæ ex bonâ intentione fiunt extra Dei Legem, sint bona?

f Mat. 15. 9.

θρώπων,

θρησκεῖαι, & *g* ***ἐθελοθρησκεῖαι*** appellantur, etiamsi ex bonâ intentione præstentur ad Dei gloriam provehendum, aut ad cultum Deo præstandum. *g Col. 2. 23.* Solius enim Dei est nobis præscribere quibus operibus gloriam suam provehi velit. Non intentio nostra, sed sola voluntas Dei in Lege expressa bonitatis regula est, cui Deus omnes actiones nostras adstringit, & disertè mandat vt non faciat quisque quod rectum videtur in oculis ejus, sed tantùm quæ ipse præcepit, nec addant ad illud quicquam: & apertè testatur se mandatis hominum frustra coli, & istas *h* ***ἐθελοθρησκείας*** à *h cultus voluntarios.* manibus hominum non requirere. Quinetiam severè reprehensi & graviter puniti leguntur, qui neglectis Dei mandatis, vel ex propria intentione, vel secundum Patrum traditiones, & hominum præcepta, Deum colere instituerunt.

IV.

Imprimis autem hic observandum est Opera Bona non esse præstanda in eum finem, vt per ea peccata nostra præcedentia expientur aut deleantur. *An Opera Bona sint expiatoria?* Hæc enim expiatio solis Christi operibus pro nobis præstitis, & pretioso ejus sanguine pro nobis effuso, facta est, nec potest nisi horribili cum blasphemia hominum operibus attribui. Neque eum etiam in finem vt operibus nostris vitam æternam mereamur. *An Opera Bona sint meritoria?* Hanc enim operibus suis pro nobis præstitis solus Christus nobis meruit. Duo autem inter se diversi eandem rem verè & perfectè mereri non possunt. Quare si Christus eam nobis perfectè meruit, nos eam mereri, nec possumus, nec opus habemus. Nos si eam mereri possumus per opera nostra, Chri-

stus frustra mortuus est. Quæ enim mortis ejus fuit necessitas, si ipsi nos vitam operibus nostris mereri possumus? Aut quæ vtilitas, si ille per suam mortem nobis vitam non meruit aut acquisivit? Quicunque ergo operum suorum merita jactant, illi merita Christi aut planè abnegant, aut saltem imperfectionis insimulant. Nec potest etiam operibus nostris vlla merendi vis attribui. Quæ enim est proportio inter opera nostra imperfecta, temporaria, finita, & vitæ æternæ infinitam ac perfectissimam mercedem? Inter mercedē tamen & meritum propriè dictū exacta debet esse & absoluta æqualitas condignitatis. Deinde meritū & debitum semper sibi invicem opponuntur, nec simul consistere possunt: opera autem nostra omnia sunt debita, cum enim omnia fecerimus, *h* fecimus tantùm quod debuimus facere: quare merita simul esse nequaquam possunt. Nec sunt etiam Opera Bona propriè nostra, sed in nobis à gratia Spiritus Sancti effecta. Quis ergo *i* prior dedit Domino, & retribuetur ei? Coronat Deus non merita nostra, sed sua dona. Sunt denique omnia opera nostra, etiam præstantissima, imperfecta & carnis nævis inquinata, quæ proinde si Deus ea secundum Legis suæ rigorem examinare vellet, non vitam, sed ex ordine justitię suæ, mortem æternam mererentur. Quare Scriptura vitam æternam non stipendium servorum, aut meritum operum nostrorum, sed donum Dei, & filiorum Dei hæreditatem appellat: & non per merita nostra, sed gratis & per gratiam Dei acquiri passim inculcat. Gratia autem Dei, & merita nostra semper opponuntur, & se mutuò excludunt. Neque vsquam in tota Sacra Scriptura vox

h *Luc.* 17. 10.

i *Rom.* 11. 35.

meriti

meriti vel explicitè vel implicitè continetur. Patres quidem hac voce humano more vtuntur, sed per mereri nihil aliud quam consequi, aut impetrare intelligunt. Pij autem omnes non merita sua allegare, sed peccata agnoscere ac confiteri, & misericordiam Dei, meritis solius Christi innixi, implorare solent. Est itaque plena summæ & arrogantiæ & blasphemiæ doctrina Pontificiorum, quâ totius Christianæ religionis & consolationis fundamenta non tantùm concutiuntur, sed etiam penitùs evertuntur, cum docent Opera Bona regenitorum ex charitate facta non tantùm ex ratione pacti, sed etiam ex intrinseca sua dignitate, seu ex condigno, vti loquuntur, vitam æternam propriè mereri, per ea homines Deum sibi propriè & præcisè debitorem constituere, & jus acquirere, vt vitam æternam à Deo, vt mercedem promeritam, exigere possint.

V.

An liceat Bona Opera facere ex intuitu mercedis?

Ornantur quidem fidelium Opera Bona à Deo amplissimis prœmijs tùm in hac, tùm imprimis in futura vita, sed ista non secnudum aliquod meritum, aut aliquam operis dignitatem, sed ex liberalissima Dei misericordia, secundum gratuitam promissionem suam, quâ filios suos ad pietatem excitare solet, conferuntur. Ad hæc prœmia gratuitò promissa licet quidem verè fidelibus in curriculo pietatis respicere, vt illis socordiam suam in studio Bonorum operum excitent, & miseriarum, quibus in hac vita obnoxij sunt, acerbitatem leniant: sed non licet illa intueri vt mercedem operibus nostris debitam. Hoc enim mercenariorum & servorum proprium est: nec de-

cet filios Dei, qui, non tam ex spe remunerationis, quam præcipuè ex amore filiali, Patri obediunt, & æternam beatitudinem non tam vt mercedem, quam vt hæreditatem expectant. Causa diligendi Deum Deus est, modus sine modo diligere: non sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus. Fons veræ pietatis dilectio Dei est, quæ ad eam verè fidelibus stimulum addit acerrimum. Colunt Deum, quia amant, & se à Deo amari certò persuasi sunt. Qui verò Deum ideò colunt, vt mercedem reportent, non tam Deum, quam seipsos amant. Gloria Dei in omnibus operibus nostris præcipuè spectari debet, cui cum salus nostra arctissimè sit conjuncta. non omninò illicitum nec inutile est post primarium hunc finem, etiam ad hunc secundarium, qui est gratuita æternæ beatitudinis remuneratio, respectum aliquem habere, modo absit opinio meriti, & obedientia servilis ac mercenaria.

An in Operibus Bonis aliqua fiducia sit collocanda.

Opera verè bona certa quidem sunt electionis & vocationis nostræ testimonia, ex quibus, tanquam fructibus, de fidei nostræ sinceritate magis magisque certi reddimur, fiducia tamen obtinendæ salutis non est collocanda in operibus nostris, quia licet præstantissima sint, rigidum tamen judicij divini examen sustinere non possunt: sed tantùm in solius Iesu Christi meritis perfectissimis quibus justitiæ divinæ plenissimè satisfactum est, & aditus nobis est patefactus, vt liceat l μετὰ παῤῥησίας accedere ad thronum gratiæ, & misericordiæ divinæ, in quâ solâ omnis de salute nostra fiducia collocari debet. Objectum fiduciæ sunt promissiones divinæ de gratuitâ peccatorum remissione per & propter

l cum audaciâ?

satisfactionem Christi, in quo omnes illæ sunt Etiam & Amen. Quare non tantùm tutissimum, sed & omninò est necessarium, totam fiduciam in sola Dei misericordia & benignitate collocare: idque propter justitiæ propriæ imperfectionem, seu potius propter injustitiæ nostræ certitudinem. Fecerunt hoc pij omnes tùm in Veteri, tùm in Novo Testamento, qui nunquam in meritis aut operibus suis, sed semper in sola Dei misericordia omnem fiduciam & spem suam reposuisse leguntur.

VI.

An Reformati sint hostes Bonorum Operum?

Opera itaque bona cum ideò non præstanda docemus, vt aut per ea coram Deo justificemur, aut vitam æternam ijs promereamur, aut vt in ijs fiduciam salutis reponamus: ex eo nullâ ratione colligi potest, quod Pontificij per impiam calumniam nobis impingunt, nos esse hostes bonorum operum, aut hominum animos hac doctrina à studio Bonorum Operum abducere, quasi nullum aliud esset argumentum, quam spes propositæ mercedis, quo homines ad pietatem excitari possint, vt nullus alius finis vel vsus, propter quem opera bona præstari debeant. Ostendimus enim supra alios esse, eosque maximi momenti fines & vsus, propter quos pij sedulò Bonis Operibus studere debeant, quibus vt longè acrioribus stimulis & vivacioribus argumentis quam spe mercedis, fideles ad sinceram Dei & proximi dilectionem, & serium pietatis studium accenduntur. Hos fines & hæc argumenta quotidiè inculcamus, & serijs ac crebris ad pietatem exhortationibus homines exti-

mulamus multo efficacius, quam Pontificij argumento suo mercenario ab operum meritis desumpto. Comprobat hoc ipsum experientia, eos qui Bonis Operibus dant operam in eum finem, vt Deo pro gratuita peccatorum remissione gratitudinem præstent, longè studiosius & sincerius pietatem sectari, quam faciunt illi, qui operibus suis vitam mereri contendunt, atque ita pietatem suam Deo quasi locant, aut vendunt.

An et quatenus fideles à Legis obedientiâ sint liberati?

Fideles per Christum non tantùm à jugo legum Ceremonialium & forensium Mosaicarum, sed etiam aliquo modo à Lege Morali sunt liberati. Lex Moralis duo postulat, Obedientiam perfectam si velimus ad vitam ingredi, & Maledictionem propter factam transgressionem. A Maledictione Christus nos perfectè liberavit, factus pro nobis m execratio, ita vt planè nulla sit condemnatio ijs, qui sunt in in Christo Iesu. Ab Obedientia Legis Moralis eatenus etiam nos liberavit, quòd ad vitam ingredi nobis liceat, etiamsi illam perfectè ipsi non præstiterimus, modò eam à Christo perfectè pro nobis præstitam verâ fide apprehendamus; & quod ad ejus observationem non legalibus minis & spiritu servitutis compellamur sed quod per spiritum n υἱοθεσίας idonei & volentes reddamur, vt non o ἀναγκαστῶς, sed ἑκουσίως, non tam p διὰ τὴν ὀργὴν quam διὰ τὴν συνείδησιν, spiritu libero & spontaneo, cum gaudio & delectatione obedientiam præstemus. Atq; hoc sensu q justo & fideli Lex non est posita. Sed à debito obedientiæ tantùm abest vt Christus per beneficium redemptionis nos liberaverit, vt per illud magis magisque nos Deo ad obedientiã obstrinxerit. Obedientia itaque mandatorum Dei, & studium

m Gal. 3. 13.

n *adoptionis.*

o *coactè sed sponte.*

p *propter iram sed propter conscientiam.*

q 1. Tim. 1.9.

studium Bonorum Operum, non est res libera aut indifferens, quæ à fidelibus tutò & liberè omitti possit, sed omninò necessaria, tùm propter mandatum divinum, tùm propter vocationis nostræ officium, quod non tantùm in credendo, sed etiam in fidem Operibus Bonis declarando consistit. Quare Opera Bona, non quidem vt causæ efficientes aut meritoriæ, ad salutem necessaria sunt, ratione efficientiæ, sunt tamen necessaria ratione præsentiæ, vt viva fidei nostræ testimonia, sine quibus fides est mortua: & ad salutem requiruntur, non vt causa regnandi, sed vt via ad regnum. *An Opera Bona sint necessaria ad salutem?*

DISPVTAT. LXVIII.

De Oratione.

Thesis I.

OPeribus bonis in genere consideratis, restat vt eam in specie examinemus illa opera bona, de quibus inter nos & Pontificios maximè controvertitur. Quemadmodum autem opera bona secundum Legis, in qua præscribuntur, tabulas, aut Deum aut proximum spectant, ita duplicia etiam sunt opera bona maximè controversa: alia spectant Deum, ejusque cultum, alia proximum, & ejus dilectionem. Quæ Deum spectant, duo sunt præcipua, *Oratio* & *Iejunium*: quæ proximi dilectionem, *Eleemosyna*. De his jam porrò singulatim erit despiciendum. Ac primum *Quid sit Oratio?*

mum de Oratione, quæ est religiosa Dei invocatio, per quam mala depelli, & bona necessaria animæ & corpori à Deo, nobis & alijs, dari petimus. In superioribus disputationibus plerasq; de Oratione controversias suis locis excussimus, quæ supersunt reliquæ nunc breviter sunt examinandæ, quæ versantur aut circa naturam Orationis, aut circa quasdam ejus circumstantias, aut denique circa ejus effecta.

II.

Circa Orationis naturam præcipuè duo consideranda veniunt, Res quæ petitur, & Personæ, tùm quæ invocatur, tùm imprimis quæ invocat, ejusque tùm interna animi, tùm externa corporis constitutio. *Quæ res sint petendæ?* Res quæ petitur debet esse justa, necessaria, & honesta, quæ faciat tùm ad Dei honorem, tùm ad salutem nostram, æternam animæ, & temporalem corporis, quæ omnes optimâ methodo, & summatim comprehensæ sunt in illâ Oratione, quæ à Domino nostro Iesu Christo in Evangelio præscripta est, & ab autore Dominica appellatur. *Quot sint partes Orationis Dominicæ?* Hæc absolutum omnium precum compendium & exemplar est, & constat tribus partibus; Exordio, Propositione petitionum, & Epilogo. In exordio docemur solum Deum precibus nostris esse invocandum, & ad eum accedendum cum animo de paterno & benevolo ejus erga nos affectu persuaso, & Majestatem atque omnipotentiam Dei rectè agnoscente, atque ita firmiter credente Deum & velle & posse nos exaudire. *An Oratio Dominica rectè divi-* Petitiones, quæ proponuntur sex sunt, quarum tres priores Dei gloriam, tres posteriores salutem seu necessita

tem

tem nostram spectant. Quæ Dei gloriam spectant aut ipsum summum finem directè petunt, quod fit in prima aut media quæ faciunt, ad eum consequendum, in secunda & tertia. Necessitas nostra duplex est, corporalis & spiritualis. Quæ ad corporis hujus sustentationem requiruntur, illa petuntur in quarta, in qua per panem a τὸν ἐπιούσιον, non panis Sacramentalis, nec panis spiritualis, sed præcipuè corporalis intelligitur, & synecdochicè quæcunq; ad sustẽtationẽ & protectionẽ hujus vitæ animalis sunt necessaria. Hæc quoq; quia ijs indigemus, & à Deo proveniunt, & pijs etiam promissa sunt, non est nec illicitum nec indignum Christianis à Deo petere. Quæ ad animæ salutem & spiritualem necessitatem pertinent reliquis duabus petitionibus continentur. In quinta petimus peccatorum nostrorum omnium tam originalis, quam actualium, tam omissionis, quam commissionis plenariam remissionem, cujus non causa meritoria, sed testimonium est sincera remissio nostra, qua ex animo offensas proximo condonamus. In sexta petimus, vt ne ad malum proclives feramur, nevè à malo vincamur, sed vt virtute Dei adversus omnes Satanæ insultus, tentationes, & insidias invicti perstemus. Epilogus additur, non tam vt eo Deus ad beneficentiam, quam vt precantes ad fiduciam commoveantur, & consistit partim in illa clausula: *Quia tuum est regnum, &c.* quæ nec superflua, nec inepticia est, sed apud Matthæum disertè extat in codicibus Græcis, atque etiam in versione Syriacâ, & ex Psalmis à Christo desumptam esse manifestè patet: partim in precum signaculo, voce *Amen*, qua precantis & deside-

datur in sex petitiones.

a *quotidianum.*

An per panem quotidianum intelligatur panis spiritualis?

An petamus omnimodam peccatorũ remissionem.

An clausula Quia tuum est regnum, pertineat ad Orat. Domin.?

desiderium & fiducia exauditionis exprimuntur. Hæc formula est perfectissima ritè precandi regula, in qua summa continetur omnium eorum, quæ nobis sunt necessaria, Deo accepta, & quæ Deus à se peti, & nobis vult concedere. Vlterius ergo progredi votis nostris non debemus. Non tamen ita verbis hujus formulæ astringimur, vt nec verbum aut syllabam mutare liceat. Multæ enim passim in Scripturis leguntur Orationes, etiam Apostolorum, & multæ fidelibus assiduè suggeruntur, verbis ab ista longè diversæ, quæ tamen ab eodem Spiritu proficiscuntur. Id duntaxat docemus nihil esse quærendum aut postulandum, quod sensu ad hac formula variet, & in eadem summatim non sit comprehensum. Nec verbis hujus Orationis sive Græcè, sive Latinè, sive alia quacunque in lingua pronunciatis, peculiaris quædam inest efficacia spiritualis, propter quam sæpius ea repeti debeant. Quare superstitio planè magica est, cum Pontificij hanc formulam Latinis verbis, quæ plerique non intelligunt, ad certum sphærularum numerum demurmurant, atque hac b βαττολογίᾳ sua Deo beneficia quasi extorquere conantur, Deumque sibi tanquam debitorem constituere confidunt.

An Oratio Dominica ad certum sphærularum numerum demurmurari debeat?

b *loquacitate.*

III.

An et quatenus pro alijs sit orandum?

Has res in formula hac præscriptas non tantùm pro nobis, sed etiam pro alijs hominibus viventibus petere non tantùm possumus, sed etiam ex mandato Dei, & charitatis præscripto debemus. Mortuorum autem status quia aut accessione boni, aut ablatione mali, in melius aut pejus mutari nequit, frustraneum & superstitiosum est,

pro istis orare, aut quicquam petere. Precibus verò aliorum pro nobis non debemus ita contenti esse, vt ipsi interim securi, aut segnes ad precandum, officium hoc nostrum alijs mercede conductis committamus. Nostras enim necessitates, quæ nos præcipuè tangunt, qui ipsi optimè novimus, ipsimet imprimis Deo offerre debemus. Quare improbandæ sunt & plenæ superstitione mercenariæ illæ Pontificiorum preces, ad quas Monachi, alijque data mercede, & reditibus amplis conducuntur. Non enim merces, sed charitas nos excitare debet ad preces pro nobis invicem suscipiendas. Persona, ad quam in omnibus necessitatibus confugere precibus nostris debemus, non tantùm propensam juvandi voluntatem debet habere, sed etiam omnes omnium hominum necessitates, tam animi quam corporis, & omnia omnium desideria & suspiria exactè novisse, & simul prædita esse ista potentia, per quam à quibuscunque tam animi quam corporis malis liberare, & bona omnia ad vtriusque conservationem & salutem necessaria conferre possit. Hæc omnia quia soli Deo competunt, non autem creaturis vllis, sive sint Angeli, sive Sancti defuncti, sequitur non ad illas, sed ad solum Deum invocationem esse dirigendam. Ad Deum autem accessus non patet, nisi per vnicum illum intercessorem nostrum Iesum Christum, in cujus nomine quicquid Patrem petierimus dabitur nobis: vti superioribus disputationibus fusius fuit demonstratum.

Quis deceat invocari?

IV.

Imprimis autem in Oratione considerandum

Quæ dispositio requiratur in persona orante?

Quæ secundum corpus?

An liceat Deum invocare linguâ ignotâ?

dum est, si secundum Dei voluntatem orare, & Deo gratas preces offerre velimus, quomodo precantes ipsi debeant esse constituti, tùm secundum corpus, tùm præcipuè secundum animam. Quamvis Deus, qui Spiritus est, in spiritu & veritate velit invocari, tamen cum & nostro non tantùm spiritu, sed etiam corpore, quæ vtraque Dei sunt, glorificari velit, idoneos aliquos inter precandum corporis gestus adhibere nec inutile nec incommodum est, tùm ad reverentiam nostram erga divinam Majestatem declarandam, tùm etiam ad nos ipsos ad devotionem animi magis excitandos. Varij à fidelibus in Vet. & in N. Testam. gestus in Orationibus adhibiti leguntur, alij in genua & faciem procumbebant, alij erecti stabant, alij manus expandebant, alij pectus percutiebant, alij alijs vtebantur gestibus: sed nullâ certâ lege hi aut illi in Scriptura sunt præscripti. Quare vsus illorum adiaphorus est, & pro locorum & personarum consuetudine ac ratione variari potest. Oratio duplex est, interna, seu mentalis, & externa, seu vocalis. Oratio mentalis etsi Deo optimè cognita sit, & nihil obstet quo minus ab eo exaudiri possit, tamen nobis etiam vtile est, ad ardorem precandi excitandum, vt eam verbis & sermone etiam coram Deo exprimamus. Sermo hic præterquam quod gravis & patheticus esse debeat, qui Majestatem divinam deceat, imprimis debet esse oranti non ignotus, nec peregrinus. Deum enim lingua ignota compellare, quod faciunt Pontificij, est Deum manifesto ludibrio afficere, cum aliud plerumque mente cogitetur, aliud lingua proferatur, est superstitio planè magica, quâ verborum syllabis

sanctitas

sanctitas aliqua & vis occulta attribuitur, & pugnat directè contra naturam Orationis, & expressum Apostoli Pauli interdictum: estque potius temulenti cerebri inditium, quam veræ pietatis exercitium. Sermo hic, præsertim in gratiarum actionibus, non incommodè aliquando temperatur musicis modulis, quem etiam in Orationibus adhiberi & posse & aliquando debere docent, tùm fidelium in Veteri Testamento, Christi ipsius, Apostolorum, & primitivæ Ecclesiæ exempla, tùm etiam Prophetarum & Apostolorum præcepta & exhortationes. Cantus hic non debet esse levis, aut tantùm ad inanem aurium oblectationem compositus, sed ad decentem gravitatem, & excitandam animorum devotionem temperatus. Boatus autem ille, qui in templis Pontificijs auditur, cum soli Monachi linguâ populo incognitâ, cantum suum Gregorianum reboant, auribus certè parum gratus, sed Deo longè ingratior est, cum nulli Ecclesiæ ædificationi servire possit, & plena sit superstitione magicâ. Instrumentorum verò musicorum, ac præsertim operosi illius machinamenti, quod vulgò Organum appellatur, in Ecclesia non est magnus usus, quare Ecclesia facile sine pietatis dispendio illis carere potest. Permitti tamen usus ille potest tanquam adiaphorus, modò abusus sedulò caveatur. In animo precantis duæ imprimis virtutes requiruntur, quibus tanquam duabus alis preces subvehuntur in cœlum; Pœnitentia, & Fides. Pœnitenti animo ad Deum debemus accedere, quia impœnitentes peccatores Deus non exaudit. Manus ad Deum elevare debemus non plenas sanguine, sed puras.

An liceat cantu Deum invocare?

An Organa in templis sint habenda?

Quomodo precantes constituti esse debeant, secundum animam?

Necesse itaque est vt inopiam, indignitatem & miseriam nostram tùm animi tùm corporis rectè agnoscamus, & ex vero ejus sensu seriò coram divina Majestate nos humiliemus, ex animo liberationem desideremus, ac cum attenta animi devotione opem divinam imploremus, addito sincero gratitudinis voto. Deinde præter pœnitentiam, & devotam animi humiliationem, requiritur in Oratione imprimis fides seu fiducia certa, qua persuasi sumus, Deum preces nostras propter Christum exauditurum, eumque non tantùm nos posse juvare, & modum juvandi scire, sed etiam nos velle juvare. Hujus fiduciæ fundamentum sunt sola Domini nostri Iesu Christi merita, quibus innixi preces nostras ejus in nomine Deo offerimus, cum certa exauditionis secundum promissionem ejus fiducia: non autem sunt opera nostra, quæ tametsi pij aliquando in precibus suis commemorent, non tamen ea vt merita sua, propter quæ exaudiri debeant, sed vt fructus adoptionis suæ, & vt justitiæ causæ suæ testimonia adducunt.

V.

An et quatenus vtile ac licitum sit, vt certis quibusdam horis Canonicis habeantur?

Cum nos vndique atque omni tempore infinita circundent mala & pericula, adeò vt singulis momentis divina ope & protectione indigeamus, semper & indesinenter orandum esse & necessitates nostræ suadent, & Christus ac Apostoli nos frequenter monent. Verum ea cum sit hac in re imbecillitas & segnities nostra, vt calcaribus excitari opus habeat, non improbandum, sed vtile est & conveniens, vt quisque exercitationis causa peculiares sibi horas constituat, quę

totos

totos animi affectus in Oratione penitùs occupatos habeant, ita tamen ne oblatis occasionibus cæteris horis planè abstineat, aut se omninò defunctum officio suo arbitretur. Requirit etiam ædificatio & ordo Ecclesiæ, vt ad preces publicas certis non tantùm diebus, sed & horis fideles conveniant, in quibus etiam nec illicitum nec inutile est, certam precum ordinariarum formulam vsurpare, modo fiat absque superstitione. Sed cum opinione præcisæ necessitatis, aut cultus, aut meriti, preces alligare certis quibusdam horis, personis, aut formulis, omninò est superstitiosum, & libertati Christianæ, praxi Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ, & verbo Dei contrarium. Ejusmodi autem cum sit totum illud Pontificiorum Officium, quod perperam vocant Divinum, quod certis quibusdam horis, quas Canonicas vocant, peragitur demurmurationibus & cantillationibus quorundam hymnorum, quos dividunt in Hymnos Nocturnos, Laudes, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completoriũ, meritò improbandum, & propter multiplices, quibus scatet, superstitiones abrogandum est. Huc accedit quod inter hymnos illos Pontificios multi reperiantur, qui manifestè sunt Idololatrici, qualis est imprimis illa Antiphona, vt vocant, non tam in honorem, quam in opprobrium Virginis Mariæ, decantata, quæ incipit *Salve Regina*. Nam præter manifestam idololatriam, quę committitur in nudæ creaturæ religiosâ adoratione, continet etiam apertam adversus Dei vnicum Regem & Mediatorem nostrum blasphemiã, cum illa in hymno isto *Mater Misericordia, Spes, & Dulcedo nostra* appellatur, alijsque titulis

An Antiphona, Salve Regina, &c. sit Idololatrica?

ſoli Ieſu Chriſto proprijs inſignitur. De loco precum tùm publicarum, tùm privatarum ſupra in Diſputatione de Templis prolixè egimus.

VI.

An preces habeant vim meritoriam & ſatisfactoriam pro peccatis?

Preces à fidelibus in nomine Chriſti legitimè conceptæ admodum ſunt Deo gratæ, & magnam habent efficaciam tùm nobis tùm alijs, multa & inſignia Dei beneficia impetrandi: ſuntque ordinaria media, quibus omnia à Deo beneficia ſpiritualia & corporalia obtinemus. Ac propterea quamvis inexhauſta Dei liberalitas ſæpè ingratiſſimis hominibus beneficia aliqua largiatur, qui eadem precibus ſuis non poſtulaverant, officium tamen noſtrum eſt, ſi quicquam nobis deſit, vt à Deo Patre luminum, à c quo ſolo omnis bona donatio, & omne integrum donum supernè venit, precibus noſtris petamus, qui omnibus benignè dat nec exprobat. Preces itaque nobis tùm propter neceſſitatem noſtram, tùm propter Dei mandatum & honorem debent nobis eſſe quam commendatiſſimæ: ſed cavendum eſt imprimis ne cum gratuitæ benignitatis divinæ & meritorum Chriſti contumelia, cum Pontificijs aſcribamus precibus noſtris illam efficaciam, quod ex dignitate operis gratiam ſpiritualem, & beneficia Dei mereantur: aut quod precibus noſtris ad certum numerum conceptis & demurmuratis pro commiſſis peccatis ſatisfacere poſſimus. Beneficia enim Dei tùm corporalia tùm maximè ſpiritualia benignitatis divinæ gratuita ſunt dona, non precum noſtrarum aut operum merita: & ſolus Redemptor noſter Ieſus Chriſtus ſuo ſanguine perfectiſſimum pro peccatis λύτρον perſolvit, propter quam ſatisfa-

c *Iac.* 1. 17.

d *redemptionis pretium.*

ctionem

ctionem nos peccatorum nostrorum remissionem precibus nostris à Deo gratis obtinemus.

DISPVTAT. LXIX.

De Iejunio.

THESIS I.

Quid sit, Iejunium?

ORationes nostræ vt Deo sint gratæ requiritur imprimis vt vera cum animi humilitate, attentione, ac devotione fiant, quæ quia à carnis nostræ lascivia sæpè impeditur, atque huic lasciviæ causam suppeditant, eamque fovent, lautiores epulæ & alimenta delicatiora, quæ non tantùm corpus, sed animum quoque ipsum prægravant & humi affigunt, vt ad Deum non possit erigi, & seriò ardentique affectu in precationem ferri, quamvis tota piorum vita singulari frugalitate & sobrietate temperata esse debeat, tamen vtile ac nonnunquam etiam necessarium est, vt ad tempus aliquod certum in victu nobis continentiam indicamus consuetâ vivendi ratione arctiorem ac severiorem, vt lasciviendi fomitem carni subtrahamus, atque hac ratione ad preces ac sanctas mediationes reddamur alacriores, magis expediti, & melius comparati. Hæc continentia communiter *Iejunium* appellatur, de quo paucis etiam excutiendæ sunt præcipuæ, quæ inter nos & Pontificios intercedunt, controversiæ.

II.

Quotuplex sit Iejunium?

Iejunium Religiosum (de hoc enim tantùm agimus) quæ voluntaria est abstinentia à cibo & potu pietatis causa, duplex est, vel Privatum vel Publicum. Privatum est quod quisque aut sibi soli, aut familiæ suæ, ob causas privatas indicit, quod ipsum in extraordinarijs cùm familiæ suæ, tùm etiam amicorum & proximi calamitatibus pii sæpè vsurparunt: hodieq; & vtiliter vsurpari potest, & nonnunquam etiam religiosè debet. Hoc Iejunium sponte sua pii sibi imperant, cum sibi necessarium animadvertunt, ac propterea vniuscujusque fidelis arbitrio & prudentiæ est permittendum. Iejunium publicum est, quod vel olim à Deo ipso in Vet. Testamento fuit institutum, vel hodie aut ab Ecclesia, aut à Magistratu Christiano in publicis Ecclesiæ necessitatibus aut calamitatibus indicitur, quoties de re aliqua magna Deo est supplicandum, vt animi fidelium ad supplicationes publicas tanto melius præparentur, & ardentius excitentur.

III.

An Papa Romanus potestatem habeat leges de Iejunijs Ecclesiæ præscribendi?

Ecclesiæ præpositi, & Magistratus Christianus, possunt quidem in extraordinariis difficultatibus aut occasionibus, certum aliquem publicis supplicationibus & Iejuniis diem designare, quem ordinis causa fideles eum in finem etiam observare tenentur: sed cum nec Christus ipse, nec Apostoli de Iejuniorum, sive privatorum sive publicorum, circumstantiis, quo tempore, quo modo, vel quamdiu celebrari debeant, nihil præscripserint, sed eorundum vsum pro occasionum, locorum, temporum, & personarum varietate

Ecclesiæ liberum reliquerint, non licet ulli mortalium, ne ipsi quidem Ecclesiæ Repræsentativæ, nedum Papæ Romano, de tempore, modo, & similibus Iejuniorum circumstantiis perpetuas leges ut partem cultus divini, sub damnationis pœna, hominibus præscribere. Cultum enim divinum nemo præter solum Deum instituere potest. Iejunium autem propriè divini cultus non est pars, sed tantùm adminiculum. Quare Leges illæ Pontificiæ de certis Iejuniorum temporibus & modis, quæ Ecclesiis cum opinione necessitatis, cultus divini, & meriti observandæ, sub damnationis pœna, præscribuntur, planè sunt tyrannicæ & Antichristianæ, quibus libertas Christiana fœdè opprimitur, pro cultu Dei hominum mandata frustra obtruduntur, & merita Christi planè evacuantur. In primitiva Ecclesia non fuisse Leges perpetuas de statis Iejuniis, docet magna illa varietas temporum & modorum, quæ in observatione Iejuniorum ab historicis Ecclesiasticis disertè annotatur. Vinculis itaq; & laqueis illis Christianorum conscientiæ nec illigari debent, nec constringi se patientur.

IV.

An Iejunia Quadragesima, quatuor temporũ, &c. ab Apostolis sint instituta?

Iejunia igitur illa ordinaria Pontificiorum vel anniversaria, quæ vocant *Quadragesima*, vel menstruæ, quæ *Quatuor temporum*: vel hebdomadaria, *quarta* & *sexta feria* & *Sabbathi*, vel etiam Iejunia *vigiliarum* seu *stationũ*, & quęcunque alia hodie in Ecclesia Pontificia observantur, à quocunq; tandẽ illa sint instituta non est necesse disputare, cum certum sit nullum eorum esse à Christo aut Apostolis nec mandato, nec ex-

emplo præscriptum. Hodie autem cum Iejunia illa (nam quem in finem illorum quædam olim fuerint instituta aut observata, nihil etiam attinet hîc inquirere) plena sunt multiplice superstitione, & vsus eorum tùm libertati Christianæ, tùm genuino Dei cultui, tùm imprimis etiam meritis & beneficijs Christi sit contrarius, justè meritòque in Ecclesijs nostris sunt abrogata. Atque hæc abrogatio à nobis non est facta eam ob causam, vt tantò magis genio liceat indulgere, sed quia mandatis hominum atque ἐθελοθρησκείαις, inter quas Apostolus etiam disertè superstitiosam illam [a] corporis ἀφειδίαν recenset, Deum frustra coli, & solius Christi meritis perfectissimis vitam æternam obtineri, ex verbo Dei edocti, constanter credimus.

a Coloss. 2.23.

V.

An Iejunium consistat in delectu ciborum?

Verum Iejunium requirit, vt Iejunans abstineat prorsus ab omni cibo & potu durante Iejunij tempore per vnum pluresve dies. Errant itaque graviter Pontificij cum se egregiè jejunasse persuadent, modo abstinuerint à carnibus, ovis, & lacticinijs, cum interim delicatis piscibus, libis, placentis, condimentis, & varijs atque exquisitissimis lauticijs ventrem impleant. Nusquam enim nec in Veteri, nec in Novo Testamento Sancti tempore Iejunij delectum ciborum observasse leguntur. in V. Testam. Deus ordinarium ciborum delectum præscripserat non Iejunii tantùm, sed omni tempore, vt populus ipsius à reliquis gentibus hâc ceremonia distingueretur: sed iste delectus simul cum intergerino illo pariete sublatus, & cum reliquis typis in Nov. Testamento abrogatus fuit. Apostoli

quidem

quidem prudenter monuerunt vt fideles in Ecclesiæ Christianæ primordijs, cum Iudæi de ceremoniarum abrogatione nondum plenè edocti essent, in gratiam infirmorum aliquibus cibis abstinerent, nec intempestivo rei tunc temporis adiaphoræ vsu scandalum infirmioribus præberent, sed interim etiam docent extra casum scandali liberè quibusvis cibis bona cum conscientia vti licere: & apertissimè testantur se novisse & persuasum *b* habere nihil esse impurum per se: regnum Dei non esse escam & potum: edendum esse quicquid in macello venditur, nihil discriminandum propter conscientiam: non esse quemquam damnandum ob cibum vel potum: eos qui *c* jubent abstinere à cibis, quos Deus condidit ad participandum cum gratiarum actione, spiritus esse impostores, qui tradant doctrinam dæmoniorum. Quinetiam ipse Christus disertè docet, illud quod in os ingreditur, non polluere hominem. Quocirca Pontificij ciborum certorum vsum certis diebus prohibentes, & delectum ciborum, cum opinione necessitatis, cultus, & meriti, præscribentes, manifestè ostendunt, se esse illos, de quibus Apostolus prædixit, qui doctrinæ dæmoniorum adhærent: atque à veteribus Tatianis, Encratitis, & Manichæis hac in causa haud multum differre.

An delectus ciborum in Novo Test. observari debeat?

b 1. Cor. 10.

c 1. Tim. 4.

VI.

Imprimis autem damnanda sunt Pontificiorum Iejunia propter fines, ob quos & præcipiuntur & observantur. Fines ob quos jejunandum est fidelibus, præcipui sunt, vt subtrahendo naturæ nostræ aliquid ex ordinaria & consueta victus ratione, carnis lasciviam retundamus

An Iejunium sit opus meritorium & satisfactorium?

mus & ſubigamus, atque ita vigorem ſpiritus ad preces ardentiores excitemus, & animi noſtri coram Deo humiliationẽ ac demiſſionem teſtemur, aliiſque exemplo reſipiſcentiæ præluceamus. Per ſe itaq; Iejunium non eſt cultus divinus, ſed per ſe eſt res adiaphora, quæ non propter ſe ſed alterius cauſa vſurpatur, nimirum vt ſit externum adminiculum, quo ad cultus divini exercitium paratiores & expeditiores reddamur. Quam ob cauſam Iejunia etiam à Chriſtianis in pretio haberi, non negligi, ſed frequenter vſurpari debent. Sunt etiam Deo admodum grata, cum debitè & ad legitimos fines adhibentur. Sed Pontificii cum jejunant cum opinione cultus divini, eum in finem, vt Iejuniis & corporis macerationibus pro peccatis tùm ſuis, tùm aliorum, ſatisfaciant, aut vt vitam æternam & præmium cœleſte iis promereantur, non tantùm fruſtra ſe fatigant, cum hæc non Iejuniis noſtris, ſed ſolius Chriſti meritis obtineri queant, ſed etiam Deum graviter ſuis illis Iejuniis offendunt, quando magna cum Domini noſtri Ieſu Chriſti contumelia, ſanguinis ipſius pretioſi effecta propria ſuis c ἐθελοθρησκεί-αις impiè & blaſphemè aſcribunt.

c *ſuperſtitionibus.*

DISPVT. LXX.

De Eleemoſyna.

THESIS I.

OPera bona, quæ proximum ſpectant, in ſecunda Legis divinæ tabula præſcribuntur.

buntur, & multa ac multiplicia sunt, inter quæ maximè excellunt *Opera*, quæ peculiariter *Charitatis* seu *Misericordiæ* appellantur. Opera misericordiæ sunt, quæ erga homines miseros, seu in peculiari aliqua miseria constitutos, exercentur. Miseriæ, quibus homines in hac vita affliguntur duplices sunt: aliæ spectant animam, aliæ corpus. Miseriæ animæ sunt ignorantia, tristitia, infidelitas, impœnitentia, errores, dubitationes, anxietates, metus, tentationes, & similes internæ animi, aut malæ dispositiones, aut afflictiones, quibus succurritur fideli institutione, consolatione, correptione, admonitione, oratione, & similibus charitatis operibus. Miseriæ, quibus secundum corpus homines affliguntur sunt fames, sitis, nuditas, morbus, exilium, captivitas, & similes sexcentæ, quibus pro ratione singularum diversis operibus Charitatis succurri debet. Quare operum Charitatis seu Misericordiæ non sunt tantùm quatuordecim species, sed totidem, quot sunt genera miseriarum, quibus proximus in hac vita affligi potest, tam secundum animam, quam secundum corpus.

Quotuplicia sint opera Misericordiæ?

An sint tantum quatuordecim species?

II.

Inter omnes autem corporales afflictiones, quibus homines in hac vita exercentur, communissima est Paupertas, cui succurritur opere charitatis, quod peculiariter vocatur *Eleemosyna*. Vox hæc secundum etymologiam omnibus misericordiæ operibus quidem posset attribui sed ex vsu tùm Scripturæ, tùm communi, tantùm significat peculiare illud opus, quo pauperũ inopiæ succurritur. Est autẽ Eleemosyna opus bonum & pium ex amore & commiseratione proximi

Quid sit Eleemosyna?

propter

propter Deum præstitum, ad proximi inopiam, famem, sitim, nuditatem, & similes afflictiones ex paupertate provenientes sublevandum, vel gratuitò & liberaliter donando, vel mutuò dando absque vsura.

III.

An sit necessario pauperibus errogandas?

Pauperibus Eleemosynam erogare non est res adiaphora, quæ arbitrio nostro sit permissa, aut in libertate nostra posita, vt eam, cum proximi necessitas postulat, sine peccato omittere possimus, sed nobis à Deo, & Domino nostro Iesu Christo, per Prophetas & Apostolos strictè mandata & severè imperata. Fideles igitur, quia semper pauperes secum habituri sunt, obligantur necessariò, tùm mandato divino, tùm etiam charitatis officio, ad dandas Eleemosynas: quas proinde in proximi necessitatibus omittere non possunt, si facultas ijs suppetat, quin Deum graviter offendant, & charitatem ac communionem Sanctorum violent. Nos itaque, quamvis doceamus non ideò præstandas esse Eleemosynas, vt per eas pro peccatis satisfaciamus, aut vitam æternam mereamur, non tamen propterea homines à dandis Eleemosynis dehortamur, sed longè veriores & efficaciores rationes quotidiè hominibus suggerimus, quibus ad hoc charitatis opus voluntariè & liberaliter præstandum excitantur: & quotidie inculcamus fidem veram per hæc & similia opera charitatis efficacem esse debere, & fructibus ac testimonijs illis ex Dei mandato declarandum. Præcipitur autem Eleemosyna in Lege Dei non tam primo, quam secundo & quarto secundæ tabulæ præcepto.

IV

Eleemosynas legitimas si quis erogabit, eas largiri debet ex bonis, quorum dominiū & proprietatem justè possidet. Quare Eleemosynæ datæ ex bonis, quæ furto, iniquo fœnore, aut turpi lucro partæ sunt, Deo gratæ esse non possunt. Nec propriè possunt dici dare Eleemosynam, qui ex injustè partis pauperibus aliquid erogant, quia non dant de suo, sed de alieno. Injustè autem parta, si fieri vllo modo possit, debent restitui justis possessoribus, aut eorum hæredibus: Quod si fieri non possit, præstat pauperibus illa erogari, quam injustè retineri. Eleemosynæ autem hæ omnibus verè pauperibus, pro ratione necessitatum erogari debent, sine discrimine nationis, cognationis, religionis, aut aliarū conditionū: ita tamen, vt *a μάλιςα τοῖς οἰκείοις τῆς πίστεως.*

Vnde Eleemosyna sint danda?

An ex injustè partis?

Quibus Eleemosyna sint danda?

a *Gal.* 6. 10.

V.

Modus Eleemosynas largiendi in Sacra Scriptura non est præcisè determinatus, sed pro necessitatibus pauperum, & facultatibus divitum ex charitatis & prudentiæ regula temperari debet. Necessitates enim pauperum aliquando tam exiguæ sunt, vt divites non opus habeant nec obligētur elargiri omnia vel naturæ vel statui ipsorū superflua: aliquando etiam tam magnę esse possunt, vt tantùm superflua erogare non sufficiat, sed debeant etiā esse *b ὑπὲρ δύναμιν αὐθαίρετοι.* Optima autem Eleemosynas largiendi moderatrix est pia charitas conjuncta cum vera prudentia.

Quo modo, seu mensura, Eleemosyna sint danda?

b 2. *Cor.* 8. 3.

VI.

Eleemosynas Dei nomine pauperibus ex charitate erogatas promisit Deus tùm temporalibus, tùm æternis benedictionibus amplissimè remu-

Quatenus Eleemosyna danda

Sub spe remunerationis?

neraturum, qua remunerationis spe ad liberalitatem erga pauperes excitari quidem possumus & debemus, ad eam tamen non ex solo remunerationis istius intuitu, (hoc enim est mercenariorum) sed præcipuè ex amore Dei qui mandavit, & proximi, qui indiget, excitari debemus. Estq; Eleemosyna opus insigniter quidem laudabile, & Deo admodum gratum, qui *c* τοιαύταις θυσίαις εὐαρεστεῖται, sed quod supra de omnibus Operibus bonis in genere probatum fuit, id etiam de hoc opere misericordiæ quantumvis præstanti verũ est, illud nequaquam habere vim illã, quam Pontificii blasphemè illi ascribunt, scilicet hominem ad gratiam justificationis disponendi, peccata delendi, pro iis satisfaciendi, aut vitam æternam promerendi. Hæc autem non Eleemosynarum nostrarum meritum, sed Dei liberalissimum & gratuitum est donum. Datur quidem vita æterna secundum opera Misericordiæ, tanquam fidei testimonia, sed non propter illa. Redempti sumus *d* non caducis rebus argento vel auro, sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi, sine cujus contumelia horribili meritum vitæ æternę, aut satisfactio pro peccatis, operibus nostris ascribi nequit. Eleemosynæ itaq; eum in finem præstitæ pauperibus quidem prosunt, sed non erogantibus: nec Deo gratæ, sed quia gratiæ & gloriæ ejus inimicæ, abominabiles sunt. Debemus autem tùm Eleemosynas, tùm omnia opera nostra præstare ex Dei amore, & ad Dei honorem, qui ut omnium actionum nostrarum, ita & harum sit Disputationum

An Eleemosynæ sint meritoriæ, & satisfactoriæ?

c Heb. 13. 16.

d 1. Pet. 1. 18.

FINIS.



LEGES COLLEGII hujus Anti-Bellarminiani.

Lex I.

Gloria Dei, & *profectus in veritate ac studio Sacrarum Literarum suprema Lex esto.*

II.

Nemo in hoc Collegium adsciscitor, nisi de cujus pietate, modestiâ, diligentiâ, & profectu in SS. Theologiæ studio, Præsidi & toti Collegio probè constiterit, & qui ad harum Legum observationem subjectâ manu se obstrinxerit. Numerus admittendorum in Præsidis & Collegij arbitrio esto.

III.

Exercitia hæc Disputationum bis in Septimanâ habentor, diebus Mercurij & Saturni, quibus Professores à Lectionibus vacant, horâ pro ratione temporis à Præside designandâ.

IV.

Ad horæ designatæ punctum omnes Collegæ adsunto. Si quis actione jam inchoatâ serius advenerit, tarditatem asse luito.

V

V.

Si quis Disputationi non interfuerit & absentiæ causam Collegio probare non possit, singulis vicibus duos asses pendito.

VI.

Respondendi provinciâ unus fungitor, in eamque singuli ex ordine Catalogi succedunto.

VII.

Ad opponendum itidem ex ordine Catalogi terni benè præparati accedunto.

VIII.

Si quis responsurus post horam accesserit tres asses luito, si verò, non substituto maturè in locum suum alio, penitùs emanserit, sex asses dare damnas esto. Oppositurus, si serius advenerit, duos, si alio non substituto, abfuerit, quatuor asses pendito.

IX.

Argumenta modestè, distinctè, Syllogisticè, atque etiam, quantum fieri potest, Categoricè proponuntor.

X.

Ex sola Sacra & Canonica Scriptura, in qua omnia ad salutem necessaria dogmata perfectissimè continentur, & à Rationibus eidem Scripturæ consentaneis, argumenta petuntor, eaque sola admittuntor. Ab autoritate autem humana argumentum sumere nemini fas esto.

XI.

Bellarmini argumenta ex Scriptura petita primùm moventor: & Loca S. Scripturæ, quibus doctrinam Pontificiam astruere conatur, prius examinantor. His expeditis, si tempus patiatur, alia etiam argumenta producere licitum esto.

XII.

Ex collegarum numero unus eligitor, qui Collegij curam gerat, vices unicuique suas, cùm respondendi, tùm opponendi maturè indicet, mulctas exigat, ac bona fide asservet: ac denique omnia procuret, quæ ad Collegij utilitatem, atque ordinem spectabunt. Hic Collegij quasi Prætor quidam esto.

XIII.

XIII.

Administratio huyus Præturæ tantùm trimestris esto. Prætor munere suo functus, ejus rationem coram toto Collegio reddito: si culpam aut negligentiam admisisse compertus fuerit, ex æquo & bono luiturus.

XIV.

Si quis solutionem mulctæ debitæ à Prætore monitus in tertiam disputationem distulerit, duplo obstrictus esto: Sin diutius, ad Collegium defertor, à quo contumacia ejus pœnâ arbitraria corrigitor.

XV.

Controversiæ si quæ fortè super mulctis, aliisque rebus ad Collegii ordinem spectantibus, suborientur, Collegarum suffragiis à Prætore rogandis deciduntor.

Hisce Legibus subscripserunt, & in hoc Collegio Anti-Bellarminiano se exercuerunt sequentes SS. Theologiæ Studiosi.

Sixtus Hommius, Frisius.
Nicolaus Iacobi Ossanus.
AEgidius Becius. I. F.
Ioannes Becius I. F.
Ioannes Lammerscagius.
Benjaminus Risovicus.
Ioannes Bogardus I. F.
Ioannes Vrsinus.
Iacobus Crailingius.
Petrus
Daniel Gisius, Leydēsis.
Ioannes Cloppenburgius.
Antonius Plancius.
Esaias Victorinus.
Adrianus Radaus.
Iacobus Verbecius.
Iacobus Penius.
Arnoldus Sinderenus.
Paulus Hoenius ab Hoenenberga.

Petrus Fligerius.
Guilhelmus Lupardus.
Samuel Platevoetius.
Petrus Carpenterius.
Franco Petri Burgerodicus.
Paulus Colonius.
Ioannes Pollio.

...nenberga.
Ioannes Verhouvelius.
Petrus Stermondus.
Theodorus Altena.
Ioannes Spiliardus.
Adamus Leonardus.
Henricus Vollenhovius.



Wrangham 1816

LXX. DISPUTATIONES THEOLOGICÆ;

adversus

PONTIFICIOS:

Quibus omnes inter Evangelicos & Pontificios Controversiæ continentur, & excutiuntur: In gratiam SS. Theologiæ Studiosorum in Academiâ LEYDENSI privatim instituta, in

Collegio Anti-Bellarminiano,

PRÆSIDE

FESTO HOMMIO,

Eccl. Lugdun. Pastore.

Editio secunda; adjectionibus in margine locupletior.



OXONIÆ,

Impensis GVILIELMI TVRNER *Celeberrimæ Academiæ Typographi.*

Anno CIↃ. IↃC. XXX.

illi particulares non tantum constant ex verè fidelibus, sed semper hypocritas permixtos habent, vt parabolæ de agro, de area, de reti, de convivio nuptiali, de decem virginibus, & similes evidentissimè docent. Tales hypocritæ, etsi Ecclesiæ Catholicæ absolutè consideratæ viva membra non sint, tamen quamdiu occulti manent, nec impietatem produnt, ex lege charitatis pro verè fidelibus & Ecclesiæ Catholicæ membris à nobis haberi debent. Qui vero vitâ aut confessione se palam ostendunt à Christo planè alienos, neque ad communionem Ecclesiæ particularis admitti debent, neque in eadem tolerari.

An manifestè impij & magni peccatores?

DISPVT. XX.

An Ecclesia semper sit Visibilis? ET *An possit penitus deficere?*

THESIS I.

An Ecclesia Catholica sit visibilis?

CVm quæritur an Ecclesia semper sit visibilis? illud intelligi potest aut de Ecclesia Catholica, aut de Particulari. De Ecclesia Catholica cum intelligitur, respondemus, ea tametsi constet ex hominibus qui in se, quod ad formam externam, visibiles sunt, nobis tamen est invisibilis, non tantum respectu *a* τῆς καθόλου, quod in sensus non incurrit, aut quia maxima

a universalitatis.

pars in cœlis triumphans à nobis videri nequit, ſed potiſſimum reſpectu internæ ejus formæ, per quam quis Eccleſiæ hujus membrum eſt, & quæ corpori, ejuſque cuilibet membro, dat eſſentiam. Hæc enim cum ſit res ſpiritualis, vtpote viva & ſincera in Chriſtum fides, externis ſenſibus non percipitur. Soli DEO *b* καρδιογνώστῃ hæc cognita & viſibilis eſt, qui ſolus novit qui ſint ſui. Homines de aliorum fidei ſinceritate non niſi probabiliter & fallibiliter judicare poſſunt. In die autem illo extremo, cum Chriſtus oves ſuas ab hœdis diſcernet, Eccleſia Catholica ex omnibus populis, locis, atque omnibus temporibus collecta, demum omnium oculis exponetur, & tota viſibilis comparebit.

b *cordium cognitore.*

II.

An particularis Eccleſia ſit viſibilis?

Cum de Eccleſia particulari intelligitur, non controvertitur, An particularis aliquis externus cœtus hominum DEUM colentium in ſe ſit viſibilis? Quis enim rem tam manifeſtam vnquam negaverit, aut in dubium vocaverit? Sed hæc eſt præcipua queſtio, quæ inter nos & Pontificios hîc in controverſiam venit, An vnquam fieri poſſit, vt omnes particulares Eccleſiæ ita penitus deficiant, vt omnes ſimul fiant inviſibiles, hoc eſt, vt nullus amplius extet viſibilis cœtus Religionem veram profitentium, qui conſpici & digito demonſtrari poſſit? Reſpondemus, hoc nunquam eſſe futurum ex hypotheſi divinæ promiſſionis, ac defenſionis, ſed ſemper fore in hiſce terris alicubi cœtus viſibiles vel plures vel pauciores, vel majores vel minores, vel ſplendidiores vel obſcuriores, qui veram Religionem

profitebuntur. Fieri tamen posse vt omnes illi cœtus sint invisibiles, respectu vel eorum qui infirmitate humana præpediti eos inter impios latitantes non animadvertunt, vel eorum, qui odio & malitia excæcati videre nolunt, vel eorum quibus animus est ad persequendum Ecclesiam veram, quorum injuria latitare coguntur, ne se illis visibiles præbeant.

III.

An Ecclesia Catholica possit deficere?

De Ecclesiæ defectione idem planè est judicium. Si enim quæritur, An Ecclesia Catholica possit deficere? Respondemus de Triumphante Ecclesiâ quæstionem hanc moveri non posse, cum illa jam possideat vitam æternam, cujus nullus vnquam erit finis. Militantem Ecclesiam etsi Diabolus horribili atque insatiabili furore perpetuò oppugnet, & partim crudelissimis excitatis persecutionibus penitus ex orbe terrarum exstirpare conetur, partim efficacibus seductionibus atque erroribus ad defectionem sollicitet, ita vt sæpius in his terris ad exiguam paucitatem redigatur, nunquam tamen portæ inferorum adversus eam tantum prævalebunt, vt penitus in his terris deficiat, aut extirpetur. DEVS enim semper sibi semen & reliquias reservabit. Et Christus Caput & Rex Ecclesiæ suæ, qui æternum obtinet regnum, membra & subditos semper habebit, non tantum in cœlis, sed etiam hic in terris, vsque ad mundi consummationem, quibus se perpetuò affuturum promisit.

IV.

Cum quæritur, An Ecclesia particularis possit

deficere? illud intelligi potest aut de vnâ aliquâ, aut de omnibus simul. De vnâ aliquâ particulari Ecclesia, respondemus, fieri posse, vt cœtus aliquis particularis ita penitus exterminetur, vi persecutionis, vel etiam progressu temporis propriâ malitiâ ab Orthodoxâ doctrinâ, quę prius in cœtu illo tradita fuit, ita penitus deficiat, vt * civitas fidelis fiat meretrix, vt ex eo loco † candelabrum moveatur; atq; vbi prius vera Ecclesia fuit, ibidem nulla amplius appareat. Quod ipsum Ecclesiæ Corinthiacæ, Ephesinæ, & innumeris aliis Ecclesiis particularibus evenisse, ipsa testatur experientia. Neq; vlla est particularis Ecclesia in toto terrarum orbe, quæ per speciale aliquod privilegium loci, sedis, aut successionis ab hoc defectionis periculo sit immunis. Ecclesia enim Novi Testamenti nulli in terris loco peculiari est alligata.

An vna aliqua Ecclesia particularis possit deficere?

* *Isa.* 1, 21
† *Apoc.* 1, 5.

An vlla sit immunis à periculo defectionis?

V.

De omnibus Ecclesiis particularibus quæritur, an omnes simul ita possint deficere, vt nusquam in toto terrarum orbe vllus reperiatur cœtus hominum veram Religionem profitentium? Respondemus fieri posse vt omnes externæ & visibiles Ecclesiæ particulares quasi vniversali à vero Dei cultu defectionis cataclysmo ita obruantur, vt tota visibilis in terris Ecclesia defecisse penitus videatur. Quod vt in Veteri Testamento sæpius accidisse sacra historia testatur, & Prophetæ conqueruntur, ita etiam Christus & Apostoli clarè prædixerunt, in extremis hisce Novi Testamenti tēporibus, multos à fide defecturos, evidentem ac quasi generalem fore * Apostasiam, & tam efficacem seductionem, vt

An omnes particulares Ecclesiæ simul possint deficere?

* 2. *Thess.* 2, 3.

e Mat. 24. 24.
d Luc. 18. 8.

e si fieri possit, ipsi electi etiam seducerentur, vtq; Filius hominis cum venturus erit *d* vix fidem in terris sit inventurus; omnes etiam terræ incolas, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, Bestiam adoraturos. Fieri etiam posse vt violentia persecutionum omnes veræ Ecclesiæ ad eam paucitatem atque obscuritatem, in easque angustias & latebras redigantur, vt nulla earum facjes externa vspiam appareat, & membra ipsa vix se invicem noscant, quod tempore *e* Eliæ accidisse sacra historia clarè testatur. Nunquam tamen futurum esse, vt omnes in vniversum cœtus particulares vel extinguantur, vel penitus à vero DEI cultu deficiant, sed semper in hisce terris superstites fore veros DEI cultores, plures vel pauciores, quorum cœtus veram Ecclesiam constituunt.

e 1. Reg. 19. 14.

VI.

Vbi fuerit vera Ecclesia sub Papatu superioribus seculis?

Quæritur denique, vbinam gentium aut locorum fuerit vera Ecclesia superioribus seculis in Papatu, si Pontificia Ecclesia non sit vera Ecclesia? Respondemus, quemadmodum in Ecclesiæ Israeliticæ generali ad Idololatriam defectione præcipuè temporibus Acabi, ingens numerus superfuit eorum qui genua coram Baal non flexerant, ita dubium non esse, quin omnibus seculis extiterint, non tantum iunumeri pij, qui veritatem constanter agnoverunt, & Pontificiorum Idololatriam, hæreses, ac superstitiones damnarunt, atque execrati sunt vt docent Martyrologia: sed etiam plurimos integros cœtus, etiam in ipsa Europa, vbi Papa dominium potissimum exercet, semper extitisse, qui DEVM secun-

dum

dum verbum suum ritè coluerint: cui rei vel sola Waldensium, seu Albiensium, historia fidem facere potest. Deinde istis temporibus vera Ecclesia fugiens Draconis persequentis tyrannidem, vt per Apostolum prædictum erat in deserto, in loco suo, latuit extra serpentis & hominum conspectum.

DISPVTATIO XXI.

An Ecclesia poßit errare?

Thesis I.

Fidei Romanæ seu Pontificiæ præcipuum atque vnicum ferè fundamentum est hæc Pontificia hypothesis: *Ecclesiam non posse errare.* Quemadmodum enim Iudæi adversus Prophetarum increpationes solent ingeminare, Templi Iehovæ ista sunt, eodem planè modo Pontificij, cum ipsorum Idololatria, hæreses, superstitiones, & errores ex S. Scriptura redarguuntur, semper in promptu habent hanc responsionem, Ecclesiæ ista sunt decreta: Illa autem errare non potest. Quare neque nos Ecclesiæ definitonem sequentes. Atque ita sola hâc hypothesi potissimùm in efficacibus & perniciosis illis erroribus obfirmantur. Hanc itaque hypothesin paulo penitius examinemus, vt constet quam infirmo fundamento miseri homines in Papatu nitantur.

Quid sit præcipuum fundamẽtum fidei Pontificiorum?

II.

Quotuplex sit vocis Ecclesiæ acceptio?

Quotuplices sint errores?

Ad quæstionem autem hanc: *An Ecclesia possit errare?* vt commodè respondeatur, accuratè considerandaest diversa vocis Ecclesiæ acceptio, & distinguendi errorum gradus. Ecclesia enim significat aut Ecclesiam Catholicam invisibilem, aut particulares visibiles Ecclesias, & Synecdochicè etiam eos, qui has repræsentant. Atque vt in corpore humano alij morbi sunt curabiles, alij lethales, ita errores alij sunt graviores, capitales, & exitales, alij leviores & sanabiles. Alij fundamentum salutis planè euertunt & Ecclesiæ essentiam tollunt, alij non item.

III.

An Ecclesia Catholica possit errare?

De Ecclesiâ Catholicâ & invisibili si quæratur, An possit errare? Respondemus, Triumphantem in cœlis Ecclesiam nullo amplius errori, ne vel minimo quidem, immò nec ignorantiæ vlli earum rerum, quæ ad perfectionem istius beatitudinis cœlestis scitu necessariæ sunt obnoxiam esse. Pars autem ejusdem Ecclesiæ Catholicæ in terris adhuc Militans, quæ nunc a ἄρτι δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι cernit, atque ἐκ μέρους tantum cognoscit, potest quidem incidere in errores leviores fundamentum non evertentes, non potest tamen errare in fundamentalibus fidei articulis, qui simpliciter ad salutem sunt necessarij. Impossibile enim est electos ab ijs posse seduci: & quicunque in istis articulis errat, ille Catholicæ Ecclesiæ membrum esse non potest.

a 2. *Cor.* 13.12.

IV.

De Ecclesijs particularibus cum quæritur,

respondemus eas quidem non errare quamdiu regulam à DEO in verbo suo præscriptam sequuntur, & à Spiritu Sancto per verbum se doceri patiuntur, posse tamen errare, non tantum vnam Ecclesiam particularem, sed etiam omnes vbicunque locorum fuerint externi & visibiles cœtus omnesque erroribus esse obnoxios, tam in fide quam in moribus: quinetiam interdum multi perniciosis erroribus ita obruuntur, vt planè à veritate Euangelica deficiant, & desinant esse veræ Ecclesiæ: vti ipsa experientia satis comprobat. Defectio hæc à veritate sæpe tam evidens & magna est, vt quasi vniversalis esse videatur, atque omnes penitus Ecclesias aspectabiles occupasse: tametsi DEVS sibi semper aliquos cœtus in hisce terris sive exiguos, sive majores, sive plures, sive pauciores, sive occultos sive manifestos sit reservaturus, qui ab erroribus fundamentalibus sint immunes, & nomen veræ Ecclesiæ retineant.

An Ecclesia particularis possit errare?

An omnes simul?

V.

Ecclesia aliqua paticularis tametsi errores aliquos habeat & foveat, in rebus levioribus ad salutem non necessarijs, non statim desinit esse vera Ecclesia. Sed quamdiu fundamentum salutis in ea retinetur, tametsi ex infirmitate humana fœnum & stipulam super hoc superędificet, nihilominus tamen nomen vere Ecclesiæ, sed errãtis in levioribus, retinet. Debent tamen omnes Ecclesiæ particulares, quæ in errore aliquo versantur, operam dare, vt agnitis tandem atque abjectis erroribus etiam levioribus, ab ijsdem, quantum fieri potest accuratè perpurgentur, & ad normam divini verbi quàm exactissimè reformentur.

An propter errorem leviorem cœtus aliquis nomen veræ Ecclesiæ amittat.

VI

VI.

An Ecclesia Repraesentativa possit errare?

De Ecclesiâ Synecdochicè dicta, quae vulgo vocatur Ecclesia Repraesentativa, praecipua videtur esse quaestio, videlicet, An Doctores & Antistites Ecclesiarum particularium in Synodo legitimâ, sive particulari sive vniversali, congregati in definitionibus suis errare possint? Respondemus cum illa Ecclesia constet ex hominibus, quorum singuli erroribus sunt obnoxij, qui tantum ex parte cognoscunt, & qui sepe ignorantia, odio, invidia, aliisque pravis affectibus judicium rectum impedientibus, laborant, qui non semper vocem Christi summi Pastoris audiunt, neque ductum Spiritus Sancti in Scripturis loquentis, sed praejudicium suum in definiendo saepe sequuntur, non est dubium quin talis Ecclesia seu congregatio errare possit. *b* πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες. Quinetiam ipsa experientia testatur Ecclesiam istam saepius graviter errâsse, non tantum in iis quae ad mores, sed etiam quae ad fidei dogmata spectant. Quare judicium ejus, tametsi non temere est rejiciendum, non tamen pro *c* ἀναμαρτήτῳ aut *d* ἀνεξετάστῳ fidei principio est agnoscendum, sed semper ad amussim Verbi Divini, quod vnicum fidei Christianae principium est, sollicitè explorandum.

b *Iac. 3. 2.*

c *infallibili.*

d *non examinando.*

DISPUTATIO XXII.

De Notis Veræ Ecclesiæ.

THESIS I.

ECclesia *a ὁμωνύμως* accepta aut est Vera, aut est Falsa. Vera est quæ DEUM secundum verbi sui præscriptum rectè agnoscit & colit. Falsa est, in quâ DEUS aut non agnoscitur & colitur, aut in quâ cognitio veri DEI & genuinus ejus cultus planè sunt adulterata. Hæc vocatur Ecclesia malignantium, & *b συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ.* Omnes quicunque DEUM in hoc mundo ritè colere volunt, debent se Veræ Ecclesiæ, eum in finem, adjungere. Sed cum semper, ac præsertim hodie, multi cœtus sint, qui se pro veris Ecclesiis venditant, in quibus tamen DEUS non rectè agnoscitur, neque colitur, & qui proinde verarum Ecclesiarum nomen non possunt obtinere, ne quis in delectu rei tanti momenti facile aberret, imprimis tenendum est, quibus Notis Vera Ecclesia à Falsa discernatur, & caulæ ovium à luporum lustris internoscantur.

a *æquivocè.*
Quam necessaria sit doctrina de Notis Ecclesiæ?
b *Apoc. 2.9*

II.

Notæ hæ, quæ Veram nobis Ecclesiam ostendere debent, non debent esse *c εἰκότα* tantum, quæ probabiliter, sed *d τεκμήρια*, quæ certissimè rem cognoscendam exhibeant: ac propterea non debent esse accidentariæ, quæ adesse

c *verisimilia.*
Quales esse debeant genuina Ecclesiæ notæ?
d *signa indubitata*

vel

vel abesse possint, sed essentiales, hoc est, ab interna Ecclesię forma manantes. Tres itaque hæ conditiones in genuinis veræ Ecclesiæ notis requiruntur. 1 Vt sint propriæ veræ Ecclesiæ & non communes alijs sectis. 2 Vt sint inseparabiles à verâ Ecclesiâ omnibusque Ecclesijs veris omnium temporum conveniant. 3. Vt notiores sint ipsa vera Ecclesia, quam demonstrant. Non autem quæritur hic de Notis, quibus aliquis certò explorare possit, vel de se vel de alio, an sit verum & vivum Catholicæ atque invisibilis Ecclesię membrum: De alio etsi ex confessione & vita externa probabiliter secundum judicium charitatis bene æstimare possumus, non tamen hæc certa atque infallibilis nota est, cum etiam hypocritis sit communis. Solus DEVS ὁ καρδιογνώστης novit qui sint sui. De nobis ipsis certi esse possumus ex notâ externâ fructuum fidei, ac præcipuè internâ Spiritus Sancti testificatione atque obsignatione. Sed quęstio præcipua est de externis visibilibus cœtibus & Ecclesijs particularibus, vnde, vel ex quibus notis, certò dignosci possit, hunc particularem Christianorum cœtum esse veram atque orthodoxam Ecclesiam?

De quibus notis præcipuas quæstio sit?

ὁ cordium cognitor.

III.

Respondemus primariam atque essentialem veræ Ecclesiæ notam esse puram Verbi Divini prædicationem, seu, vt Bellarminus ipse statuit & loquitur, conspirationem in Doctrina cum Ecclesia Apostolica, & Sanctitatem Doctrinæ, quæ in cœtu aliquo docetur, quæ tum demum sancta censeri debet, cum formæ sanorum verborum & amussi verbi divini est consentanea.

An pura Verbi Divini prædicatio sit primaria nota veræ Ecclesiæ?

Qui enim in sermone Christi manent, illi sunt verè discipuli ejus. Oves Christi *f* vocem ejus, & qui ex Deo sunt, verba Dei audiunt. Qui *g* in doctrina Christi manet, hic & Patrem & Filiū habet. Vera Ecclesia * superstructa est super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, & perdurat in doctrina Apostolorum. Ex hac nota infallibiliter vera Ecclesia cognoscitur; Non enim est alijs sectis communis *h* κατ' ἀλήθειαν, etsi plerunque *i* κατὰ φάσιν, sed soli veræ Ecclesiæ propria. Est etiam Ecclesia notior, quia causam ejus declarat, atque vt ex hac Beroenses agnoverunt Apostolicam Ecclesiam esse veram, ita ex eadem etiam facilè est hodie veram Ecclesiam agnoscere, modo verbum Dei sine præjudicio, cum zelo, & precibus, eum in finem diligenter scrutari velimus. Est etiam à verâ Ecclesiâ planè inseparabilis, respectu istorum fidei articulorum, qui ad salutem sunt necessarij. Desinit enim cœtus esse vera Ecclesia, in quo isti articuli secundum Dei verbum non rectè docentur. Hæc nota ipsam Ecclesiam constituit, atque infallibiliter Ecclesia vera ex hac cognoscitur. Cœtus enim in quo verbum Dei purè prædicatur, est vera Ecclesia, quemadmodum è converso vera Ecclesia nihil aliud est, quam cœtus hominum in quo verbum Dei purè prædicatur.

f Ioh. 10. 27.
g 2. Ioh. 9.
* Ephes. 2. 20.
h *juxta veritatem.*
i *secundum apparentiam.*

IV.

An legitima Sacramentorum administratio sit nota veræ Ecclesiæ?

Cum autem Christus in Ecclesiâ suâ preter audibilem verbi sui prædicationem etiam instituerit visibiles quosdam ritus, promissionum Evangelicarum *l* σφραγῖδας, qui secundum ipsius institutionem religiosè à vera Ecclesia administrari atque

l *sigilla.*

vsurpari debent, ad fidei confirmationem, statuimus secundam veræ Ecclesiæ notam, esse legitimam horum rituum, qui vulgo Sacramenta appellantur, juxta institutionem Christi, administrationem, atque vsurpationem. Denique cum Ecclesia sit Domus Dei viventis, in quâ omnia *m* εὐσχημόνως, καὶ κατὰ τάξιν geri, neq; manifesta scelera aut scandala tolerari debent, cohæret cum superioribus notis *n* ἐν τάξει atque Disciplinæ Ecclesiasticæ, secundum Christi & Apostolorum Canones, religiosa procuratio, tanquam tertia nota Ecclesiæ benè constitutæ.

An Disciplina Ecclesiastica recta administratio sit nota Ecclesiæ?

m 1. *Cor.* 14.40.

n *ordinis.*

V.

An hæ notæ in omnibus Ecclesijs veris æquè puræ sunt?

In quocunque cœtu hæ tres notæ simul deprehenduntur, ille procul omni dubio, atque optimo jure, Vera & benè constituta Ecclesia appellari potest, & censeri debet, cui quilibet Christianus se adjungere & tutò potest, & meritò debet. Sed habent hæ notæ certos quosdam sinceritatis gradus, tam in Pastoribus, quam in ovibus, secundũ quos Ecclesiæ, in quibus apparent, in *Puriores* & *Impuriores* distinguuntur. Quanto enim puriores hæ notæ in aliquâ Ecclesiâ servantur, tanto etiam purior hæc Ecclesia censeri debet: Et quanto magis à puritate declinant, tanto magis etiam cœtus ille ab integritate & perfectione Ecclesiæ Dei discedit. Non tamen ob quamlibet impuritatem vel in doctrina, vel in Sacramentorum administratione, vel in Disciplinæ & ordinis procuratione, cœtus aliquis nomen veræ Ecclesiæ amittit, quamdiu capiti adhæret & fundamentum retinet. Cæterum tenentur omnes Christiani ei se adjungere Ecclesiæ, seu cœtui, in

An cœtus aliquis ob leviorem impuritatem nomen Ecclesiæ amittat?

quo minima impuritas apparet. Vbi vero notæ hæ vel omnino non ſunt, vel prorſus adulteratæ habentur, ibi vel nulla, vel certè corruptiſſima eſt Eccleſia.

VI.

Notæ illę quindecim quas Bellarminus recenſet, (exceptis Sexta & Octava) Eccleſiam veram non demonſtrant, cum ſint aut communes aliis ſectis, aut ipſa Eccleſia ignotiores ſeu obſcuriores, aut à vera Eccleſia ſeparabiles. Nam tametſi Romanæ Eccleſię Pontificij *nomen Eccleſiæ Catholicæ* attribuant, inde non ſequitur eam eſſe verè *Catholicam*, quia ſic dicitur. Aliud enim eſt verè eſſe, aliud dici tantum. Nam & Angelus Eccleſiæ, *o* quæ in Sardibus erat, dicebatur vivere, ſed mortuus erat: & multi olim ſe Iudæos appellabant, cum non eſſent, ſed mentirentur. Niſi fortè velimus *Catholicam*, id eſt, vniverſalem appellare ob hanc cauſam, quia vniverſa terra admirans ſecuta eſt Beſtiam. Si vox *Catholica* intelligitur reſpectu populorum, & locorum, nota hęc à vera Eccleſia ſeparabilis eſt cum hoc modo non fuerit Eccleſia Vniverſalis in ſui primordio, neque in Veteri Teſtamento, neque tempore Chriſti in terris verſantis. Si reſpectu dogmatū orthodoxorum, eadem erit nota cum primâ noſtrâ. ſed Eccleſię Pontificiæ non poteſt applicari. *Antiquitas*, ſeu Vetuſtas, veram Eccleſiam non ſemper demōſtrat, quia & Synagoga Satanæ antiqui illius ſerpentis inde ab initio extitit, & vetuſtas erroris veritati præjudicare non poteſt. Fuit etiam vera Eccleſia cum nondum eſſet antiqua, ſed primum naſceretur. Non ſola antiquitas doctrinæ, ſed

An nota Eccleſiæ veræ ſit nomen Catholicum?

o *Apoc.* 3. 1.

An Antiquitas?

antiqua veritas, germana Ecclesiæ nota est. Neque ex *Duratione* diuturnâ, & nunquam interruptâ, vera Ecclesia certò cognosci potest, cum & regnum Diaboli à primo ortu ad finem vsque mundi sine interruptione sit duraturum, & vera fuerit olim Ecclesia antequam diu durasset. *Amplitudo* seu multitudo non semper in Ecclesiâ verâ conspicitur, cum sit grex pusillus, qui ad paucos sæpe redigatur, & pauci *p* in angusta via ambulent. Contra videmus blasphemam Mahumeti sectam amplissimè per orbem terrarum dispersam, & multos esse qui latam viam, quæ ad exitium ducit insistunt. Multitudo autem errantium non parit errori patrocinium. Neque vera Ecclesia agnosci potest ex personali *Successione* Episcoporum in sede Romana Ecclesia enim vera nulli loco in his terris alligata est; neque locus iste privilegium hoc habet Episcopos omnes in illa sede succedentes non posse in fide errare. Quinimo successio illa multoties fuit interrupta. Successio non in sede aliqua, sed in doctrina Apostolica, veros doctores & veram Ecclesiam arguit. Scribæ enim & Pharisæi *q* sedebant in Cathedra Mosis, & tamen erant *r* cæci cæcorum duces, falsi Prophetæ & lupi rapaces, à quorum fermento *s* erat cavendum. *Consensio in doctrina cum Ecclesiâ Apostolicâ*, & verè primitiva, Ecclesiam veram certò indicat, sed in Romana Ecclesia non reperitur. Estq; hæc nota eadem cum nostra prima. Patrum autem doctrina, præsertim eorum, qui ab Apostolorum temporibus longius abfuerunt, quia sæpe neq; cum seipsa, neq; cum aliorum doctrina consentit, & sẽper ad Apostolicam est expendenda. non potest esse regula fidei, aut conspiratio

An Duratio?

An Amplitudo?

p *Mat.* 7. 14.

An Successio?

q *Mat.* 23. 2.

r *Mat.* 15. 14.

s *Mat.* 16. 6.

An conspiratio cum doctrina Apostolica?

cum eâdem veræ Ecclesiæ nota. Fuit etiam vera Ecclesia ante omnes Patres. Et quotusquisque est qui Patres legere potest, aut tota vita consensum illum rectè cognoscere, qui tamen scire debet, quæ nam sit vera Ecclesia? *Vnitatem* in rectâ fide seu verâ doctrinâ, sub vno capite Iesu Christo, inter notas veræ Ecclesiæ agnoscimus, & sub prima nostra nota comprehendimus, sed quælibet in doctrinæ capitibus ad salutem non necessarijs dissensio, falsæ Ecclesiæ nota non est, cum etiam in Ecclesijs Apostolicis nonnunquam visa fuerit. Neque contrà quælibet in doctrinâ vnitas seu consensio veram Ecclesiam arguit, cum illa etiam inter impios & idololatras esse possit, atque etiam sæpe fuerit, vt exempla Sacerdotum Baaliticorum, Iudæorum adversus Christum & Apostolos conjuratorum, & Mahumetanorum clarè docent. Sub Pontifice autem Romano, vt Ecclesiæ capite, neque Israeliticæ, neq; Apostolicæ, neque primitivæ, neque aliæ multæ verę & orthodoxę Ecclesiæ vnquam vnitæ fuerunt. Atque hęc vnio non veram, sed Antichristianam Ecclesiam demonstrat. *Sanctitas doctrinæ* certa & genuina est Ecclesiæ veræ nota, & sub primâ nostrâ notâ continetur. Nulla enim sancta est doctrina, nisi quam Devs in verbo suo per Spiritum Sanctum revelavit, quod cum purè prædicatur, fieri non potest, quin sancta doctrina proponatur. *Efficacitas doctrinæ* prædicatę non est veræ Ecclesiæ propria. Nam & Antichristus venturus est *t* cum efficacia deceptionis, & Bestia totum terrarum orbem est seductura. Ingemuit totus orbis, & se Arrianum esse miratus est. Sæpe contra evenit,

An Vnitas?

An Sanctitas Doctrinæ?

An efficacitas doctrinæ?

t 2. *Thess.* 2. 10.

nit, vt pauci admodum credant auditui Prophetarum. *Sanctitas vitæ* alia est interna, quæ soli DEO nota est, ac proinde inter notas Ecclesiæ visibilis numerari non potest: Alia est externa, quam etiam hypocritæ exprimere possunt, ac proinde veram Ecclesiam certò non potest demonstrare. Ecclesia enim non ex moribus & vita, sed ex doctrina est æstimanda. *Miracula* itidem alia sunt vera & divina, alia falsa & fallacia, inter quæ haud facilis est discretio, nisi attendas ad doctrinam, ob quam confirmandam adhibentur. Vera itaque doctrina & consequenter vera Ecclesia prius cognoscenda est, quam de miraculis certi aliquid statuatur. Prædictum enim est Pseudoprophetas & falsos doctores edituros esse signa *u* ac prodigia magna, adeo vt si fieri posset, etiam electi seducantur. Item Antichristum esse venturum cum omni potentia, *x* & signis, ac prodigijs mendacibus, & facturum esse signa magna. Quin etiam Ethnici sua olim miracula jactarunt. Quare non quælibet miracula Ecclesiam veram demonstrant, quæ etiam veris miraculis non semper opus habet, sed plerunque illis carere solet cum doctrina satis superque confirmata est, ita vt deficientibus miraculis, non deficiat tamen vera Ecclesia. *Lumen Propheticum*, seu donum futura prædicendi non semper in sola vera Ecclesia conspicitur, sed aliquando DEUS etiam in cœtibus Idololatrarum voluit prædici futura, quorum eventus verus fuit. Donum prophetiæ fuit temporarium, neque eo Ecclesia semper opus habet, sed sufficiunt veteres Prophetiæ veterum Prophetarum, ad quorum sermonem, tanquam ad lucernam *y* in obscuro

An Sanctitas vitæ?

An gloria Miraculorum?

u *Mat.* 24. 24.

x 2. *Thess.* 2. 9.

An lumen Propheticum?

y 2. *Pet.* 1. 19.

splenden-

ſplendentem, jubemur attendere, non autem ad novas revelationes, aut divinationes; atque à Pſeudoprophetis, quorum multi in mundum prodierunt, nobis cavere, eumque in finem ad verbi Dei amuſſim ſpiritus probare, an ex Deo ſint. *Adverſariorum confeſſionis* acceſſione nihil additur, & deceſſione nihil detrahitur veræ Eccleſiæ. Et cum ſit res incerta, quæ in dubium vocari poſſit, cumq; ſibi ipſi contraria ſit, planè fortuita ac contingens, non poteſt eſſe certa atque eſſentialis Eccleſiæ nota. *Infelix exitus* hoſtium alicujus Religionis non ſemper oſtendit illam Religionem, cujus adverſarij fuerunt, eſſe veram, aut ſuam eſſe falſã. Nam & pij homines in verâ Eccleſiâ verſantes miſerabili ſæpe exitu à Deo caſtigantur, & contrà, immaniſſimi tyranni, ac perditiſſimi hæretici placidum ſæpe habuerunt exitum. *Felicitas temporalis* Epicuræorum potius quam Chriſtianorum Eccleſię nota eſt. Hanc enim Deus vult hîc ſub cruce gemere, per multas tribulationes in regnum cœlorum ingredi, atque omnes z qui in Chriſto piè vivere volunt perſecutionem pati. Contrà, impij plerumque in hoc mundo florere ſolent.

An Confeſſio adverſariorum?

An infelicitas hoſtium?

An Felicitas temporalis?

z 2. *Tim.* 3.12.

DISPVT. XXIII.

De Ecclesia Romana seu Pontificia, ET De Ecclesia Reformata.

THESIS I.

Quotuplices sint cœtus Christianorum?

Cœtus omnes visibiles nomen Christianum, potissimum in Europa, hodie profitentium, commodè dividi possunt in eos, qui Pontificem Romanum pro capite agnoscunt, & eos qui à Pontifice decesserunt. Collectio cœtuum illorum, qui recentioribus hisce aliquot seculis Pontificem Romanum pro summo, vniversali, atque infallibili Ecclesiæ Pastore, & capite agnoscunt, quique eam, quam Pontifex, Cardinales, Episcopi & Monachi hodie tradunt & propugnant, Religionem profitentur, vocatur vulgò ab hoc Pontifice seu Papa Romano, & loco in quo sedet, Ecclesia Pontificia, Papistica, & Romana: de quâ merito quæritur, an sit vera Ecclesia? De veteri autem illâ Romanâ Ecclesiâ, quæ temporibus Apostolorum Romæ collecta fuit, & cui divinam illam Epistolam Apostolus Paulus inscripsit, nulla quæstio est; vt neque de Romanâ

illâ, quæ ibidem post Apostolorum tempora prioribus aliquot seculis collecta fuit, & notas veræ Ecclesiæ retinuit, tametsi paulo impuriores. Nam post Apostolorum tempora Ecclesia non diu mansit pura atque immaculata virgo.

II.

An Ecclesia Romana sit vera Ecclesia?

De Papisticâ autem hac Ecclesiâ, duplex est quæstio. Prima: An cœtus illi Papistici inter veras particulares Ecclesias censeri possint? Altera; An aliquis, qui membrum istorum cætuum est & manet, possit esse membrum Ecclesiæ Catholicæ invisibilis, & servari queat? Respondemus ad primam: Ecclesiam Pontificiam considerari posse dupliciter, vel vt *Repræsentativam*, vel vt *Popularem*; *Repræsentativa* constat ex Pontifice, Cardinalibus, & aliis Clericis, præsertim in Synodis generalibus congregatis, qui quasi corpus Pontificiæ Ecclesię repræsentant. Quia vero Pontifex, qui caput est istius hierarchiæ, ne quidem pro vero Episcopo, nedum pro Ecclesiæ capite, sed pro ipsissimo illo Antichristo magno haberi debet; & reliqui Clerici Pontificij nec vocationem secundum veros Apostolorum canones legitimam habent, neque munere suo ritè funguntur, omnesque illi Idololatriam, hæreses, & gravissimos errores non tantum admittunt, sed etiam acerrimè omnibus viribus defendunt, sequitur hunc Hierarchicum cœtum, quem Curiam Romanam rectè appellaveris, Ecclesiæ veræ nomen nequaquam posse obtinere, sed potius esse strumam, tuber, vlcus pestilentiale, & gangrænam in Ecclesiæ corpore. *Popularem* Ecclesiam Romanam vocamus to-

An repræsentativa?

An popularis?

tam illam promiscuam multitudinem, quæ doctrinam in Papatu vulgo receptam implicitè credit, & profitetur, seu cœtus illos particulares, in quibus doctrina Papistica publicè docetur, & cultus Papisticus publicè exercetur. In his cœtibus cum verbum DEI purè non doceatur etiam in fundamentalibus, neque Sacramenta secundum Christi institutionem legitimè administrentur, aut vsurpentur, Disciplina Ecclesiastica in carnificinam conscientiarum, & manifestam tyrannidem sit commutata, atque insuper etiam, præter intolerandas superstitiones, manifesta Idololatria in adornatione panis Missatici, Sanctorum mortuorum, reliquiarum, & imaginum, committatur; sequitur eos cœtus potius Antichristianæ & Idololatricæ, quam veræ Ecclesiæ notas gerere, cujus communio proinde pijs omnibus planè sit deserenda, vt veræ Ecclesiæ cives esse possint.

III.

An possit ostendi à quibus, & quãdo corruptio doctrinæ & cultus in Ecclesiam sit invecta?

Quibus autoribus & promotoribus, quo tempore, quo loco, quibus contranitentibus, nova in Ecclesiam Romanam dogmata inventa atque introducta, novi ritus Ecclesiastici excogitati, superstitiosi cultus instituti sint, corruptio hæc, quam hodie videmus, Ecclesiam illam paulatim magis magisque invaserit, ac zizania hæc licet sæpe occultè dormientibus pastoribus, sparsa paulatim succreverint, & bonum semen suffocaverint, non tantum ex historijs Ecclesiasticis, ac veterum scriptis, sed etiam ex ipsis Pontificijs scriptoribus evidentissimè demonstrari potest.

IV.

An membra Ecclesiæ Papisticæ servari possint?

Ad secundam quæstionem respondemus, certum esse neminem per doctrinam illam, quæ hodie, secundum Concilii Tridentini Canones, in cœtibus Papisticis docetur, ad salutem pervenire posse, cum doctrina illa salutis fundamentum plane evertat. Non dubitamus tamen, quin in illis cœtibus semper extiterint, & hodie etiam sint non pauci, qui licet ex infirmitate cum iis communionem habeant, tamen gravioribus illis ac fundamentalibus erroribus, qui in iis docentur, aut nunquam assensum præbuerint, aut eos ignorarint, aut ante obitum abjecerint, atque ita in verâ Christi fide, licet multis infirmitatibus commaculatâ, mortui sint & servati. Vt enim olim in corruptissimâ Hierosolymorum civitate multi adhuc erant, qui suspirabant, & exclamabant, propter omnes abominationes istas, quæ fiebant in medio illius; ita non dubium est, quin in ipso Papatu hodie tales etiam reperiantur, qui tamen cum in loco valde lubrico & periculoso versentur, omnibus modis ex hoc cœno sunt extrahendi, vt desertâ communione externâ talium cœtuum, ad communionem veræ Ecclesiæ perducantur.

V.

Quotuplices sint Ecclesiæ, quæ à Papa Romano secessionem fecerunt?

Ecclesiæ, quæ superiori seculo à Pontifice Romano, & cœtibus Pontificijs secesserunt, duplices hodie reperiuntur. Aliæ enim Pontificiorum Idololatriam, superstitiones, & errores nonnullos reliquerunt, sed in alios iterum errores graves & pernitiosos prolapsæ sunt, qualès

Quid sit sentiendũ de Ecclesijs Samosatenicis, & Anabaptisticis?

quales sunt Ecclesiæ seu cœtus novorum Samosatenianorum, Anabaptistarum, & similium, in quibus veræ Ecclesiæ notæ etiam non apparent. Aliæ non tantum à Papalibus, sed etiam quibusvis alijs gravioribus erroribus sũt perpurgatæ, & vocãtur hodie Ecclesię Reformatæ & Evãgelicæ, in quibus cum veræ Ecclesiæ notæ manifestè conspiciantur, non dubitamus intrepidè asserere, illas esse verè Christianas, atque orthodoxas Ecclesias, quibus omnes, qui DEUM ritè colere volunt, & salutem animarum quærunt, sese adjungere debent. Etsi vero hodie inter Ecclesias Evangelicas in nonnullis, quę vulgò *Lutheranæ* vocantur, notæ veræ Ecclesiæ non tam puræ, vt in cæteris, reperiantur; non tamen istis propterea nomen verarum Ecclesiarum adimendum est, quamdiu fundamentum fidei & salutis integrum in iis servatur, quamvis errores aliqui supersint, à quibus optandum esset, vt aliquando perpurgatæ cum cæteris Ecclesijs Reformatis consensum Orthodoxum in omnibus colerent.

Quid de Ecclesijs Lutheranis?

VI.

An Ecclesiæ Reformatæ sint Hæreticæ?

Ecclesiæ Reformatæ, quamvis à Papa & cœtibus Papisticis secesserint, cum ijs communionem non habeant, & salvâ conscientiâ habere se non posse profiteantur, non tamen propterea sunt aut hereticæ, aut scismaticæ, aut Apostaticæ. Non *Hæreticæ*: quia notas veræ atque orthodoxæ Ecclesiæ retinent, ex solo verbo DEI sapiunt, & fidem ac vitam ad illius normam exigunt atque instituunt: neque quisquam hactenus extitit, qui ex verbo DEI eas erroris alicujus funda-

mentalis

mentalis convicerit, in quo nihilominus pertinaciter perstiterunt. Neque *Scismatica*: quia secesserunt non à veræ Ecclesiæ vnione, sed tantum à cœtibus in quibus non tantum manifesta hypocrisis, Superstitio, Tyrannis, impuritas, luxus, avaritia, fraudes, & mendacia regnant, sed etiam commentitij & idololatrici cultus publicè exercentur, & pernitiosæ hæreses cum fidei fundamento pugnantes docentur & creduntur: idque fecerunt non ex temeritate, ambitione, odio aut carnali zelo, sed compulsi divino mandato, atque amore divinæ gloriæ, & salutis suæ æternæ; Devs enim expressè *a* mâdat à talibus declinare, ne communicemus operibus eorum malis, & speciatim ex hac *b* Babylone Romanâ fugere, ne participes fiamus peccatorum ejus, & de plagis ejus ne accipiamus. Multo minus sunt *Apostatica*. Non enim defecerunt à Christianismo ad Gentilismum, aut Iudaismum, aut Mahumetismum, neque à verâ fide ad traditiones humanas, aut ad fabulas, sed ab hæresi ad veritatem, ab Idololatriâ ab verum Dei cultum, ab impietate multiplici ad veram pietatem & ab Antichristo ad Dominum nostrum Iesum Christvm.

An Schismatica?

a *Numb.* 16. 24.
b *Apoc.* 18. 4.

An Apostatica?

DE

DE MEMBRIS ECCLESIAE MILITANTIS.

DISPVT. XXIV.

De Clericis, seu Ministris Ecclesiæ, ET *De eorum Vocatione.*

Thesis I.

In quot ordines Mēbra Ecclesiæ visibilis distinguantur.

MEmbra visibilis Ecclesiæ sunt quicunque fidem Christianam confessione & vita profitentur. Hi in duo tantum genera, seu ordines, distinguuntur. Alii enim sunt Pastores, Doctores, Gubernatores, & Præpositi Ecclesiæ: alii sunt qui in Ecclesia pascuntur, docentur, gubernantur, & Præpositis suis, qui pro ipsorum animabus excubant, obedire debent. Tertius ordo qui in Ecclesiâ Pontificiâ hodie conspicitur, nimirum Regularium sive Monachorum, & Anachoretarum, nec à Deo in Ecclesia sua in-

stitu-

litutus est, neque in Ecclesia vtilis aut necessarius, & in S. Scriptura ac verè primitiva Ecclesia planè ignoratus.

II.

Clerici an Pastores & Ministri Ecclesiarum rectè vocentur?

Ad priorem ordinem qui pertinent varijs in S. Scriptura nominibus insigniuntur, sed nusquam peculiariter vocantur *Clerici*. Vox enim Κλῆρος, quæ significat sortem, peculium, & hæreditatem, & à quâ hæc denominatio erat petenda, passim in S. Scriptura vtrique ordini & toti fidelium cœtui communiter attribuitur. Singuli enim sunt Domini sors, & singulis etiam Dominus sors est. Omnes fideles vocati sunt a εἰς τὴν μερίδα τοῦ κλήρου τῶν ἁγίων, vtque b κλῆρον accipiant inter sanctificatos. Immo S. Scriptura c κλήρων alicubi vocat eos tantum qui ad secundum ordinem pertinent, & disertè Presbyteris & Pastoribus, hoc est, iis qui prioris sunt ordinis, opponit. Cæterum cum veteres Ecclesiæ Doctores istam vocem nonnunquam vsurparint ad designandum eos, qui ad primum ordinem pertinent, nolumus de voce multum contendere, modo ita explicetur, ne de communi Christianorum dignitate quidquam detrahatur, quasi isti soli sint sors & hæreditas Domini, sed potius ita appellati censeantur, quia peculiariter acceperunt d τὸν κλῆρον τῆς διακονίας. Præcipuè tamen veteres solent *Clericos* appellare adolescentes, qui ex parentum consensu & autoritate, militiæ spirituali nomen dabant, & studio Theologico consecrati exercitiis quibusdam Ecclesiasticis ad ministerium præparabantur, quo tandem ad illud aptiores accederent, & gradatim ascenderent.

a *Coloss.* 1. 12.
b *Act.* 26. 18.
c 1. *Pet.* 5. 3.
d *Act.* 1. 25

Qui à veteribus Clerici vocati fuerint?

III.

Laici qui vocentur, & quotuplices sint?

Qui posterioris sunt ordinis à Pontificijs voce non admodum commodâ, & hodie satis contemptibili, vocantur *Laici*, & adhuc contumeliosiore nomine *Seculares*, cum hoc vocabulo propriè notentur, qui huic seculo sunt addicti. Horum alij sunt Principes & Magistratus, alij vero subditi & privati homines. Clerici non sunt Laicis digniores, nisi tantum ratione officij & sancti Ministerij, cum eodem fideliter funguntur. In reliquis Laici Clericis pares sunt præsertim quæ spectant vocationem communem. Sunt enim & Laici *a* vnctionis Spiritus Sancti participes, sacerdotium regale, gens sancta, populus peculiaris, & juxta Scripturæ phrasin; *b* Clerus Domini.

An Crerici & Laici sint pares dignitate?

a 1.*Pet*.2.9.
b 1.*Pet*.5.3.

IV.

Vocatio ad Ministerium an sit necessaria?

Ad Ecclesiam pascendam, docendam, & regendam nemo debet accedere nisi legitimè vocatus. Nec enim hodie, vt olim in Veteri Testamento, priori ordini per carnalem generationem, aut aliud privilegium aliquod externum quis inseritur, sed ex posteriori ordine omnes in priorem per legitimam vocationem debent cooptari. Vocatio legitima duplex est, aut Extraordinaria & immediata, aut Ordinaria & mediata. Extraordinaria vocatio fit à solo DEO, sive DEI Filio, immediatè, sine hominum opera & ministerio. Talis fuit vocatio Prophetarum, & Apostolorum. Ordinaria & mediata vocatio fit mediante hominum ministerio secundum ordinem à DEO in verbo suo præscriptum. Legitimę vocationis ordinariæ tres sunt partes, *Electio*, *Examen*

Quotuplex sit?

Vocationis ordinariæ quæ sint partes?

vitæ

vitæ ac doctrinæ, & *Confirmatio* sive Ordinatio. *Electio* legitima Ministrorum Ecclesiæ Novi Testamenti, non debet fieri ab vno quopiam homine proprio arbitratu, sive sit Episcopus, sive Magistratus, sed ab Ecclesiâ, cui inservient, & cujus autoritate ministerium suscipiunt. Ad vitandam autem confusionem, præsertim in Ecclesijs amplioribus, in quibus singulorum suffragia rogari non possunt, & facilè per levitatem, vel mala studia, vel per tumultum à multitudine peccari possit, ordinarunt Apostoli, vt à Presbyterio, quod Ecclesiam repræsentat, electio instituatur, quam deinceps populus vel tacito consensu, vel per *χειροτονίαν* e approbet. Ordo hic æquitati atque ædificationi convenientissimus est. Quid enim æquius, quam vt qui toti Ecclesiæ inserviet, ex consensu totius Ecclesiæ ab omnibus, suo loco & gradu, eligatur? Quid iniquius, quam vt ignoti, suspecti, aut exosi invitis Ecclesijs obtrudantur? Quæ ædificatio à talibus expectanda? Quam periculosum est rem tanti momenti committere vni homini, qui falli, corrumpi, & potestate sua abuti potest? Quare ne ipsi quidem Apostoli, qui tam singulari potestate instructi erant, vt nemo illis in Ecclesia dignitate par sit, soli absque consensu totius Ecclesiæ & populi suffragiis, Ministros elegerunt. Hanc Apostolicam f τάξιν & πρᾶξιν secutæ fuerunt Ecclesiæ primitivæ, donec tandem, crescente ambitione, Episcopi, quos hodie vocant, Ecclesiæ & populo hoc jus suum per tyrannidem eripuerint & sibi solis arrogarint. Quod si vero Ecclesia subsit Magistratui fideli & Christiano, quia is Ecclesiæ nutritor est, & spectatissimum ejus membrum, non tantum ejus con-

Electio ad quos pertineat?

An ad solos Episcopos?

e *suffragiorum lationem.*

An et quatenus ad totam Ecclesiam, & populum?

f *ordinem & vsum.*

An & quatenus ad Magistratum

Examen ad quos pertineat?

Confirmatio ad quos pertineat?

g manuum impositionis An impositio manuum sit ritus adiaphorus?

An Ministri Ecclesiarum Reformatarũ habeant legitimã vocationem?

An primi Reformatores, & qualem?

sensus in Vocatione requiritur, sed præcipuæ etiam partes illi in eâ sunt tribuendæ: ita tamen ne Presbyterij suffragia, & populi consensus excludantur. *Examen* doctrinæ, quia ad illud faciendum populus non est idoneus ac sæpè etiam Magistratus, fieri debet ab idoneis Theologis & vicinis Pastoribus in præsentia Presbyterij, & Magistratus Christiani, si adesse velit. *Confirmatio* seu *Ordinatio* fieri debet coram Ecclesia, postquam de eius consensu atque approbatione sufficienter constiterit, idque solemnibus precibus & serijs cum ad ordinandum tum ad Ecclesiam institutis admonitionibus, cum impositione manuum. Pertinet hoc jus Confirmationis non ad solum Episcopum, sed ad totum presbyterium, in quod vt Ecclesia suas partes transtulit, ita illud, ordinis causa, suas iterum partes, quod ad ritum ordinationis attinet, in vnum aliquem Pastorem solet transferre, manente tamen actu confirmationis toti Presbyterio communi. De ritu g χειροθεσίας quia non extat certum præceptum, eum pro adiaphoro habemus Nihilominus tamen vtile judicamus ejusmodi symbolo Ministerij dignitatem populo commendari, & eum, qui ordinatur, admoneri, ipsum jam non esse sui juris, sed DEO & Ecclesiæ in servitutem addictum

V.

De Ministris Ecclesiarum Reformatarum quæritur an habeant legitimam in Ecclesia vocationem? Respondemus, Ministros harum Ecclesiarum aut esse primos Reformatores, aut eorum successores. Primi Ecclesiarum Reformatarum Pastores plerique in Ecclesia Romanâ sunt ordinati, secundum ordinem atque vsum publicè in

illa

illa Ecclesiâ receptũ, atq; hoc respectu possunt dici habuisse *ordinariam vocationem* Ordo autem hic quamvis multis modis ab ordine divinitus instituo recedat, ita vt vix aliud quam mera *h ἀταξία* sit, tamen hoc boni inter tot mala adhuc retinent, vt vocentur atq; ordinentur, inter alios fines, ad verbum DEI populo prędicandum, atque hujus respectu etiam *legitimam* ad verbum DEI prædicandum, vocationem habuisse dici possunt, quatenus hic finis vocationis ordini Apostolico consentaneus est. Quod verò DEVS illorum animos illustraverit, atque excitaverit, vt errores & abusus Ecclesiæ Pontificiæ agnoverint, abjecerint, reprehenderint, & omissis Traditionibus humanis solum verbum DEI purè populo prædicaverint, reliqua omnia quæ in vocatione ipsorum illegitima & ordini Apostolico contraria erant, omiserint, atque Ecclesias ab erroribus & superstitionibus repurgaverint, fuit *extraordinaria gratia*, quam DEVS fecit non tantum illis, vt Vocatione suâ rectè & legitimè fungerentur, sed maximè per illorum Ministerium Ecclesiæ suæ, secundum prædictionem, quâ promiserat se * testes hosce excitaturum, qui adversus Bestiam, & Ecclesiæ corruptores prophetarent. Hanc gratiam extraordinariam vt DEVS per eos Miraculis confirmaret, non fuit necesse, cum nullam aliam doctrinam adferrent, quam Christi & Apostolorum, quæ olim miraculis sufficienter atque abundè confirmata fuit, & per Scripturas explorari ac probari poterat. Quinetiam ne omnes quidem Prophetæ extraordinariè excitati vocationem suam miraculis confirmârunt, vt exempla Ioannis Baptistæ imprimis, deinde eti-

h *confusio.*

* *Apoc.* 11.

An debuerint vocationem suam miraculis confirmare?

am Oseæ, Sophoniæ, Abdiæ, Nahumi, & aliorum clarè testantur. Huc accedit, quod deinde licet non omnes, multi tamen etiam integri cœtus antea Pontificijs erroribus impliciti, doctrinam ab illis prædicatam receperint, errores priores abjecerint, vocationem illorum ratam habuerint, eosque pro legitimis & munere suo rectè fungentibus Pastoribus agnoverint. Pastores Ecclesiarum Reformatarum, qui primis Reformatoribus successerunt vocationem habent *ordinariam, & legitimam. Ordinaria* est, non secundum vitiosum & corruptum illum ordinem in Papatu hodie vsitatum, sed secundum ordinem primævum ab Apostolis præscriptum, & in primitiva Ecclesia vsurpatum. *Legitima* est, quia ab iis eliguntur, qui jus eligendorum Pastorum habent, puta ab ijs cœtibus, quos manifestis argumentis & signis constat esse veras Ecclesias, examinantur debitè in vita & doctrina, & confirmantur ab iis, quos constat veros esse Pastores, ac reliqua omnia quę in legitima Ministri vocatione secundum Canones verè Apostolicos requiruntur, sollicitè & sincerè in eorum vocatione observantur.

An et quales eorum successores?

VI.

An vocatio Ministrorum seu Sacerdotũ in Pontificia Ecclesia sit legitima?

Ministrorum vero Ecclesiæ Pontificiæ vocationes si ad institutionem divinam, & veteres Canones imo ad ipsa Pontificiorum Decreta examinentur, meritò pro illegitimis habendæ sunt. Vocantur enim hodie non tam ad pascendum DEI gregem purâ verbi ejus prædicatione, qui principalis vocationis legitimæ finis est, quàm ad Sacrificium DEO pro vivis & mortuis offerendum, quale munus seu ministerium DEVS

in Novo Testamento non instituit, cum nullum aliud in Novo Testamento sacrificium *i ἱλαστήριον* haberi possit, quam illud, quod ipse IESVS CHRISTVS, solus & summus Novi Testamenti Sacerdos propriè dictus, semel in arâ Crucis obtulit. Eliguntur sine Presbyterii & Magistratus Christiani suffragiis, & sine populi consensu aut approbatione, vel à solo Pontifice, vel a solo aliquo Episcopo, qui jus Electionis Ecclesiæ sacrilegè eripuerunt. Plerique vel per Principum favorem, vel per turpissimam Simoniam electiones venantur, & obtinent. In vitâ & doctrinâ legitimè non examinantur, sed loco examinis ludicra & histrionica gesticulatio adhibetur, quâ inquiritur tantum an noverint nomen aliquod, quod in lectione occurret, declinare, aut verbum aliquod conjugare, aut vocis alicujus significationem reddere. In ordinatione ceremoniæ planè Iudaicæ, vanæ, ac ridiculæ adhibentur. Presbyterio suæ partes non tribuuntur, neque finis legitimus spectatur.

i propitiatorium.

DISPVT. XXV.

De Ministrorum Ecclesiæ Ordinibus.

THESIS I.

Quotuplices sint Ministri Novi Testamenti?

MInistri Ecclesię Novi Testamenti sunt duplices: Alii functiones habuerunt ex-

traordinarias, quæ cum ipsis desierunt, quales fuerunt Apostoli & Evangelistæ: alij habent fũctiones ordinarias, & perpetuas, seu ad finem vsq; mundi in Ecclesiâ duraturas. Sicut autẽ homo duplici naturâ constat Spirituali & corporeâ, ita functiones hæ perpetuæ pro necessitate tum animalis, tum spiritualis vitæ, versantur aut circa res spirituales, quæ ad animæ salutem spectant, aut circa res corporeas, quæ pertinent ad corporis sustentationem, seu *a τὰ βιωτικά*. Res spirituales sunt Doctrina cum Sacramentis, & Disciplina atque *b εὐταξία* Ecclesiastica. Res corporeę, quæ ad pauperum sustentationem pertinent. Doctrinæ prædicationi & Sacramentorum administrationi præsunt Pastores: Disciplinæ & ordinis procurationi cum Pastoribus Presbyteri; & sustentationi pauperum Diaconi. Hos tres Ministerij ordines Christus tantum in Ecclesia instituit, Scriptura tantum agnoscit, & ad Ecclesiæ regimen ac necessitatem abundè sufficiunt.

Quot sint ordines Ministrorum N. T.

a *quæ ad vitæ hujus vsum pertinent.*

b *ordine.*

II.

Primus itaque ordo Ministrorum Ecclesiæ N. T. ordinariorum est ordo *Pastorum*, qui etiam Episcopi, Presbyteri in verbo laborantes, Ministri Prædicantes, Servi, Dispensatores, Præsides, & Duces in Sacra Scriptura appellantur. Horum officium non consistit in oblatione aliquâ Sacrificij alicujus propitiatorij pro vivis & mortuis, vnde Sacerdotes propriè vocari possint. Hoc enim officium IESV CHRISTO vnico & summo N. T. sacerdoti propriè dicto soli competit, qui vnicâ sui ipsius *c* oblatione semel in arâ Crucis factâ consummavit in perpetuum

Qui sint primi ordinis, & quomodo in S. Scriptura appellẽtur?

An etiam Sacerdotes appellari possint?

c *Heb.* 10. 14.

eos qui sanctificantur. Et quia Sacerdotium habet perpetuum, quoniam in æternum manet, non opus habet successoribus alijs Sacerdotibus, qui ipsum quotidie de novo immolent atque afferant. Quare Ministri Novi Testamenti nusquam in Sacra Scriptura Sacerdotes propriè dicti appellantur: neque illis vspiam de immolandis hostijs, sed tantum de prædicando Evangelio, & pascendo grege, mandatum in Scriptura datur: ac proinde Pontificij Pastores, cum nomen & munus Sacerdotis sibi arrogant, non tantum palam Iudaizant, sed etiam blasphemè ac sacrilegè in sanctissimum & proprium munus Domini nostri IESV CHRISTI involant. Officij Pastorum administratio aut est publica, aut privata. Publicè debent Verbum DEI prædicare, Sacramenta administrare, & publicas preces concipere: Privatim debent ægros invisere, erudire, consolari, & in fide confirmare, errantes in rectam viam reducere, afflictos consolatione erigere, ferocientes coërcere, collegas etiam officij admonere, atque vnà cum Presbyteris Ecclesiæ disciplinam & regimen procurare. Sub hoc ordine etiam comprehendimus *Doctores* peculiariter ita dictos, quorum munus est tantum incumbere doctrinæ, eamque explicatione partim analyticâ, partim Syntheticâ, concinnè proponere, atque adversus quoslibet *d ἀντιλέγοντας* tueri. His etiam adjungimus *Catechitas*, qui prima Religionis Christianæ elementa pueros & rudiores docent.

Quod sit officium Pastorum?

Quid sit officium Doctorum, & Catechitarum?

d *contradicentes.*

III.

Inter Episcopum & Pastorem, seu Presbyte-

An sit discrimen inter Episcopum & Presbyterum in verbo laborantem?

rum in verbo laborantem, respectu muneris seu ministerii, nullum in Sacra Scriptura verum & essentiale discrimen reperitur. Hæc enim vocibus hisce promiscuè vtitur, atque vnum eundemque Ministrorum N. Testam. ordinem designat. Quin in vnâ Ecclesiâ & civitate plures tempore Apostolorum Episcopos fuisse disertè Sacra Scriptura testatur. Quare Episcopi jure divino Pastoribus neque gradu, neque dignitate, neque ordinis potestate, neque jurisdictione majores sunt. Vocantur enim ἐπίσκοποι non tam respectu collegarum ac συμπρεσβυτέρων, quam respe[illegible]gis. Quod verò post Apostolorum tempora in Ecclesiâ primitivâ,

Quid sit sentiendũ de Episcopis primitivæ Ecclesiæ?

& deinceps, ex Pastoribus vnus reliquis præpositus est, & Episcopi nomine singulariter insignitus, non ex instituto divino, sed humano consilio factum est, in scismatis remedium, cum instinctu Diaboli dissidia in Religione fierent, vt hac ratione dissensionum semina melius evellerentur: & ne primatu ordinis ad singulos Pastores per vices perveniente, vt initiò fiebat, fieret vt interdum indigni præessent. Hoc institutum cum sit vetustissimum, & rationes non contemnendas habuerit, simpliciter non damnamus. Cum enim in Ecclesia omnia e κατὰ τάξιν geri debeant, atque inter Pastores manifesta sit donorum, ac proinde etiam in moderanda Ecclesiæ εὐταξίᾳ atque in dirigendis Presbyterii actionibus promptitudinis imparitas, existimamus ordinem atque politiam Ecclesiæ omnino requirere, vt vni alicui inter Pastores, qui propter ætatem, prudentiam, doctrinam, aliaque dona cæteros antecellit, f προστασία quædam ordinis, non autem dominii ac potestatis, tribui debeat: vt hac ratio-

e secundum ordinem.

f præpositura.

ne

ne omnis *g* ἀταξία atque etiam *h* ἀναρχία, pernitiosæ Ecclesiarum pestes, ab Ecclesia arceantur. Cæterùm imprimis cavendum est, ne per hanc *i* προεστωσίαν multo pernitiores in Ecclesiam pestes introducantur, dominium scilicet in collegas, & tyrannis, quæ admodum sollicitè, & strictè à Christo Ecclesiarum Ministris fuerunt interdicta: præsertim cum experientia ipsa ante multa secula evidentissimè docuerit, quàm periculosum fuerit Ecclesiæ hoc humanum consilium, cum Superioritas illa primò degeneraverit in *l* ὀλιγαρχίαν, ac deinde paulatim in *m* μοναρχίαν & manifestam tyrannidem, & tandem in Ecclesiam invexerit pestilentissimum hunc Papatum, & totam illam Hierarchiam Papisticam, quæ Ecclesiam penitus pessundedit. Ex his enim Episcopis postea nati sunt Archiepiscopi, ex istis Patriarchæ, ex quibus denique Pontifex ille summus, qui hodie in templo Dei tanquam Deus sedet, ostentans seipsum esse Deum.

g confusio. *h ex defectu regiminis soluta licentia.* *i præposituram.* *l paucorũ dominatũ.* *m unius imperium.*

IV.

Secundus ordo est *Presbyterorum*, seu seniorum in verbo non laborantium, qui non tam ab ætate, quam à munere, quod senilem prudentiam & gravitatem requirit, ita appellantur. Horum officium non est publicè verbum Dei prædicare, nam in verbo non laborant, sed vnà cum Pastoribus Ecclesiæ disciplinam & totam politiam moderari, vnde etiam *n* κυβερνήσεις, id est, κυβερνῆται appellantur, Pastorum & *o* συμπρεσβυτέρων doctrinam ac vitam observare, membrorum Ecclesiæ profectus & defectus notare, ægros invisere & cõ-

Qui sint secundi ordinis, & quod eorum officium. *n gubernationes, id est, gubernatores.* *o collegarum.*

solari, infirmos confirmare, inordinatè viventes officij admonere, pacem inter dissidentes conciliare, atque omnia offendicula è medio tollere. Tertius ordo est *Diaconorum*, qui hoc nomine, alioquin omnibus Ministris communi, ita peculiariter in sacra Scriptura vocantur. Horum munus non est verbum publicè prædicare, aut Sacramenta administrare, aut Episcopo tantum ministrare, vt olim Levitę Sacerdotibus, aut sacerdoti ad altare assistere, aut alijs frivolis ceremonijs vacare, sed præesse ærario Ecclesiastico, quotidianas oblationes, & annuos proventus sanctè colligere, & in veros vsus, inter quos pauperum sustentatio præcipuus est, justè, prudenter, atque optima fide distribuere. His annumeramus *Diaconissas*. Inter has functiones, imparitatem & gradum dignitatis agnoscimus quidem, sed non inter collegas ejusdem functionis. Prestat autem vt functionibus hisce perpetuò, non autem ad tempus fungantur, quicunq; ad eas ab Ecclesia semel legitimè vocati sunt, si Ecclesia ijs omnibus sustentandis sumptus suppeditare potest.

Qui sint tertij ordinis, & quodeorũ officium?

V.

Pontificum summorum, Patriarcharum, Archiepiscoporum, Metropolitanorum, Archipresbyterorum, Archidiaconorum, Suffraganeorum, Abbatum, Priorum, Monachorum, Canonicorum, Decanorum, Præbendariorum, Sacellanorum, Vicariorum, Sacrificorum, Sacerdotum, & similium, & nomina & functiones, prout hodie in Papatu exercentur, ignoravit Apostolica & verè primativa Ecclesia. Ostiariorum vero, Aco-

Quid sit sentiẽdum de reliquis Pontificiorum ordinibus?

Quid de

luthorum

luthorum, Lectorum, Cantorum, & Hypodiaconorum ordines, in primitivâ Ecclesiâ, magis fuerunt rudimenta quædam tyronum, quibus olim in celebrioribus Ecclesijs adolescentes ad ministerium præparabantur, quam ordinariæ functiones, quæ veris Ecclesiæ ministerijs accenserentur. *Ostiarijs* enim aperiendi claudendique templi cura mandabatur, quæ hodie æditius seu Custodibus templi incumbit. *Acoluthi* erant adultiores Sacræ Theologiæ studiosi, & sacri ministerij candidati, qui Episcopo in obsequijs domesticis aderant, vt sub ipsius ductu & auspicio peritiam rerum Ecclesiasticarum sibi compararent. *Lectores* S. Scripturam populo prælegebant, vt omnium conspectum ferre discerent, & populo innotescerent. *Cantores* præcinebant, populique cantum, tanquam phonasci moderabantur. *Hypodiaconi* adjuncti erant diaconis tanquam ministri, qui tamen in minùs frequentibus Ecclesijs vix reperiebantur.

Ostiarijs Acoluthis, lectoribus, cantoribus, & hypodiaconis?

VI.

Exorcistæ, qui Apostolorum tempore fuerunt, vocabantur non ab ordinariâ aliquâ in Ecclesiâ functione, sed ab extraordinario dono, quo nonnulli præditi, invocato Christi nomine, & manuum impositione, ab ° ἐνεργουμένοις dæmonia ejiciebant. Cum autem hæc dona cum reliquis miraculorum & sanationum donis desierint, stultum est re sublatâ signum velle retinere, & ministerium fingere in Ecclesiâ, cujus nullus hodie effectus est, & ad quod obeundum nullus mortalium donis necessarijs hodie instructus invenitur. Quare Pontificij Exorcistæ non sunt publici Ecclesiæ Ministri, sed potius scenici ludiones,

Quid de Exorcistis?

° *possessis.*

ones, qui nullum professionis suæ verum specimen edere possunt, & quorum imperiis tantum abest vt dæmones cedant, vt potius in ipsos, vtpote magiæ plerumque deditos, dæmones ipsi imperium habeant. *Cardinalium* barbarum nomen non tantum Scriptura, sed & primitiva Ecclesia per multa secula ignoravit, ejusque etymon ne ipsi quidem Pontificii certò assignare possunt. Officium autem, quo hodie Romani Cardinales cum fastu planè regio funguntur, neque à Christo aut Apostolis institutum, neque à veteribus Romanæ Ecclesiæ Presbyteris vsurpatum fuit.

Quid de Cardinalibus?

Per *Chorepiscopos* si intelligantur Pastores, qui in certis & peculiaribus χώραις, hoc est, oppidis, aut pagis, ministerio funguntur, pascentes gregem qui penes ipsos est, si officium Episcoporum debitè faciunt, pro legitimis Ecclesiæ ministris agnoscimus, & sub primo ordine comprehendimus. Sin vero per eos intelliguntur, quos hodie in Papatu vocant Suffraganeos, vel Episcopos Titulares, quorum operâ vicariâ Episcopi vtuntur, eorum in Ecclesia ministerium neque licitum, neque necessarium est, cum singulis Episcopis mandatum sit, vt ipsi per se, atque operâ suâ, non per alios vicarios, aut substitutos, Ecclesiam pascant.

Quid de Chorepiscopis?

DISP

DISPVT. XXVI.

De Cœlibatu Ministrorum Ecclesiæ.

Thesis I.

Qvicunque Divini Verbi Ministerio sunt consecrati, abstinere debent ab omnibus iis, quibus sanctissimæ hujus vocationis aut dignitas inquinatur, aut functio impeditur; inter quæ legitimum conjugium nequaquam reputari, acproinde neque Cœlibatus vt præcisè necessarius, ordinibus sacris annecti debet.

An Cœlibatus sit sacris ordinibus annexus?

II.

Conjugium enim legitimum non est inquinamentum, aut opus carnis, sed sanctum Dei institutum, & honestum adversus omnem animi & carnis immunditiem remedium, quod [a] ἐν πᾶσι τίμιος est, & in quo non minus castè atque [b] ἐγκρατῶς quam extra conjugium vivere licet. Quare vti olim in V. T. Sacerdotibus omni quidem pollutionum genere severè interdicebatur, sed legitimo conjugio nunquam fuit interdictum, ita neque Ministris Ecclesiarum Novi Testamenti conjugium vsquam in Scripturâ prohibetur, tametsi passim in eisdem [c] σωφροσύνη, ἁγνότης, ἐγκράτεια, & similes virtutes seriò requirantur.

An conjugium sit inquinamentum carnis, & Ministris prohibitum?

a *Heb.* 13.4

b *continenter.*

c *temperantia, sanctitas, continentia.*

III

III.

An conjugij difficultates impediant Ministerij functionem?

a 1. *Tim.* 3.5.

Ac tametsi conjugium suas secum ferat sollicitudines, difficilibus præsertim temporibus, eæ tamen non sunt tales, vt functionem Ecclesiasticam impediant, cum Episcopus & a Ecclesiæ & domui suæ benè præesse simul possit: neque tantæ, quin longè majores molestias & difficultates coactus cœlibatus secum ferat. Habet & conjugium suas vicissim commoditates, quibus Ministri in laboriosissimo, ac molestissimo Ecclesiæ Ministerio subleventur & refocillentur.

IV.

An Apostoli vxores suas demiserint?

Quare Apostoli vxores, quas ante vocationem ad Apostolatum habuerunt, nusquam leguntur dimisisse, neque conjugium Ministrorum Ecclesiæ improbasse, aut prohibuisse. Sed contrà, suo exemplo palam ostenderunt, idipsum etiam in Novo Testamento Ministris Ecclesiæ liberum & licitum esse; conjugatos ad Ministerium admiserunt, & disertè docuerunt admitti posse viros b vnius vxoris, & qui c liberos habeant. Iure itaq; divino atque instituto Apostolico ad Ministerium ordinari possunt Conjugati, & qui cœlibes ordinati fuerunt, liberè & sine peccato possunt, si velint, conjugium contrahere.

b *vers.* 2.
c *vers.* 4.

V.

An in primitivâ Ecclesiâ conjugati Ministri fuerint?

Eadem fuit primitivæ Ecclesiæ praxis, quæ conjugium Ministris Ecclesiæ per aliquot secula liberum reliquit, & multos habuit præstantissimos Ecclesiarum Ministros atque Episcopos, qui mariti fuerunt, & in legitimo conjugio liberos

pro-

procrearunt, vti historiæ, Canones multorum Conciliorum, & exempla Chæremonis, Spiridionis, Polycratis, Gregorij Nazianzeni, atque aliorum clarissimè testantur. Tandem cœlibatus, cum tanquam status matrimonio longè perfectior & sanctior, in admiratione & veneratione esse inciperet, ita vt cœlibes à multis tanquam cælites suspicerentur, progressu temporis varijs artibus & prætextibus in ordinem Ministrorum irrepsit, ita vt cum prius liberæ esset obseruationis, tandem vim legis acciperet. Cæterum leges illæ, quibus Ministris Ecclesiæ conjugium interdicitur, & perpetuus cœlibatus imperatur, non tantum tyrannicæ sunt, contra omnem æquitatem, sed etiam impiæ, contra expressum DEI verbum introductæ, & meritò appellari possunt *d διδασκαλίαι δαιμονίων*, quæ horrendam scelerum colluviem, & fructus execrabiles in Christianum orbem invexerunt.

d doctrina demoniorum. 1. Tim. 4.

VI.

Adulteri, Scortatores, concubinarij, & qui repudiatâ temerè vxore, & eâ adhuc superstite alteram duxerint, quod Apostolorum temporibus ex legis Mosaicæ licentia apud Iudæos sæpe fiebat, neq; ad Ministerium ordinari, neq; ordinati in Ministerio tolerari debēt. *Maritus omnis viventi vxori divinctus est per legem, ac proinde vivente vxore mœchus vocabitur, si fiat alterius vxoris: sin autem mortua fuerit vxor, liber est à lege illa, vt non sit mœchus si ad alias nuptias transeat, sed liberum & licitum ei sit iterum aliam vxorem ducere, quam velit: tantum in Domino. Idem licet etiam Ministris Ecclesiarum qui non tantum

An Digami ad Ministerium sint admittendi, vel in eo tolerandi?

** Rom. 7. 2. 3.*

semel

ſemel matrimonium contrahere, ſed demortuâ priore conjunge ad ſecundas nuptias tranſire poſſunt: ita vt Digami, qui ſucceſſivè duas vel plures duxerunt vxores, ad Miniſterium ordinari poſſint. & qui ordinati ſunt, ijs in hac ſucceſſivâ digamiâ vivere liceat. Quare deteſtanda eſt extrema illa & blaſphema Pontificiorum impudentia, quâ Canonem hunc approbant, aut ſaltem tolerant, quo dicitur: *Secundam accipere ſecundum Apoſtoli præceptum licitum eſſe, ſecundum autem veritatis rationem verè eſſe fornicationem.*

Can. Hac ratione Cauſa 31. *Quæſt.* 1.

DISPVT. XXVII.

De Stipendijs, et Immunitatibus Miniſtrorum Eccleſiæ.

THESIS I.

An Eccleſia Miniſtris debeat ſtipendia perſolvere?

FVnctio Miniſterij Evangelij tanti laboris & momenti eſt, vt integrum planè hominem nullis alijs occupationibus diſtractum requirat, qui cum huic functioni ſoli vacat atque incumbit, æquum eſt vt huic operario *a* ἡ τροφὴ αὐτοῦ, quâ dignus eſt, ſuppeditetur, vtque is qui *b* τὰ πνευματικὰ ſeminat, *c* τὰ σαρκικὰ ab Eccleſia metat. Quare vt nemo ſtipendijs ſuis militat, *d* vt qui vineam plantat de fructu ejus edit: qui gregem paſcit, de lacte ejus edit: qui arat, *e* ſub ſpe arat: qui ſacris operatur ex ſacrificio vivit, ſic etiam

a *victus ejus.*
b *ſpiritualia.*
c *carnalia.* 1.*Cor.*9.11
d 1.*Cor.* 9. 7.
e 1.*Cor.*9. 13. 14.

am DEVS ordinavit, vt qui Evangelium prædicant, ex Evangelio vivant, vtque f ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον communicet τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Iure itaque Divino Ecclesia tenetur Ministris communicare ex bonis suis, quantum ijs ad frugalem honestamque vitæ & familiæ sustentationem erit necessarium.

f Gal. 6.6.

II.

An Ecclesia Christiana præcisè teneatur ad Decimas Ministris persolvendas?

Modus hujus communicationis in Novo Testamento nullâ certâ lege est circumscriptus, sed eum charitas, pietas, & commoditas pro Ecclesiarum & temporum ratione optimè definiunt. Quare licet in Veteri Testamento DEVS eum lege definiverit, & Levitis decimam proventuum partem persolvi mandaverit, ea lex tamen hodie in Novo Testamento non est præcisè imperata, neque etiam necessaria, quamvis neque injusta est, sicubi Magistratus Christiani autoritate sancita fuerit, qui semper tenetur commodissimam fovendi Ministerii rationem inire, sive ex decimis, sive ex collectis, sive ex aliis proventibus, prout maximè ædificationi Ecclesiæ, & Ministerij dignitati serviturum pro Ecclesiæ, temporis, aut loci constitutione arbitratus fuerit. Ecclesia itaque Christiana hodie nec jure naturæ, nec jure Divino tenetur præcisè Decimas, seu decimam bonorum partem, Ministris persolvere.

III.

An Ministri ab oneribus Reipub. & ve-

Ministri Ecclesiarum, quia etiam cives sunt & pars Reipublicæ pari jure & jugo cum cæteris civibus onera Reipublicæ sustinere tenentur: neq; ab vllis civium oneribus jure divino eximun-

ctigalibus jure divino eximantur?

tur. Quare vt Christus pro se & Petro vectiga[l] persolvit, ita subditis & civibus quibusvis manda[-] vit, vt Cæsari dent, quæ sunt Cæsaris. Laudand[a] tamen est pietas Principum & Magistratuu[m] Christianorum, qui Ministros verbi, vt tanto ex[-] peditius muneri suo vacare possint, à quibusda[m] oneribus personalibus puta militiâ, vigiliis, m[u-] telis, & similibus, quibus à Ministerio avocare[n-] tur, aut ab oneribus sordidioribus, ne Ministe[ri-] um vilescat, speciali privilegio, & benignâ indu[l-] gentiâ eximunt. Neque improbanda est pi[a] Principum liberalitas, cum Ministros etiam à pe[r-] solvendis tributis immunes esse volunt, vt sub[si-] dium ab Ecclesia collatum sustentandis eoru[m] familijs tanto melius sufficiat. Præstat tamen v[t] potius stipendium illis tanto liberalius eroge[tur,] quo possint in voluntariâ vectigalium persolut[io-] ne reliquis civibus tanquam exemplaria præi[re] & concives tanto efficacius ad vectigalium solu[ti-] onem exhortari.

IV.

An Principes Christiani teneantur Ministros necessariò eximere ab oneribus Reip.? An exemptio semel facta possit renovari?

Ad hanc exemptionem præstandam princip[es] Christiani jure divino præcisè non obligant[ur.] Quare eam ab invitis Magistratibus tanqua[m] jure divino nitentem extorquere Ministri etia[m] non debent, quod ipsum in Papatu quidem v[t] egregium pro asserenda Ecclesiæ libertate facin[us] laudatur, revera tamen nihil aliud est quàm m[a-] nifesta, atque intoleranda rebellio. Possunt eti[-] am Principes Christiani hanc exemptionem se[-] mel factam justas ob causas, iterum revocare, quo[-] tiescunque idipsum ad Ecclesiæ aut Republic[æ] vtilitatem necessarium arbitrati fuerint, aut Mi[-]

nistri

nistri privilegiis hisce abutuntur. Cumque hodie Ministri Pontificii immunitatibus, quæ piorum Principum Privilegiis olim Ecclesiasticis personis concessæ fuerunt, tam fœdè ad ignaviam, luxum, & flagitia cum maximo Ecclesiæ & Reipublicæ detrimento abutantur, ipso jure hisce privilegiis exciderunt, & privari jamdudum sunt commeriti. Seriò itaque Principes Christiani cogitare tandem debent, an æquum sit in tanta bonorum Ecclesiasticorum affluentiâ istis immunitatibus tot otiosorum ventrium luxum atque ignaviam foveri, atque interim reliquos subditos tanto gravioribus vectigalibus onerari.

V.

Nec tantum communia cum reliquis civibus onera Ministri ferre tenentur, sed etiam communibus legibus obtemperare, & secundum easdem communibus judiciis subjecti esse debent, obligatione non tantum directivâ, sed etiam coactivâ: non tantum quoad obedientiam, sed etiam quoad pœnam: neque tantum in civilibus, sed etiam in criminalibus causis. Personæ itaque Ecclesiasticæ nullo jure nec divino, nec naturali, neque civili, à potestate & jurisdictione legitimi Magistratus politici eximuntur, aut eximi debent, sed vt *a* omnis anima potestatibus supereminentibus subjici, omnesque Christiani cuivis humanæ ordinationi, sive Regi, sive præsidibus, propter Dominum subditi esse debent, ita imprimis decet Ministros Christi atque Apostolorum exempla hac in parte imitari, & voluntaria subjectione atque obedientia reliquis civibus prælucere: neque vlla ratio est, quare ab

An personæ Ministrorum Ecclesiæ sint jure divino exemptæ à jurisdictione Magistratus Politici?

a. 1. *Cor.* 13.

hâc subjectione eximi vnquam debeant.

VI.

An Ministri Magistratibus subsint in causis Ecclesiasticis?

Causæ, in quibus personæ Ecclesiasticæ legitimis Magistratibus subsunt, aut sunt Ecclesiasticæ, aut Politicæ. In causis Ecclesiasticis Ministri Ecclesiarum judiciis aut mandatis Magistratuum Christianorum non sunt penitus exempti. Quamvis enim causæ, quæ merè sunt Ecclesiasticæ, quales sunt quæ ad Doctrinam, aut Disciplinam Ecclesiæ spectant, & tantum ad rationem conscientiæ pertinent, secundum jus divinum, & autoritatem Ecclesiæ DEI demandatam, non in Prætorio, aut coràm politico tribunali, secundum leges civiles, sed in conventibus Ecclesiasticis, secundum verbum DEI, & Canones Ecclesiasticos ordinariè judicari debeant; tamen vt laudata piorum in V.T. Regum exempla docent, etiam Christiano Magistratui supremo competit huic ordini præesse, eumque tueri, ac moderari, ne quid in conventibus Ecclesiasticis præter aut contra verbum DEI agatur, aut definiatur, & sententiam ibidem latam, si eam in conscientia sua approbare queat, judicio suo supremo confirmare, vt vim legis in Ecclesia publicè obtinere possit. In extraordinarijs Ecclesiarum reformationibus supremus Magistratus Christianus etiam causas merè Ecclesiasticas, ad doctrinam & disciplinam spectantes, tractare & judicare, atque Ecclesiis suis, quibus vt nutritor præest, docẽda & agenda secundũ DEI verbum præscribere potest. In causis politicis, sive eæ sint civiles, sive criminales, sive personas, sive bona Ecclesiasticorũ spectent, omni modo, & pari jure, atque obligatione, cum

An subsint in causis politicis?

cæteris civibus politici Magiſtratus judicijs & tribunalibus, Miniſtri Eccleſiarum quicunque tandem illi ſint, jure Divino ſunt ſubjecti: neque vllis Principum aut Imperatorum privilegijs, quæ juri Divino derogare nihil poſſunt, ab hâc ſubjectione eximi aut debent, aut legitimè poſſunt.

DISPVT. XXVIII.

De Monachis, & Eremitis.

Thesis I.

Vnde inſtitutũ Monachorum & Eremitarum originem habeat?

MIniſtrorum Eccleſiæ Novi Teſtam. ordinibus non debet accenſeri ordo Monachorum & Eremitarum, qui hodie in Papatu reperiuntur. quorum nomina cum Veteris tum Novi Teſtamenti Scriptura planè ignorat. Inſtitutum vero itidem tum in Iudaicâ, tum etiam in Apoſtolicâ Eccleſiâ penitus fuit incognitum, & demum poſt aliquot ab Apoſtolorum temporibus ſecula incepit. Occaſionem vitæ Eremiticæ dederunt graves illæ in Eccleſiâ primitivâ Perſecutiones, quibus pij viri in ſolitudines aufugere ibidemque commorari coacti, tandem neceſſitatem in voluntatem verterunt. Monaſteria primitùs fuerunt inſtituta, ita vt in pijs procul ab hominum turbâ commodius ſacri Miniſterij candidati in ſacris inſtituerentur, atque ad Miniſterium Eccleſiaſticum præpararentur.

II.

An Eremitarum & Monachorum status sit perfectior?

a cultibus voluntarijs.

Hodie extra periculum persecutionis quicunque in solitudinem aufugiunt, vt ibidem austeriori quadam vivendi ratione sponte susceptâ vitam æternam promereantur, illi DEVM hisce *a ἐθελοθρησκείαις* frustra colunt, Christi merita superstitioso hoc cultu abnegant, proximi dilectionem multis modis violant ac negligunt, officia pietatis & charitatis à DEO præscripta deserunt, & seipsos sine vllo DEI mandato multis periculis & tentationibus exponunt, & stulto atque inani labore frustra fatigant. Monachatus etiam, qui hodie in Papatu conspicitur, tantum abest vt sit status, qui homini conferat majorem sanctitatem aut perfectionem, nunc ita superstitionibus, idololatriâ, & variis impuritatibus inquinatus est, vt homini Christiano salvâ conscientiâ in eo permanere non liceat. Quin & hodierni Monachi cum antiquis illis Monachis, qui prioribus seculis vixerunt, vix aliquid, vel quod ad doctrinam, vel quod ad vitam, commune habent. Prisci enim Monachi in austeriore illo & solitario vivendi modo nullum meritum, aut satisfactionem pro peccatis ponebant, neq; de operibus supererogationis erroneam hanc opinionem habebant: neque etiam ex tribus illis essentialibus Monachorum votis vllum, nedum omnia simul, nuncupasse leguntur. Monasteria eorum ordinis Ecclesiastici erant quasi seminaria quædam, & pietatis *b ἀσκητήρια*, in quibus plærique omnes manibus suis laborabant Hodierna vero Monasteria plæraque quid aliud sunt quàm lustra ganeonum, palestræ contentio-

An hodierni Monachi aliquid commune habeant cum priscis?

b exercitamenta.

num,

num, factionum, & rixarum, & haræ in quibus Epicuri de grege porci amplis reditibus saginantur? Quare rectè faciunt Principes Christiani, qui hæc lustra evertunt, & reditus in alios pios vsus convertunt.

III.

An diversa Monachorum secta sunt licita, & Ecclesia vtiles?

Sicut ipse totus Monachatus, ita etiam diversi Monachorum Ordines inventum sunt, idque recentius, hominum superstitiosorum, non tantum inutile Ecclesiæ, sed etiam gloriæ Christi, & vnitati Christianorum noxium. Cum enim fideles omnes Christi sint, & ab eo Christiani appellentur, & nemo in hominibus gloriari debeat, quemadmodum olim Apostolus Corinthios acriter reprehendit, quòd dicerent, c Ego sum Pauli, alii Ego sum Apollo; ita merito, ac multo magis, hodierni Monachi reprehendendi sunt, cum dicunt Ego sum Augustini, Ego sum Francisci, Ego sum Benedicti, Ego sum Dominici, &c. Diversæ Monachorum sectæ tempore Augustini nullæ adhuc fuerunt, sed longè post ejus tempora, seculo demum vndecimo, & circiter, Monachatus in sectas dividi cæpit, quæ sequentibus seculis à superstitiosis hominibus ita sunt multiplicatæ, vt Imperatores, atque ipsi tandem etiam Papæ Romani, coacti fuerint legibus latis multiplicationem eam severè inhibere. Nonnulli Ordines, qui hodie in Papatu in maximo sunt pretio, hominum memoria sunt inventi, quales sunt ordines Lajolitarum, qui sanctissimo IESV nomine ad sectam suam mangonizandam blasphemè abutuntur, Capucinorum, & similium. Sunt autem omnes illæ

c 1. *Cor.* 3. 4.

catorum à Deo impetratur. Deus enim nobis peccata condonat gratis. Gratuita autem Condonatio nobis facta non potest cum nostra Satisfactione vllo modo consistere. Remittit etiam plenariè non tantùm culpam, sed & pœnam, inter quæ duo ex ordine justitiæ tam arcta est vnio, vt sublatâ culpâ omnem quoque pœnam propriè dictam, non tantùm æternam, sed etiam temporalem, auferri sit necesse. Temporales verò afflictiones non immittuntur à Deo verè pœnitentibus, vt pœnæ propriè dictæ, id est, pro peccatis satisfactoriæ, sed vt paternę castigationes, quibus ad salutem erudiuntur. Deinde solus Christus, vnicus *d λυτρωτὴς* noster non tantum pro culpâ nostrâ, sed etiam pro omni pœnâ plenissimè satisfecit: castigatio pacis nostræ ei imposita fuit *e*, & tumice ejus nos curati sumus. Deus fecit, vt in eum incurrerit pœna omnium nostrûm. Et quis denique obedientiâ suâ poterit satisfacere pro peccatis præteritis, qui ad præsentem obedientiam singulis momentis obligatus est? Quare multis modis impium est Pontificiorum commentum de Satisfactionibus humanis, quo manifestè Deus injustitiæ insimulatur, proprius Iesu Christi honor sacrilegè ad homines, eorumque superstitiosas ineptias, transfertur, conscientiæ hominum aut ad desperationem adiguntur, dum perpetuò dubij herent, an satis perfectè peccata compensare possint, aut ad securitatem carnalem & hypocrisin prolabuntur, dum levibus satisfactiunculis peccata expiari posse sibi persuadent, in ijsq; securi acquiescunt.

An remissa culpa pro pœna adhuc sit satisfaciendum?

An temporales afflictiones sint pœna satisfactoria?

d *redemtor.*

e *Isai.* 53. 5. 6.

VI.

Fatemur quidem verè pœnitentem, si vel pub-

licè gravi scandalo Ecclesiam offenderit, vel privatim proximi famam vel bona læserit, debere publicâ peccati coram Ecclesiâ Confessione, & Pœnitentiæ per fructus declaratione, pro dato scandalo Ecclesiæ, & agnitione culpæ, reparatione famæ, & restitutione ejus quod injustè ablatum erat, proximo satisfacere. Quem in finem etiam in primitivâ Ecclesiâ ejusmodi Satisfactionum modi & tempora Pœnitentibus præscribebantur, vt ipsi tanto melius peccata sua agnoscerent, & Ecclesiæ de seriâ eorum resipiscentiâ tanto evidentiùs constaret. Atque hæc Pœnitentiæ testificatio vocari solet Pœnitentia Ecclesiastica. Sed istis Satisfactionibus hominibus tantùm pro scandalo aut injuriâ, non autem Deo pro peccatis satisfiebat. Nostræ Ecclesiæ easdem hodieque in vsu habent, licet eam non adhibeant severitatem, quæ olim in veteribus Ecclesijs fuit vsurpata, in qua nonnunquam eas modum excessisse negari non potest.

Quales satisfactiones à Pœnitentibus in primitivâ Ecclesiâ exigi soleant?

DISPVTAT. LII.

De Indulgentijs,

E T

De Iubileo.

THESIS I.

POenitentia Ecclesiastica olim in primitivâ

Indulgentia in primitiva Ecclesia quales olim fuerint?

va Ecclesiâ quemadmodum pro delicti vel offendiculi ratione certis temporum ſpatijs, & præſcriptis per canones Eccleſiaſticos exercitamentis quibuſdam quaſi pœnalibus definiebatur, ita licebat Eccleſiarum Miniſtris animadverſo lapſi & ligati peccatoris ſtudio in approbandâ Eccleſiæ reſipiſcentiâ ſuâ, mitius cum eo agere, & tum pœnarum canonicarum aſperitatem nonnihil emollire, tum etiam tempus a δοκιμασίας contrahere, quæ mitigatio, ſeu relaxatio, vulgò *Indulgentia* dicta fuit. Hujuſmodi Indulgentiarum vſui in Eccleſia ſemper locum eſſe debere, non tantùm ex Eccleſiæ primitivæ praxi, ſed etiam ex Apoſtolico mandato agnoſcimus. Debet enim Eccleſia tali pœnitenti b χαρίζεσθαι, eum conſolari, ne quo modo hujuſmodi vir abundanti triſtitia abſorbeatur.

a *probationis.*

b *aliquid largiri* vel condonari. 2 *Cor*. 2. 7.

II.

Indulgentia in Ecclesiâ Romanâ quales sint?

Hodie verò Pontificij Indulgentias vocant remiſſiones ſeu relaxationes pœnarum temporalium, peccatis commeritarum, & tum in hac vita, tum præcipuè in Purgatorio luendarum, ad quas poſt remiſſionem culpę homines nihilominus obſtringantur: docentque Pontificem Romanum, & Epiſcopos ac Metropolitanos, habere eam poteſtatem, vt vel per ſe, vel per legatos ſuos, ille omnibus hominibus, hi verò ſuis tantum ſubjectis, non tantùm viventibus, ſed etiam mortuis, & in Purgatorio exiſtentibus, ex quodam Theſauro Eccleſiaſtico diſpenſare poſſit remiſſiones pœnarum temporalium vel in aliquot dierum & annorum centurias, vel omninò & in perpetuum, quibus remiſſionibus liberentur homines à pœnis

peccato-

peccatorum non tantùm commissorum, sed etiam committendorum, nec tantùm in Ecclesiæ, sed etiam in ipsius Dei judicio.

III.

Quid sit sentiendũ de Indulgentijs Pōtificijs?

Hujusmodi Indulgentias non tantùm Apostolica & primitiva Ecclesia ignoravit, sed etiam Sacra Scriptura apertè damnat. Docet enim culpam peccatorum à Deo resipiscentibus ita condonari, vt simul etiam omnes pœnæ non tantùm æternæ, sed & temporales remittantur: Idque fieri tantùm in hac vita, post quam nulla fidelibus pœna maneat fictitij Purgatorij ignibus expianda, neque infidelibus vlla pæna remittatur: temporales piorum in hac vita afflictiones non esse pœnas propriè dictas, sed tantùm paternas castigationes & salutares probationes: Deum non tantùm partem aliquam pœnarum commeritarum, sed omnem omninò & culpam & pœnam resipiscenti peccatori plenissimè remittere: Solius Dei esse, vt supremi Iudicis, peccata remittere aut retinere. homines verò remissionem peccatorum ministerialiter tantùm annuntiare: Iudicia Ecclesiastica tantùm erga vivos exercenda, & ab ijs mortuos omninò exemptos esse: Statum mortuorum aut esse beatum, in quo nullis indulgentijs opus habent, aut damnatum, in quo nullis indulgentijs juvari possunt, & tantùm rigidis justisque pœnis locus est. Quare Indulgentiæ Pontificiæ verbo Dei directè sunt contrariæ, plenæ sunt superstitionibus & erroribus gravissimis, cum Dei justitiâ, cum gratuitâ ac plenariâ peccatorum remissione pugnant, Christi plenissimam pro peccatis nostris satisfactionem

evacuant,

evacuant, hominibus peccandi licentiam, & securitatem carnalem pariunt: ac propterea nec piæ, nec vtiles, nec necessariæ sunt, sed multis modis sunt impiæ, & gloriæ Christi ac veræ pietati noxiæ, & nihil aliud quam sacrilega & abominanda hominum inventa, & Papalis avaritiæ ac rapinæ instrumenta, quibus homines stultè creduli multipliciter emunguntur, & turpiter deluduntur.

IV.

An et qualis sit Thesaurus Ecclesiasticus?

Nec minus impium, blasphemem, & sacrilegum figmentum est Thesaurus ille Ecclesiasticus, cui tanquam fundamento Indulgentiæ Pontificiæ innituntur. Docent enim non tantum Dominum nostrum Iesum Christum multas habuisse superfluas perpessiones, sed etiam beatam Mariam Virginem, Ioannem Baptistam, Prophetas, Apostolos, aliosque Sanctos multa habuisse superflua merita, quæ simul in vnum Thesaurum Ecclesiasticum sint congesta, cujus dispensatio sit Pontifici Romano concredita, qui hæc merita, vt sint satisfactiones pro peccatis, applicare possit pro libitu suo quibuscunque ipsi visum fuerit, sive viventibus sive mortuis. Quid verò magis blasphemum esse potest, quam pretiosissimum Domini nostri Christi Agni illius immaculati sanguinem cum hominum peccatorum sanguine cōmiscere? Quid magis sacrilegum quam perfectissimæ Christi Satisfactioni, & perpessionibus ejus infiniti valoris adjungere opera hominum peccatorum tanquam satisfactoria non tantùm pro se, sed etiam pro alijs? Quid hoc aliud est, quam apertissimè sufficientiam meriti Christi abnegare?

negare? Perfectissima Christi Satisfactio Thesaurus est Ecclesiæ inexhaustus, qui vnus ad consequendam à Deo peccatorum omnium indulgentiam seu remissionem abundantissimè sufficit, cujus dispensationem solus habet is, qui claves habet inferorum & mortis. Passiones Christi infiniti quidem valoris agnoscimus, sed aliquas fuisse superfluas nec Scriptura docet, nec justitia Dei patitur. Reliqui autem sancti homines, quicunque tandem illi fuerint, ne ipsa quidem sanctissima Matre Domini excepta, cum omnes in peccatis sint concepti & nati, & proculdubiò peccatis etiam actualibus commaculati, nihil vnquam passi fuerunt, quod secundum Dei justitiam non erant commeriti, tametsi per gratiam Dei passiones eorum non ex justitia puniente, tanquam pœnæ pro peccatis satisfactoriæ, sed ex misericordia, vt paternæ castigationes & probationes fuerint immissæ: & quicquid vnquam fecerunt, illud omne ex debito eorum, ad quod multis rationibus obligati erant, profectum fuit. Quare nulli Sancti operibus vel perpessionibus suis Deo pro peccatis suis satisfacere, vel coram Deo mereri possunt, tantum abest, vt aliqui superflua habuerint merita, quibus etiam pro aliorum peccatis possit satisfieri. Hac enim ratione ex Sanctis Redemptores suos, saltem ex parte, faciunt: qui tamen ipsi nullum vnquam in operibus aut perpessionibus suis meritum, aut vim satisfactoriam, vel pro se, vel pro alijs, collocarunt, sed omnes sese indignos peccatores damnationi in se obnoxios agnoverunt, & ad consequendam salutem non ad sua, sed ad vnius Christi merita confugerunt. Qui igitur meritis suis ne suas quidem ipsorum

An Christus habuerit superflua merita?

An Sancti habuerint superflua merita?

animas potuerunt, illi multò minus aliorum animas redimere potuerunt. Qui sibi damnationem erant meriti, alijs absolutionem à peccatis mereri non possunt.

V.

An Papa Romanus summam potestatem habeat Indulgentias dispensandi?

Pastoribus Ecclesiarum omnibus, pari jure, non tantum datum est vt possint, sed etiam mandatum est vt debeant, lapso & ligato peccatori, cum pœnitentiam suam Ecclesiæ seriò probaverit, veniam indulgere, & in Ecclesiæ communionem recipere: item omnibus vere pœnitentibus & in Christum credentibus absolutam omnium peccatorum remissionem in nomine Christi annuntiare, atque ita peccatores solvere: sed nusquam in Scriptura legimus Episcopo Romano datam esse in terris summam autoritatem, hominibus tùm vivis tùm mortuis, pœnas temporales peccatis commeritas relaxandi seu remittendi, & merita tùm Christi tùm Sanctorum per Indulgentias applicandi. Nusquam etiam docet S. Scriptura Sanctos habere aliqua merita, quæ vel sibi vel alijs in remissionem peccatorum applicari possint: remissâ culpâ pœnam à Deo retineri: mortuis post hanc vitam pœnas irrogari temporales, quibus pro peccatis eorum satisfiat, & à quibus tandem liberari possint: mortuos suffragijs aut operibus pœnalibus viventium juvari posse: esse ignem aliquem Purgatorium, in quo tanquam in carcere quodam, post hanc vitam peccata pœnis temporalibus expientur: Papam Romanum hujus carceris habere claves, & ex eo posse emittere animas, quascunque libuerit. Mortuos ad jurisdictionem Papæ pertinere: Papam Romanum

posse

posse Deo judici præscribere dies & annos, quibus peccator puniri debeat. Mera itaque sunt hominum commenta, quæcunque Pontificij de Indulgentijs suis, Thesauro Ecclesiastico, & Papæ Romani potestate dispensativâ nugantur, conficta ad turpem quæstum, vt hujusmodi imposturis thesauros mundi sibi acquirant, quibus meritum & satisfactio Christi, & Dei gratuita peccatorum remissio planè evertuntur.

VI.

Quid sit sentiendum de anno Iubilæo?

Nec minus fœda, blasphema, & sacrilega est nundinatio illa harum Indulgentiarum, quæ in Papatu eundem in finem ordinariè omnibus annis exercetur, & quatum certis quibusdam annis, puta singulis centenis, quinquagesimis, aut vigesimis quintis, quos Iudaïzantes vocant annos Iubilæos, solemnis quasi mercatus instituitur. Annus enim Iubilæus, qui potius à *Iobel*, id est, buccinâ, quâ proclamari solet, quàm à *Iebul*, id est, germinatione, dictus videtur, à Deo in V. Testam. fuit institutus, vt esset Christi ejusque beneficiorum typus, qui propterea cum denuò in Ecclesiam hodie introducitur apertè Iudaïsmus reducitur, & ad ἀσθενῆ c καὶ πτωχὰ στοιχεῖα retrorsum reditur. Neque olim in V. Testam. eum in finem à Deo annus ille fuit institutus, vt in eo turpis hujusmodi Indulgentiarum nundinatio institueretur. Neque fideles vnquam in V. Testam. eum aut similem in finem hunc annum celebrarunt. Apostoli nos docent metuendum esse ne illis, qui d annos & tempora observant, Christus frustra sit prædicatus: & post adventum Christi, qui corpus est, vmbras

c *Gal.* 4.9.

d *Gal.* 4. 10.

illas omnes debere cessare. Iudaica itaque superstitio est inter Christianos nequaquam ferenda, anni Iubilæi observatio in N. Testamento: estque recentius Paparum Romanorum institutum Apostolicæ & primitivæ Ecclesiæ per multa secula incognitum. Modus etiam, quo eum Pontificij celebrant, non tantùm superstitiosus est & ridiculus, sed & planè idololatricus & blasphemus, cum remissionem peccatorum plenariam, quæ per solum Christi sanguinem quovis in loco obtinetur, promittunt omnibus, qui personaliter, vt vocant, hoc tempore Romæ basilicas Apostolorum Petri & Pauli visitant, imagines Christi & Sanctorum ibidem religiosè venerantur, aut ceremonijs illis ridiculis assistunt, easve eminùs aspectant. Hæc igitur omnia, præterquam quod in Sacra Scriptura nullum omninò fundamentum habeant, tam crassa, turpia, & abominanda sunt hominum figmenta ad turpem quæstum inventa, vt non minus mirandum quàm dolendum sit, stuporem tam pecuinum hominum mentes ita occupare potuisse, vt credant talibus nugis peccatorum remissionem coram Deo obtineri posse: & ipsos Pontifices Romanos non pudere tandem in tanta Evangelij luce mundum Christianum tam crassis & ridiculis ineptijs ludificari.

DISP. LIII.

DISPVTAT. LIII.

De Vnctione extrema,

ET

De Ordine.

Thesis I.

Qualis vnctio tempore Apostolorum fuerit vsitata, & quem in finem?

QVamdiu sanationum miraculosarum dona in Ecclesiâ Apostolicâ, & primitivæ exordiis viguerunt, Apostoli, eorumque Discipuli his *a* ἰαμάτων donis præditi, in sanandis corporalibus morbis præter alia signa externa, sæpè etiam adhibere solent *Vnctionem olei*, cujus frequens in illis regionibus vsus erat, vt hoc externo & visibili signo testarentur ex arcanâ Dei virtute provenire sanitatem, cujus illi tantùm ministri erant. Vsitatum enim erat sub Lege, Spiritus Sancti gratiam oleo significari. Sed hoc Signum non fuit Sacramentum propriè dictum, seu à Deo institutum & perpetuò Ecclesiæ mandatum, ad promissionem gratiæ Evangelicæ de remissione peccatorum significandam atq; obsignandam: sed fuit tantùm vsurpatum extraordinariè ad morbos corporis miraculosè profligandos. Postquam autem dona miraculosa, quale & hoc sanationum fuit in Ecclesiâ cessarunt, signum etiam hoc cessare debuit: nec retineri, aut vsurpari nunc potest, nisi ex stultâ & inani *c* κακοζηλίᾳ, & magnâ cum superstitione.

An fuerit N.T. Sacramentum?

a *sanationum.*

c *æmulatione.*

II.

Quali vnctione hodie Pontificij vtantur?

Vnctio autem olei extrema, quam hodie Pontificij vsurpant, est actio Episcopi aut Sacerdotis Pontificij, quâ post recitatas quasdam Letanias oleo olivæ, certâ verborum formulâ ab Episcopo solemniter exorcizato, & consecrato, ægrotorum in vitæ exitu constitutorum septem corporis partes, scilicet oculi, aures, nares, os, & manus, vt quinq; sensuum organa, & simul renes & pedes innunguntur; cum pronuntiatione horum verborum: *Per istam sanctam vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi* Deus *quicquid deliquisti per visum, &c.* Hunc potissimum in finem vt hæc vnctio animæ ægrotantis conferat invisibiliter gratiam Spiritus Sancti, & per eandem delicta peccatorum, si quæ adhuc sint expianda, & reliquiæ peccatorum abstergantur, & anima ægrotantis adversus tentationes Diaboli confirmetur.

III.

An vnctio hæc Pontificia aliquid commune habeat cum vnctione Apostolicâ?

Hic vnctionis ritus, nec à Christo, nec ab Apostolis institutus aut vsurpatus fuit: nihilque habet commune cum vnctione ab Apostolis vsitata. Apostoli enim & qui Apostolorum tempore hac vnctione vsi fuerunt, præditi erant omnes dono sanationum miraculoso, quod Sacrificuli Pontificij non habent. Illi vnxerunt ægrotos eum in finem, vt sanitati miraculosè restituerentur, hi vngunt tantùm eos ægrotos, qui jam animam agunt, & quorum sanitas planè desperata est, neque vllum hominem per hanc vnctionem sanitati restituunt. Illi vtebantur oleo simplici

sine aliquâ solenni verborum formulâ: Hi non vtuntur, nisi oleo multis ritibus, & conjurationibus solenniter & operosè ab Episcopo consecrato, & certâ ac blasphemâ verborum formulâ. Illi non adhibebant aliquas peculiares ceremonias præter hanc vnctionem, hi tùm in olei consecratione, tùm in ejusdem inunctione adhibent multas, variasque ridiculas ceremonias à superstitiosis hominibus excogitatas, de quibus in verbo Dei nullum planè apparet mandati vestigium. Illi vnctionem hanc adhibebant, vt per miraculosam sanitatis adhibito hoc symbolo restitutionem, Doctrinæ Evangelicæ veritatem confirmarent, hi vt animam ægroti à peccatorum reliquijs purgent, & contra Diaboli tentationes muniant. Vnde manifestissimè apparet cum illo temporario ritu Apostolico, hunc Pontificium vnctionis ritum nullam planè habere communionem, nec Apostolicam vnctionem hujus figuram fuisse: ac proinde exemplo Apostolico extremam illam ægrotum vnctionem hodie ab illis vsitatam non posse stabiliri.

IV.

Hæc itaque extrema vnctio cum à Christo non sit instituta, neque adjunctam habeat gratiæ justificantis promissionem, sed stultum, invtile, & inane sit hominum inventum, multiplici superstitione & blasphemiâ plenum, nullo jure Sacramentum N. Testamenti appellari potest. Et cum huic ludicræ actioni efficaciam ascribunt non tantùm corpori sanitatem restituendi, sed etiam animam à peccati reliquijs purgandi, & contra Diaboli tentationes in agone roborandi, non

An vnctio Pontificia sit Sacramentum Novi Testamenti?

An vnctio hac possit corpus sa-

nare, & animam à peccatis purgare?

tantùm stultè effectum comminiscuntur, cujus nullum vnquam specimen apparuit, sed etiam blasphemè externis & terrenis elementis attribuunt vim illam, quæ Christi sanguini & Spiritui propria est. Quare vnctio ista meritò ex Christiana Ecclesia est exterminanda, ne homines fiduciam in rebus illis ludicris collocantes Deum graviter offendant, & ineptijs talibus porrò ludificentur. Nec propterea tamen ægroti sine præsidio contra Diaboli tentationes relinquuntur, cum alia sint remedia & efficaciora & à Deo ordinata, externa scilicet Ministrorum Ecclesiæ, & interna Spiritus Sancti consolatio, & piæ tùm ægrotantis, tùm fidelium pro ægrotante preces.

V.

An Ministri aliquâ ceremoniâ ordinari debeant?

Ministros legitimè ad Ecclesiæ Ministerium vocatos convenit, exemplo Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ; non tantùm precibus, sed solemni actione, ac ritibus quibusdam, ordinis & decori causa, publicè inaugurare, ac Deo atque Ecclesiæ quasi consecrare, vt hac ratione Ministerij Ecclesiastici dignitas populo commendetur, & ordinati admoneantur se jam Christo ejusque Ecclesiæ in servitutem addictos. Hæc consecratio, seu ordinatio, non competit solis Episcopis, qui ita in Papatu vocantur, sed quibuslibet Ecclesiæ Ministris, quibus Presbyterium has partes demandaverit. Ritus, qui tempore Apostolorum, in hac Ministrorum ordinatione adhibebatur, erat *Impositio manuum*, qui etsi satis commodus & decens est, non tamen præcisè est à Christo aut Apostolis imperatus, ac proinde est ritus adiaphorus, ordinis tantùm & decori causâ

A quibus illa sit administranda?

An Impositio manuũ sit ritus adiaphorus?

vsur-

vsurpandus. Ceremoniæ autem, quibus hodie vtuntur Pontificij in ordinatione Ministrorum, quales sunt vnctio, rasura in vertice, porrectio libri, patinæ, baculi pastoralis, præcisa verborum formula, linteæ vestes, cerei, cruces, & similes non sunt ab Apostolis neque institutæ, neque vsurpatæ, sed plenæ sunt Iudaica d κακοζηλίᾳ, & superstitione.

An ceremoniæ Pōtificiorum in Ordinatione sint ab Apostolis institutæ?
d *æmulatione.*

VI.

Ritus autem, quibus Ministri inaugurantur, quicunque tandem illi sint, multò minùs ritus illi Pontificij ab hominibus superstitiosis excogitati, non possunt esse Sacramentum Novi Testamenti, cum non sint omnibus fidelibus communes, nec à Christo instituti, vt sint gratiæ Iustificantis signa & sigilla. Nam etsi in V. Testam. ordinatio Ministrorum multis etiam ceremonijs perageretur, nunquam tamen illa ordinatio pro Sacramento propriè dicto habita fuit. Adjunctam quidem habent symbola ista assistentiæ divinæ in Ministerio significationem & promissionem, sed non Evangelicæ de remissione peccatorum gratię obsignationem. Admonent etiam tùm populum, tùm Ministrum ordinatum, officij sui, & dignitatis Ministerij, sed non habent efficaciam vllam, vt Ministros ad munus suum obeundum reddant magis idoneos & habiles, multò minus vt illis conferant gratiam justificantem, aut imprimant characterem aliquem indelibilem, qui nec per apostasiam nec per hæresin deleri possit. Ordines Ministrorum Ecclesiæ Novi Testamenti non esse septem, sed tres tantùm, superioribus disputationibus fuit demonstratum: inter

An ritus illi sint Sacramenta N. Testamenti?

Quæ sit efficacia horum rituum?

Quot sint ordines Ministrorum N. Test.?

inter quos non habent locum Sacerdotes propriè dicti. Poteſtas enim offerendi Sacrificium propitiatorium in Novo Teſtamento non poteſt conferri vlli homini mortali, ſine magno ſacrilegio, & manifeſtiſſimâ ac blaſphemâ Domini noſtri Ieſu Christi vnici Sacerdotis noſtri, qui in æternum manet, & perpetuum habet Sacerdotium, contumeliâ.

An ſint Sacerdotes in N. Teſtam.

DISPVTAT. LIV.

De Matrimonio.

THESIS I.

Quid ſit Matrimonium?

An ſtatus virginalis conjugali ſit ſanctior?

An Matrimonium ſit Sacra-

Matrimonium eſt ſancta Dei inſtitutio, ſecundum quam duo homines, vnus mas & vna fœmina, ex mutuo & legitimo conſenſu, in individuam vitæ ſocietatem, & corporum ac bonorum communionem conjunguntur ad Dei gloriam, & ipſorum bonum. In tali Matrimonio omnes fideles ei idonei, cujuſcunque tandem ſint ordinis, non minùs ſanctè & caſtè poſſunt vivere, quàm in cœlibatu, aut ſtatu virginali: adeò vt ſtatus cœlebs ſeu virginalis, quamvis ſuas habeat commoditates, & plerumq; minus curarum ac moleſtiarum ſecum ferat, non ſit tamen ſtatu conjugali in ſe perfectior, aut ſanctior, aut Deo gratior. Conjunctio hæc vnius maris & vnius fœminæ in carnem vnam, ſpiritualis illius conjunctionis, quæ inter Chriſtum

Sponſum

Sponsum & Ecclesiam Sponsam ejus intercedit, est quidem illustris quædam imago, quamobrem etiam [a] μυστήριον μέγα in Scripturâ vocatur, sed pro Sacramento Novi Testamenti propriè dicto censeri nequit. Deus enim Matrimonium non instituit, vt esset gratiæ Evangelicæ de peccatorum remissione per Christum Mediatorem obtinendæ sigillum: nam etiam ante peccatum in ipso innocentiæ statu fuit institutum. Estque infidelibus commune, quibus tamen Sacramenta non sunt instituta. Si omnia Mysteria, aut Spiritualis Christi cum Ecclesia conjunctionis signa, qualia etiam sunt conjunctio membrorum cum capite, palmitum cum vite, & similia alia, pro Sacramentis propriè dictis essent habenda, infinitus Sacramentorum numerus procuderetur. Si Matrimonium est Sacramentum à Deo fidelibus institutum, vt Pontificij volunt, quo jure Ministros Ecclesiarum suarum ab eo arcent? Sin propterea; quod sit status impurus, in quo non liceat sanctè vivere, & quod sit carnis inquinamentum, quomodo poterit esse gratiæ Iustificationis Sacramentum? Cum Ordinem etiam inter Sacramenta numerent, cujus prophanatio sit Matrimonium, an Sacramenta fingenda erunt, quæ se mutuò polluant & destruant? Matrimonium itaque rectè quidem sacræ cujusdam rei signum, & mysterium appellari, sed pro Sacramento propriè dicto haberi nullo jure potest, neque aut à fidelibus in V. Testamento, qui etiam in Matrimonio vixerunt, aut in Novo Testamento ab Apostolis pro Sacramento vnquam fuit habitum.

mentum propriè dictum?

a *magnum mysterium* *Eph.* 5.32.

II.

Quomodo Matrimonium legitimè contrahatur?

In doctrinâ de Matrimonio duo præcipuè veniunt consideranda. Primum est; Quomodo legitimè contrahatur. Secundum; Quomodo contractum dissolvatur. In Matrimonio contrahendo considerari debent Personæ contrahentes, & Forma contractus. In Personis contrahentibus, earum Numerus, & Qualitates. Numerus personarum contrahentium tantùm binarius esse debet, vnius maris & vnius fœminæ. Deus enim fecit ab initio masculum & fœminam, & ordinavit vt illi Duo essent in carnem vnam. Vnusquisque *b* vir vxorem habebit propriam, & fœmina ἐχέτω τὸν ἴδιον ἄνδρα. Polygamia itaq; vera, cum quis simul plures vxores habet, semper fuit institutionis divinæ transgressio, aut saltem ab eadem digressio, & in Patriarchis etsi respectu necessitatis quasi tolerata, nunquam tamen fuit licita: in Gentibus autem nec licita vnquam fuit, nec tolerabilis. Polygamia verò seu Digamia successiva, cum quis mortuâ priore conjuge ad secundas aut alias deinceps nuptias transit, nec Lege Dei est prohibita, nec inhonesta. Quare Ministris Ecclesiarum licet etiam secundis nuptijs in Ecclesiâ publicè benedicere, quia secundum hoc Matrimonium non minus est verum & sanctum, quam primum. Nec reddit hæc digamia aliquem inidoneum, quo minus ad sacrum Ecclesiæ Ministerium promoveri possit.

b 1. *Cor.* 7. 2.

An Polygamia vnquam fuerit licita?

An Digamia sit licita & honesta?

III.

Quales personæ

In Personarum contrahentium qualitate imprimis considerandum est, vt sint idoneæ, tùm

ad

> *possint contrahere?*

ad Matrimonium in genere, tùm ad tale Matrimonium in specie, seu cum tali personâ, contrahendum. In genere Matrimonium contrahere prohibentur alij propter ætatem impuberem, alij propter naturæ ἀδυναμίαν. In specie non possunt simul Matrimonium contrahere personæ, quæ prohibito Lege Dei Consanguinitatis aut Affinitatis gradu sibi invicem sunt conjunctæ. Gradus Consanguinitatis & Affinitatis prohibiti omnes in verbo Dei, atq; imprimis Levit. XVIII. vel expressè, vel per analogiam & necessariam consequentiam continentur. Neque habet Ecclesia potestatem alios Consanguinitatis aut Affinitatis gradus prohibitos constituendi, præter eos, qui ita Lege Dei prohibiti sunt. Quare Pontificij impiè fecerunt, cum hanc sibi autoritatem divinam arrogarunt, & olim vsque ad septimum, nunc verò vsque ad quartum Consanguinitatis & Affinitatis gradum conjugia prohibuerunt: hunc proculdubiò in finem, vt hac ratione tanto plures dispensationum occasiones, & per consequens etiam lucri, sese offerrent. Nulli enim mortali licet conscientias hominum legibus suis ligare, vbi eas Deus non ligat: nec ijs libertatem eripere, quam Deus concessit. Sunt autem Leges illæ divinæ, quibus gradus prohibiti præscribuntur Levit. XVIII. & alibi, tam in V. quam in N. Testam. non solùm constitutiones Legis judicialis, sed etiam pertinent ad Legem Moralem, atque adeò ad ipsam Naturæ legem. Quare nulli mortalium licet illas leges aut abrogare, aut mutare, aut contra eas dispensare. Ac proinde Papa Romanus cum sibi arrogat potestatem dispensandi in omnibus gradibus à

> *c impotentiam.*
>
> *Qui Gradus Consanguinitatis & Affinitatis sint prohibiti?*
>
> *An Ecclesia possit prohibere gradus in verbo Dei non prohibitos?*
>
> *An Leges Levit. 18. sint perpetuæ?*
>
> *An Papa Romanus possit dis-*

Deo

pensare in gradibus à Deo prohibitis?

d 2. *Thess.* 2.4.

An Cognatio Spiritualis impediat Matrimoniũ?

Deo prohibitis, excepto primo, manifestissimè ostendit, se esse verum illum Antichristum, *d* qui se effert supra Deum. Cognatio verò omnis, quæ Matrimonium impedit, carnalis est, nulla autem spiritualis. Hæc enim si conjugium impediret, nulla possent inter Christianos conjugia contrahi, cum ad omnes Christianos se extendat, qui fratres & sorores Spirituales inter se omnes sunt in Christo. Quod ergo Pontificij nugantur inter Baptizatos, commentitioque Confirmationis Sacramento initiatos, & eorum ἀναδόχους seu Susceptores intercedere peculiarem aliquam cognationem Spiritualem, quæ impediat, vt ipsi aut eorum liberi Matrimonio inter se conjungi non possint, figmentum est, Scripturæ & priscæ Ecclesiæ incognitum, atque ab omni ratione alienum.

Quæ ratio supputandi gradus sit exactior, juris Civilis, an Canonici?

Ratio supputandi gradus Consanguinitatis & Affinitatis, quæ vsitata est in jure civili, in quo quot sunt generationes tot supputantur gradus, multò exactior, & naturæ ac Scripturæ convenientior est supputatione illâ, quæ fit in jure Canonico.

IV.

Quomodo Matrimonium contrahatur?

Forma contractus Matrimonialis consistit in mutuâ stipulatione partium contrahentium, ex vtriusque libero consensu citra errorem factâ, & verbis fidei conjugalis promissionem disertè continentibus vtrinque expressâ. Consensus hic mutuus partium contrahentium est præcipua Matrimonij causa, atque ita ad legitimum Matrimonium necessaria, vt sine eo nullum Matrimonium sit ratum, ac proinde sponsalia nomine impuberum à parentibus contracta, non sunt

rata.

tata, antequam accedat mutuus hic partium consensus, cum jam ad annos pubertatis pervenerint. Consensus hic etiam liber & voluntarius esse debet, non vi, aut metu, aut minis, aut autoritate, ne parentum quidem, extortus. Vt autem parentes liberos sine ipsorum consensu ad Matrimonium non possunt cogere: ita etiam liberi sine parentum consensu non tantùm non debent, sed nec possunt conjugia contrahere. Liberi enim parentibus sunt subjecti, neque potestatem habent seipsos in Matrimonium collocandi, sed parentum est liberos suos elocare. Quare parentum consensus in liberorum nuptijs non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate requiritur.

An parentum consensus in liberorum nuptijs necessariò requiratur?

Matrimonium legitimè contractum vt solemni *e ἱερουργίᾳ* & inaugurali benedictione coram Ecclesiâ publicè confirmetur, decorum, vtile, & pietati Christianæ conveniens existimamus, sed hanc benedictionem propriè ad Matrimonij substantiam pertinere non arbitramur. Ritus autem in hac benedictione vsurpandi sunt, qui à superstitione quam maximè alieni sint, atque ad ædificationem quam maximè idonei: quales sunt institutiones atque admonitiones de fine & vsu conjugii, deque coniugum officiis mutuis: & preces ad Deum pro felici coniugii successu, quæ omnes vt linguâ coniugatis atque Ecclesiæ cognitâ fiant, omninò requirit ædificatio. Quare Benedictio, quæ in Papatu fit linguâ incognitâ meritò vt ridicula & superstitiosa est improbanda, præsertim cum adiunctos habeat multos ritus superstitiosos, & non levem Cœnæ Dominicæ profanationem.

e sacerdotis administratione.

Benedictio Matrimonij an pertineat ad substantiam Matrimonij?

An debeat fieri linguâ cognitâ?

V.

An alia sit Divortij causa præter Adulterium?

Conjugii legitimè contracti & consummati vinculum tam arctum est, atque *f* ἀκατάλυτον, vt, quamdiu vterque conjux in vivis est, ne quidem per mutuum consensum, dissolvi nunquam possit, *g* παρεκτὸς λόγου πορνείας. Vnica enim & sola Divortii causa legitima est Adulterium, quod directè pugnat cum naturâ Matrimonii, vtpote quo non tantùm mutua fides violetur, sed & individua conjugum societas solvatur. Si quis *h* vxorem suam dimiserit extra rationem scortationis, facit vt ea mœchetur, atque ipse etiam si aliam duxerit, mœchatur. Huic affinis est malitiosa desertio, quæ etiam pro adulterio censetur. Ob Religionis autem disparitatem, vel ob alterius conjugis infidelitatem, aut hæresin, conjugium dirimi non potest, ne quidem quoad thorum: etiam ne tunc quidem, si fortè conjunx hæreticus conjugem ad hæresin suam sollicitet, quamdiu conjunx infidelis aut hæreticus assentitur vt cohabitet. Quod si verò infidelis cohabitare nolit, in hujusmodi casu frater aut soror *i* οὐ δεδούλωται. Nec potest conjugium semel legitimè contractum, & ratum, etsi nondum consummatum, solvi per votum continentiæ, seu Monachatus, vel ab alterâ, vel ab vtrâque parte præstitum, ne quidem ex mutuo vtriusque partis consensu. Quod enim Deus semel legitimè conjunxit, nulli homines, ne ipsi quidem contrahentes, separare possunt.

f *indissolubile.*
g *Mat.* 5. 32.
h *Mat.* 5. 32.

An Disparitas in Religione, Infidelitas, aut Hæresis?

i 1. *Cor.* 7. 15.

An votum Monachatus?

VI.

Facto divortio an

Quando conjugium propter Adulterium legitimè dissolvitur, non tantùm fit separatio mensæ

&

& thori, sed ipsum etiam conjugij vinculum planè est dissolutum. Quare parti innocenti, si cum eâ reconciliatio non potest institui, ad quam nemo cogi potest, ad alias nuptias licet transire. Non debet enim pars innocens puniri propter alterius delictum, sed si continere non potest, habet præceptum Apostolicum, vt Matrimonium contrahat. Nam cum *l* melius est Matrimonium contrahere, quàm vri: & ad vitandam fornicationem, suam quisque vxorem, & suum quęque virum habebit. Cæterum hæc quæstio locum non haberet, si Magistratus officio suo rectè fungeretur, & partem nocentem pœnâ in verbo Dei præscriptâ, quæ capitalis est, afficeret. Controversiæ & causæ Matrimoniales, quæ super Matrimonij contractum, impedimentis, divortiis, aliisq; ejusmodi rebus incidunt, præsertim quæ facti sunt, à Magistratu politico rectè judicantur, modò Leges civiles, secundum quas judicium illud instituitur. Legibus divinis sint conformes. Quid autem in talibus causis juris sit divini, Ministrorum Ecclesiæ est ex verbo Dei Magistratum docere, si forte in legibus Matrimonialibus à Magistratu sancitis, secundum quas judicat, quid desideretur verbo divino minus consentaneum. Casus autem Conscientiæ pertinent ad forum Ecclesiasticum, in quo indecens est litigiosos processus institui, & illicitum potestatem coactivam exercere. Matrimonia denique contrahi, & celebrari, & benedici possunt quovis anni tempore, nisi fortè cum in calamitatibus publicis, aut luctu privato supplicationes & jejunia instituuntur. Nec enim putandum est dies vllos esse in se tam sanctos, qui Matrimonij celebratione polluantur.

dissolvatur vinculum?

An parti innocenti liceat trāsire ad alias nuptias?

l 1. Cor. 7. 9.

An Causæ Matrimoniales judicari debeant à Magistratu?

An Matrimonia omni anni tempore celebrari possint?

cum Matrimonium non sit res impura, sed honorabilis, & sancta, quæ hominem etiam in statu innocentiæ non contaminabat: & dierum ac temporum in Novo Testamento per se sit *m ἰσοτιμία*. Quare quod Pontificij vetant Matrimonia certis anni temporibus celebrari & benedici, superstitio est neutiquam probanda, & jugum Antichristianum.

m *æqualis honor*, vel respectus.

DE HOMINE, ET EIVS TRIPLICI STATV INNOCENTIÆ, MISERIÆ, ET GRATIÆ.

DISPVT. LV.

De Statu Hominis ante Lapsum, ET *De Paradiso.*

THESIS I.

PRæstantissimum Dei *a δημιούργημα* est HOMO, quem DEUS in principio *b* condidit ad imaginem seu similitudinem suam, in verâ

a *opus.* *Quid sit Justitia originalis?*
b *Ge.* 1. 27.

Dei agnitione, sapientiâ, justitiâ, & sanctitate: quæ dona vocantur *Iustitia originalis*, quia in ipsa sui origine eam per creationem accepit. Hæc Iustitia originalis ad imaginem Dei se habet, vt pars ad totum. Imago enim Dei præter veram in mente sapientiam, in voluntate conformitatem cum voluntate Dei & justitiam, in corde affectionum & appetitionum omnium cum recta ratione harmoniam & sanctitatem, quæ tantùm nomine justitiæ originalis exprimuntur, complectitur etiam spiritualem, intelligentem, volentem, & immortalem hominis naturam, secundum animam, & imperium ejus in omnes creaturas. Dona hæc justitiæ originalis possunt quidem supernaturalia appellari, si respicias naturam nunc corruptam, ex qua non apta sunt fluere. Homines enim corrupti à naturâ hæc dona nunc non habent. Aut si physicè consideres essentialia humanæ naturæ principia, animam scilicet, potentias, & corpus. Ex illis enim hæc dona etiam physicè non fluunt, & potuisset Deus, si ita visum ei fuisset, hominis naturam etsi integram, condidisse, tamen dotibus illis tam excellentibus non ornatam. Sed quia Theologi naturam hominis considerant non physicè tantùm, sed vestitam aut nativis integritatis donis ex creatione ante peccatum, vt integram, vel cum nativis defectibus corruptionis ex lapsu post peccatum, vt corruptam, malè hæc dona Supernaturalia vocantur respectu principiorum & donorum naturæ integræ, quia non fuerunt supra aut præter principia & dotes naturæ integræ, sed ex iis immediatè fluxerunt. Et quemadmodum rectè dicitur aliquid homini corrupto naturale, quod fluit ex

An sit donum naturale, an supernaturale?

principiis & defectibus naturæ corruptæ vel quod homini inest ab ipsa nativitate, ita etiam rectè dona hæc possunt appellari Naturalia homini integro, quia ex nativis dotibus hominis integri fluxerunt, & quia homini integro ab ipsa creatione, quæ illi nativitas fuit, adfuerunt, & naturæ constitutæ ex creatione per se adjacebant.

II.

An in naturâ integrâ fuerit propensio ad malum?

Atque hinc consequitur quæ Adamo Naturalia fuerunt in statu integro, ea nobis non esse naturalia in statu corrupto. Ac proinde rebellionem carnis adversus spiritum, seu propensionem ad malum, & pronitatem ad voluptates carnales, quæ in naturâ corruptâ conspicitur, non fuisse in naturâ integrâ ante lapsum, in quâ homo ordinatè absque vlla rebellione ad bonum ferebatur. Si enim hæc rebellio ante lapsum à naturâ, vt à Deo creata est, in homine fuit, ita vt opus habuerit frœno aliquo doni supernaturalis, quo illa coërceretur, manifestè patet Deum naturæ autorem hujus vitiositatis quoque autorem constitui.

III.

An homo integer sine speciali Dei gratiâ in bono potuerit perseverare?

Homo ad imaginem Dei in justitia originali conditus sufficientem quidem gratiam in creatione acceperat, quâ bonum operari, & peccata vitare poterat, ita vt in hoc statu præditus fuerit arbitrio libero, quo tam bonum quam malum eligere, ac proinde in bono perseverare, si vellet, poterat. Sed, vt experientia maximo cum malo nostro docuit, quemadmodum non habuit vt peccare nunquam vellet, ita constanter bonum velle

sine

sine speciali Dei gratiâ, præsertim in gravioribus tentationibus, etiam non potuit. Erat quidem in ipso facultatum omnium, sine rebellione, insignis harmonia, sed quia illa à voluntate turbari poterat, opus habebat speciali Dei gratiâ hanc harmoniam & bonam voluntatem conservante, dirigente, & confirmante, quam si semper habuisset, nunquam fuisset lapsus. Cum itaque sana ratio dictet aliquem eo indigere sine quo, si non habet, bonum assequi non potest, sequitur rectè dici hominem in statu integritatis opus habuisse speciali Dei auxilio & gratiâ, vt in bono perseveraret, ac proinde etiam sine eâ in bono non potuisse omninò perseverare.

IV.

An et quatenus corpus hominis ante lapsum fuerit mortale?

Nec Deus tantùm animam hominis in primævâ creatione justitiâ hac originali atque immortalitate exornaverat, sed homini etiam tale corpus adoptavit, quod licet in se compositum sit ex diversis elementis & humoribus, ac proinde corruptioni obnoxium esse possit, præditum tamen erat optima humorum & spirituum harmonia, in qua vi animæ originaliter perfectæ & immortalis, ab omni morborum intemperie, atque ab ipsa morte corporali perpetuò erat immune conservandum, nisi intervenisset peccatum, cujus c stipendium mors est, quæ non per naturam, sed per peccatum introiit in mundum. Corpus itaque hominis ante lapsum, etsi non habuit absolutam moriendi impotentiam, qualis est animarum, & erit glorificatorum corporum: sic enim mori, etiam post peccatum, nunquam potuisset, habuit tamen potentiam non moriendi, quæ, conditione

c *Rom.* 6. 23.

An potentia nō moriendi fuerit homini naturalis, an supernaturalis?

Peccati non existente, à corpore separari non poterat. Nulla enim erat causa, ne interna, vt morbus aut senium, neque externa, vt vis aut fames, quæ ante peccatum homini mortem inferre potuisset: ita vt non nisi per peccatum in hanc moriendi necessitatem inciderit. Atque hæc potentia non moriendi cum etiam sit pars imaginis Dei, rectè dicitur ei fuisse naturalis in natura integra, quia non tantùm naturæ ejus integræ erat consentanea, eamque perficiebat, atque ornabat, sed etiam quia ex principijs naturæ integræ fluit, cui mortalitas planè est contraria, cum anima purissima vitam perennem in corpus sibi vnitum transpiret. Quare Pontificij cum docent mortalitatem homini in natura integra fuisse naturalem, immortalitatem autem vt donum supernaturale & accidentarium accessisse, statuunt mortem non peccati effectum, pœnam, aut stipendium, sed naturæ integræ sequelam, neque ex peccato, sed ex natura provenire: atque ita ad Pelagianorum errorem manifestè prolabuntur.

V.

An sciri possit vbinam olim fuerit Paradisus?

Locus in quo Homo primitùs conditus & collocatus fuit, vocatur Hortus Hedenis, seu Paradisus, qui non fuit locus aliquis allegoricus, sed verus, corporalis, & terrenus, in orbe habitabili. Locus hic vbinam fuerit situs, quia Moses accuratè describit, ex illa descriptione sciri haud difficulter potest, nisi velimus Mosen vel imperitiæ vel affectatæ obscuritatis accusare. Nam cum Moses disertè scribat hortum hunc fuisse in regione Heden, quæ Palestinæ & Arabiæ fuit orientalis: & fluvium procedere ex Hedene

ad

ad irrigandum hunc hortum: & inde sese dividere, ferrique in quatuor capita, quorum primi nomen est Pischon, secundi Gichon, tertij Chiddekel, qui labitur ad Orientem, Assyriam versus, & quarti Perath; & cum extra omnem controversiam habeatur fluvium Chiddekel esse Tigrim, & Perath Euphratem, non potest esse dubium, quin Paradisus hic olim extiterit in Mesopotamiâ circa Babyloniam, vbi fluvij isti reperiuntur: præsertim cum testibus historicis & experientia, etiam hodiè post peccatum & diluvium, partes istæ præ cunctis orbis regionibus reperiantur amœnissimæ. Hortus hic in terris hodiè amplius non extat, & nequaquam ambigendum est, quin fuerit olim aquis diluvij, quæ totum terrarum orbem sub cœlo, etiam altissimos montes quindecim cubitis sursum versus, tegebant, simul coopertus, vastatus, & destructus. Quare inanes sunt fabulæ, quas Pontificij comminiscuntur de translatione Enochi & Eliæ cum corporibus in terrestrem hunc Paradisum, adhuc alicubi existentem: vnde sint redituri ad certamen cum Antichristo, ab eodem trucidandi. Translati quidem sunt illi viventes in corporibus, non verò in terrestrem, sed cœlestem Paradisum, sedem maximè illis congruentem: neque ad tale certamen vnquam erunt redituri. Christus enim disertè testatur prædictionem de adventu Eliæ illo tempore in Ioanne Baptista fuisse adimpletam.

An Paradisus adhuc sit superstes?

VI.

In hoc horto duæ fuerunt memorabiles præ cæteris Arbores, à Deo vt essent rerum spiritu-

alium symbola, constitutæ, quarum vna vocabatur *d* Arbor Scientiæ boni & mali, altera Arbor Vitæ: Prima arbor fuit *Scientia boni & mali* appellata, non à formâ, quod ipsa rationalis sciret bonum & malum, nec ab effectu per se, quod in hominibus scientiam boni & mali posset efficere, sed ab eventu, quem Deus hoc arboris etymo præsignificavit, futurum scilicet, vt homo contra interdictum ex eâ comedens suo malo disceret & experiretur, quantum bonum amisisset, & quantum malum sibi conciliasset. Secunda arbor vocata fuit *Vitæ*, non quod semel gustata vim in se habuerit homini perfectam immortalitatem conferendi, aut temperamentum humidi radicalis & calidi nativi æquabile conservando senium arcendi, & vitam hominis in infinitum tempus prorogandi: non potest enim potentiæ finitæ infinita ascribi efficacia: sed ita fuit appellata à Sacramentali & mysticâ significatione, quod Adamo & Evæ esset Sacramentum, arrhabo, & symbolum, acceptæ & continuandæ immortalitatis, vt eam sibi securè promitterent, quamdiu obedientiam legi præstantes ederent ex illius fructu. Qui enim Dei præcepta præstant, illis *e* ἐξουσία est in lignum vitæ, *f* vt edant ex arbore illâ vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei.

d *Gen.* 2.

Vnde Arbor scientia boni & mali fuerit appellata?

An Arbor Vitæ habuerit virtutem in se hominem à morte conservandi?

e *potestas.*

f *Apoc.* 2. 7.

D E

DE STATV PECCATI ET MISERIÆ.

DISPVTAT. LVI.

De Peccato.

ET

Ejus Causâ.

THESIS I.

Quid sit Peccatum?

EX beatissimo hoc integritatis statu homo in extremam incidit miseriam per Peccatum, de cujus naturâ, & causâ per quam producitur, prius in genere dispiciendum venit. Peccatum vt brevissimè, ita optimè atque exactissimè definitur ab Apostolo Iohanne, cum dicit: a ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Ἁμαρτία hic significat non quodlibet naturæ aut artis erratum, sed morale tantùm, quod non incommodè etiam Vitium Latinè appellari posset, cum ex vsu linguæ Latinæ Vitium tam actus quam habitus vitiosos significet; sed rectius & vsitatius à Theologis Peccatum dicitur. Ἀνομία non benè transfertur Transgressio Legis, quæ soli peccato actuali competit, sed rectius Iniquitas, aut Defectio à Lege, vel quicquid pugnat cum Lege Dei, sive

a 1. Ioh. 3.4.

sit vitiosus habitus, sive actio vitiosa facta, dicta, aut concupita adversus Legem. Definitio autem Augustini, quam Pontificij magis probant & sequuntur, cum definit *Peccatum esse factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam:* non est proba, quia non est plena, sed Definito suo angustior: cum peccata omissionis & ignorantiæ, & defectus vitiosos non includat, quæ tamen inter peccata censeri debent.

II.

An vitiosi habitus etiam sint peccata?

Formale peccati est defectus ejus integritatis quæ in Lege Dei præscribitur: qui cum non tantùm in actionibus hominum, sed etiam in habitibus reperiantur, sequitur non tantùm actiones à Lege Dei discrepantes, sed etiam vitiosos habitus peccata esse. Alioquin enim peccatum originis, concupiscentia, omissiones boni, inclinationes inordinatæ, ignorantia & dubitatio de Deo in mente, dilectionis Dei & proximi, & ardentis studij Deo secundum omnia ejus præcepta obtemperandi in corde privatio, non essent peccata, quæ tamen omnia Lege Dei damnantur, in quâ bona his defectibus opposita in nobis expressè requiruntur. Vnde peccatum aliud habituale, aliud actuale rectè appellatur.

An omne peccatū sit necessariò voluntarium?

Neque ad formam peccati necessariò requiritur vt sit voluntarium, cum vt nec justitiæ, ita nec peccati regula sit voluntas hominis, sed tantùm Lex Dei, à qua quicquid aberrat peccatum est, sive sit voluntarium, sive involuntarium: etsi fateamur voluntario peccati gravitatem augeri. Nam alioquin peccatum originis, & peccata ignorantiæ & infirmitatis non essent peccata, quia

non

non sunt voluntaria. Nec in ratione peccati omne necessarium semper pugnat cum voluntario, sed tantùm illud quod est absolutè necessarium, & coactum ac violentum. Impij enim seu irregeniti, ex hypothesi corruptionis humanæ, necessariò peccant, quia nihil aliud possunt facere quam peccare, & tamen sponte & volentes peccant.

III.

Quotuplicia sint peccata?

Peccata pro subjectorum, quæ peccant, vel in quibus peccatum inest, pro objectorum, in quæ peccatur, pro Legis præceptorum, pro originis & graduum varietate, multipliciter possunt dividi in peccata originalia & actualia, animæ & corporis: contra Deum immediatè, aut contra proximum: omissionis & commissionis: graviora & leviora: sed nullo modo probanda est aut admittenda in sensu Pontificio distinctio peccatorum in *Venialia* & *Mortalia*: cum per Venialia intelligunt peccata, quæ à Deo per se & sua natura non avertunt, sed ita levia sunt vt non mortem sed veniam apud Deum mereantur, neque opus habeant, vt per sanguinem Christi mundentur, sed quæ aut per pœnitentiam, aut per ignem Purgatorium facilè expientur. Scriptura enim expressè testatur peccati cujuslibet stipendium esse *b* mortem: maledictioni obnoxium esse *c* qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis: animam *d* quæ peccaverit, morituram: qui in vno offenderit, *e* reum esse omnium: qui solverit *f* vnum de minimis istis mandatis, minimum vocandum in regno cœlorum: homines etiam de *g* quocunque otioso verbo, quod locuti fuerint, redituros rationem

An peccata rectè possint dividi in Venialia & Mortalia?

b *Rom.* 6. 23.
c *Gal.* 3. 10.
d *Ezek.* 18.4.
e *Iac* 2.10
f *Mat.* 5. 19.
g *Mat.* 12. 36.